



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

Reiser, Anton

Francofvrti, 1678

Tomus Primus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)



A. Ω!
 TOMI PRIMI
 Controversiæ Primæ,
 DE
 VERBO DEI,
 LIBRI PRIMI
 Caput primum,

Sitne Scriptura Verbum DEI?



ellarminus quidem, hanc à principio explicaturus Quæstionem, expressè fatetur, esse indignam, quæ tractetur apud Theologos Christianos, peperisse tamen hoc tempore eam partim Schwenckfeldij & Libertinorum delirationem, partim improbitatem & imprudentiam Lutheranorum, qui Schwenckfeldij errorem Pontifici Romano, ac Ecclesiæ toti Catholicæ impudentissimo mendacio adscribere non vereantur. Quapropter ut & illorum errorem, & horum mendacium refellat, illud in primis esse statuendum, Propheticos & Apostolicos libros juxta mentem

Ecclesiæ Catholicæ, & olim in Concilio Carthaginensi tertio, & nuper in Tridentino explicatam, verum esse Verbum DEI, & certam ac stabilem Fidei regulam: quæ Verba, tanquam publico & totius Ecclesiæ nomine scripta, non ita pridem commendavit Volu-^{in Aurora} sius. Et quia capite sequenti Bellarminus non uno tantum *Augustini* testimonio hanc ^{PAG. 13.} S. Scripturæ autoritatem demonstrare studuit, hinc videndum est, an iniquius cum Papi-
 pistis agatur, Schwenckfeldij & Libertinorum errorem, quoad hoc punctum, aliquâ ratione iis adscribendo. Non advocabo hîc in subsidium illos Scriptores novos, qui paucum ante tempus novâ, ut sibi ipsis imaginabantur, inventione Authoritatem S. Scripturæ in non parvum adduxerunt discrimen, illud subindè contra Evangelico-Orthodoxos ore- & scripto-tenus ingeminantes: Undè scis, Verbum DEI esse Verbum DEI: cum res hæc notior sit, quàm ut ullâ egeat repetitione. Ipte Bellarminus contra se dabit testimonium, alibi de Traditionum necessitate ageus, inter ea, quæ ignorari non possunt, & tamen in Scripturis non continentur, hoc etiam in specie referendo: *Necesse est, nosse, extrare libros aliquos verè divinos; quod certè nullo modo ex Scripturis haberi* ^{lib. IV. de V. D. cap.} *potest. Nam etiam si Scriptura dicat, libros Prophetarum & Apostolorum esse divinos, tamen non certò id credam, nisi prius credidero, Scripturam, quæ hoc dicit, esse divinam. Nam in Alcorano passim legimus, ipsum Alcoranum à Deo de cælo missum, & tamen ei non credimus. Itaq; hoc dogma tam necessarium, quod scilicet aliqua sit Scriptura divina, non potest sufficienter haberi ex solâ Scripturâ. Proindè cum Fides nitatur Verbo Dei, nisi habeamus Verbum DEI non scriptum, nulla nobis erit Fides. Præterea, non satis est scire, esse Scripturam divinam, sed oportet scire, quæ sit illa, id quod nullo modo potest haberi ex Scripturis. Porro, oportet etiam non solum scire, qui sint Libri sacri, sed etiam in particulari, istos, qui sunt in manibus, esse illos. Et: Veteres uno ore testantur, non aliundè nos habere, Scripturam esse divinam, & qui Libri sint sacri, quàm ex Traditione non scriptâ. Denique, credunt omnes hæretici hujus temporis, nullum esse Verbum DEI nisi scriptum; at hoc certè in totâ Scripturâ nusquam*

invenitur. Hæc verba si in animo habuisset Bellarminus ante, quam ea in chartam coniecit, ab accusatione improbitatis & imprudentiæ Lutheranorum sub initium Polemographiæ omnino debuisset abstinere, seque ipsum non in limine statim ei exponere suspitioni, ac si ad removendum à se & Ecclesiâ, cujus defensionem suis imponi humeris est passus, quorum causâ per multum tempus audivit pessimè, impos planè esset, in impingendis verò mendaciis impudentissimus. Si enim citata prolixè Verba ejus accurate ponderaverimus, aperte constabit, Papistas non credere Verbo DEI, ob hanc formaliter rationem, quia DEUS id revelavit. Inde quæcunque Bellarminus in capite secundo, ad probandam Scripturæ auctoritatem ex Augustino collegit testimonia, in Evangelicæ Veritatis gratiam, contra se ipsum, communemque inter suos sententiam collegisse dicendus est, nobisque Arma subministrasse, quibus duce tam augusto Doctore contra quosvis S. Scripturæ impugnatores, spe Victoriæ indubiâ Marteque felici pugnare licet. Ita noster est Augustinus, ubi pro veritate Vaticaniorum S. Scripturæ,

lib. 12. de
C. D. c. 9.

Ibid. cap.
10.

lib 18. de
C. D. c. 41.

Bellarmino citante, hunc in modum scripsit: *Scriptura fides mirabilem non immerito auctoritatem habet in orbe terrarum atque in omnibus gentibus, quas sibi esse credituras, inter cetera, quæ dixit, verâ Divinitate prædixit.* Et rursus: *Quandò minus credendum est illis literis, quas plenas fabulosos velut Antiquitatibus proferre voluerunt contra auctoritatem notissimorum Divinorumq; Librorum, quæ totum orbem sibi credituram esse prædixit, & cui totus orbis, sicut ab eâ prædictum est, credidit, quæ, verâ se narrasse præverit, ex his, quæ futura prænuntiavit, cum tantâ veritate complentur, ostendit.* Noster est etiam Augustinus, de admirabili S. Scripturarum concordia ita loquens: *Auctores nostri, in quibus non frustra S. Literarum figitur & terminatur Canon, absit, ut inter se aliquâ ratione dissentiant. Unde non immerito, cum illa scriberent, eis Deum vel per os locutum, non pauci in scholis atque Gymnasiis, litigiosis disputationibus garruli; sed in Agris atq; Urbibus, cum doctis atq; indoctis, tot tantiq; populi crediderunt. Ipsi sanè pauci esse debuerunt, ne multitudine vilesceret, quod clarum religione esse oporteret; nec tamen ita pauci, ut eorum non sit miranda consensus. Neq; enim in multitudine Philosophorum, qui labore etiam literario monumenta suorum dogmatum reliquerunt, facile quis invenerit, inter quos cuncta, quæ sensere, conveniant. Neque ullo nobis modo adversatur, quod idem Doctor, eodem citante, in ad de Doctrinâ Christianâ libros Prologo in vicem seriæ admonitionis scripsit: *Caveamus tales tentationes superbissimas & periculossimas, magisq; cogitemus, & ipsum Apostolum Paulum, licet Divinâ & cælesti voce prostratum, ad hominem tamen missum esse, ut Sacramenta perciperet atque copularetur Ecclesiæ; & Centurionem Cornelium, quamvis exauditas orationes ejus, Eleemosynasq; respectas Angelus ei nuntiaverit, Petro tamen traditum imbuendum, per quem non solum Sacramenta perciperet, sed etiam, quid credendum, quid sperandum, quid diligendum esset, audiret.* Quæ Verba ad eò nos Evangelicos non ferunt, ut potius ambabus, quod dicitur, manibus illud Bellarmini monitum amplectemur, quod iis notanter & multâ cum observatione præfixit: *Cum Sacra Scriptura credendi regula certissima sit tutissimaque, sanus profectò non erit, qui, eâ neglectâ, spiritus interni sæpè fallacis & semper incerti judicio se commiserit.* Adde ea quoque Doctoris augusti Verba, quæ proximè citata antecedunt: *Neq; tentemus Eum, cui credidimus, ut talibus inimici versutis & perveritate decepti, ad ipsum quoque Evangelium audiendum atq; discendum nolimus ire in Ecclesias, aut Codicem legere, aut legentem prædicantemq; hominem audire, & expectemus raptusq; in tertium Cælum, sive in corpore, sive extra corpus, sicut dixit Apostolus, & ibi audire Verba ineffabilia, quæ homini non licet loqui, aut ibi videre Dominum IESUM Christum, & ab illo potius, quam ab hominibus audire Evangelium.* In nostrum insuper usum, & ad nostratis sententiæ defensionem quam maximè servit, quod ex ejusdem Doctoris armentario Bellarminus, adpositissimè produxit, hoc de S. Literarum origine Divinâ testimonium dantis: *De illâ Civitate, undè peregrinamur, hæ nobis venerunt literæ; ipsæ sunt Scripturæ, quæ nos hortantur, ut benè vivamus.* Optimè hoc testimonium hæc præmonitione munivit Bellarminus: *Non omnes vulgò per internum adflatum DEUS docet, quid de se credi, quid ve à suis agi velit; sed per corporales literas, quas & cerneamus & legeremus, erudire nos voluit.* Multa ex citatis hactenus, & Augustini & Bellarmini testimoniis, in rem nostram, proq; orthodoxâ Veritate, deduci possent, nisi metu fastidiosæ prolixitatis Lectoris judicio ea committerentur. Accedat ea præter insignis locus, indice iterum Bellarmino ostensus, quo ad oraculum regij Platis; *Suscipiunt montes Pacem & colles Iustitiam, differentia inter Scriptores Canonicos & ceteros fideles hæc ab augusto Doctore adsignatur: *Montes excelsa sunt anima, & colles parva sunt anima.***

Señ

Sed ideo montes excipiunt Pacem, ut colles possint excipere Iustitiam. Quæ est Iustitia, quam colles excipiunt? Fides; quia Iustus ex Fide vivit. Non autem acciperent minores animæ Fidem, nisi majores animæ, quæ montes sunt dictæ, ab ipsâ Sapientiâ illustrarentur, ut possent parvulis trajicere, quod possent parvuli capere. Et infra: Oculos nostros cum levamus ad Scripturas, quia per homines ministratæ sunt Scripturæ, levamus oculos nostros ad montes, unde veniet auxilium nobis. Omnia hæc non nisi internam & quasi innatam S. Scripturæ clamant auctoritatem, ad quam, dum prævio duce hoc, & Doctore tam augusto, in quibusvis Fidei Controversiis, seposita omni auctoritate humanâ, provocamus Evangelici, iniquissimè traducimur, ac si illud ex spiritu quodam interno, sæpè fallaci & semper incerto fieret, nostris in contrarium protestationibus tam sæpè iteratis in clarissima Luce positis, ut adeo cum Schwenkf. Idii Libertinorumque delirationibus, à non bono sed malo Spiritu profectis, nihil planè nobis esse commercii ipse Bellarminus fateri coactus fuerit, capite tertio sequenti, objectioni eorum è quibusdam Pauli verbis desumptæ occurrens, id inter alia notando, observandum esse, ne dum Libertinos & Schwenckfeldianos refellit, aliquid Lutheranis concedere videatur, quod non nisi de oppositis sibi invicem opinionibus dici poruit; quamvis postmodum sui oblitus in fine capituli objectionum Schwenckfeldianis & Lutheranis communium fecerit mentionem, quas tamen dum ad Disputationem de Interprete Scripturarum & Controversiarum Judice, differre eidem placuit, ibi quoq; de his videbimus, num ad earum tractationem ex Augustini armamentario aliquid subsidii sperari possit, conferentes nos ad

CAPVT QVARTVM.

Quis sint Libri Sacri vel verè Canonici?

HOs ut eo ordine & numero, qui in Vulgatâ, ut dicitur, Editione juxta Tridentinam Decisionem hodie habentur, olim quoque habitos fuisse demonstraret Bellarminus, post duorum modò Pontificum Decreta, trium quoq; Conciliorum quam maximè à se invicem temporis ratione distitorum, Canones, septem Patrum Ecclesiæ Orientalis testimonia, quæ nunc examinatè non vacat, inter Ecclesiæ Occidentalis Doctores ad Augustinum insuper provocat, eos in Librorum Canonicorum numero exhibentem, qui ab Evangelicis, ob causas nemini ferè ignotas, inter Apocryphos solent referri, nominatim, libros Tobiae, Judith, Maccabæorum, Sapientiae, Ecclesiastici. Verùm, si Bellarminus & quicumque hoc testimonio superbire solent, ea Augustini Verba observasset, quæ huic enumerationi librorum in laxiori significatione Canonicorum præmissit, vix triumphum ante Victoriam audire cogeremur. Ita autem Patrum augustissimus S. Scripturarum Lectorem informavit: *In Canonicis Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurimum auctoritatem sequatur, inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas Sedes habere & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur huic modum in Scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, praeponat eis, quæ quaedam non accipiunt. In eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, praeponat eas, quæ plures gravioresque accipiunt, eis, quæ pauciores minorisq; auctoritatis Ecclesie tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, quamquam hoc facile invenire non possit, equalis tamen auctoritatis eas habendas puto. Hoc augusti Doctoris consilium, etsi aliquid humani sapere posset videri, illud tamen indè manifestum est, quod ipse Bellarminus infra, capite hujus libri decimo, contra se ipsum, et si contra Chemnitium agere decreverit, apertissimè agnovit, scribens: *Augustinum fuisse certissimum, omnes Libros Canonicos esse infallibilis Veritatis, sed non fuisse, eque certum de omnibus libris, quos enumeravit, an essent Canonici. Nam & (rectius, etsi) Ipse ita sentiebat, sciebat tamen, rem non fuisse adhuc à generali Concilio definitam, & propterea potuisse sine heretica labe quosdam libros ab aliis non recipi. Id igitur est, monet porro Bellarminus, quod dicit Augustinus, observandum esse in illis libris, qui dicuntur Canonici, ut ii, qui ab omnibus recipiuntur, praeponantur iis, qui non ab omnibus recipiuntur; quia videlicet de prioribus major tunc erat certitudo, quam de posterioribus, quod essent Canonici. Nunc autem quia generalia Concilia rem totam definierunt, eque certissimus de auctoritate omnium Librorum, nec unum alteri praeponere debemus. Quamvis enim, quæ de Conciliorum definitionibus interserit Bellarminus & adnectit, suum mercantur examen, ita tamen Augustini mentem in cæteris dat explicatam, ut ad rem ipsam nihil omnino desiderari possit. Nimirum, sicut ipse Bellarminus inter libros primi & secundi ordinis Canonicos distinguit, ita hac responsione sua non obscure indicat, Augustinum quosdam libros in strictiore, quosdam in latiore significatu Canonicos**

lib. II, de
Doctr.
Christ.
cap. 8.

nicos dixisse, id quod magis perspicuo ipsius Augustini testimonio demonstrari potest, de supputatione temporum à restituto Judæis templo, usque ad Aristobulum notanter scribentis: *eam non in Scripturis sanctis, quæ Canonice adpellantur, sed in aliis inveniri, in quibus sint & Maccabæorum Libri, quos non Iudæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet* (quam ob causam?) *propter quorundam Martyrum passiones vehementes atq; mirabiles, qui ante, quam Christus venisset in carnem, usque ad mortem pro DEI lege certaverunt, & mala gravissima atq; horribilia pertulerunt.* Et ne videatur contraria scripsisse Augustinus, libros videlicet Maccabæorum, non esse in numero Scripturarum Sanctarum, quæ Canonice adpellantur, & tamen nihilo minus Ecclesiam eos pro Canonicis habere, ideò notari debet, quod alibi expressius longè & multò clarius scripsit: *Scripturam, quæ adpellatur, Maccabæorum, non habent Iudæi, sicut Legem & Prophetas & Psalmos, quibus Dominus testimonium perhibet tanquam testibus suis, dicens, oportebat impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege, & Prophetis, & Psalmis de me; sed recepta est ab Ecclesia non inutiliter, si sobriè legatur vel audiatur, maxime propter illos Maccabæos, qui pro DEI lege, sicut veri Martyres à Persecutoribus tam indigna, atq; horrenda perpassi sunt.* Nemo certè non videt, ita receptos ab Ecclesia Maccabæorum libros, (id quod de aliis quoque Apocryphis, vel juxta Bellarmini nomenclaturam ordinis secundi Canonicis, intelligi debet & potest,) statuere Augustinum, non tanquam verè Canonicos, sed latiore significato ita dictos, id est, Canonicis adjunctos, *sobriè tamen legendos vel audiendos*, in iis nimirum capitibus, in quibus à verè Canonicis, Fideique regulâ in iisdem contentâ, ullo dissentire videntur modo, ne videlicet Orthodoxiâ Sinceritas aliquid patiatur detrimenti per fermenti admixtionem, id quod Evangelicos etiam statuere cum Augustino in propatulo est, extraque dubium. Post Bellarminum, & alios plures de *Canone Scripturæ* ex Augustino egit etiam *Matthias Hauzerius*, ordinis Francisci, in *Epitome Augustini*, ejusque Tomo posteriori, addens aliqua, quæ omninò hic merentur censuram & observationem. Postquam enim ex opere de *Doctrina Christiana*, testimonium huc pertinens adduxit prolixissimè, de quo partim contra Bellarminum, partim ex ejus propria explicatione est actum, additis locis parallelis, ita subjunxit: *Videtur Augustinus hunc Canonem accepisse à Concilio Carthaginiensi tertio, & sine dubio originaliter ab Ecclesia Romanâ.* Et ubi præmunionem Ejus, recensionis librorum Scripturæ Canonicorum proximè præmissum, quâ supra etiam cum Crisostomianâ habuimus, ad verbum citavit, de suo iterum adscripsit: *Satis exprimit Augustinus, hunc Canonem non amplius pendere ab illis judicandi regulis, quas præscripsit tum observandas necessariò, sed ex illis fuisse determinatum, utiq; publicâ auctoritate aliquâ, notoria videlicet ac universali in Ecclesia Catholica, quæ principaliter residet ac præsidet in Ecclesia Romana, à quâ tunc sine ullo dubio dependebant Ecclesiæ Africanæ, & quam hic etiam satis indicat inter eas, quæ Apostolicas habere Sedes & Epistolas accipere meruerunt Apostolicas; quas subdit non omnes fuisse æquales, sed alias aliis graviore, & consequenter unam aliquam gravissimam & principalem, videlicet Romanam. Hinc patet antiquitas & constantia hujus sacri Canonis in Ecclesia Catholica ex tunc, & supra & infra usque ad Concilium Florentinum, ac novissimum Tridentinum, contra temeritatem & præsumtionem novitiam hæreticorum, usurpandi privatum de hoc Canone sacro judicium, illumq; sacrilege violandi suis Censuris, exceptionibus, multationibus.* Quod si aliquod dubium apud Augustinum de aliquo horum librorum occurrat, per hunc Canonem ex professo recensitum debet resolvi, non autem indè hic Canon vocari in dubium; & tantum censeri debet dubium de *Canone Iudeorum*, vel dubium in Ecclesia præteritum, vel dubium aliorum, non autem ipsius Augustini, qui hoc Canone tam expressè & ex professo hanc Fidem suam apud omnes extra omne posuit dubium. *Ita Epitomator*, uti audit à Centoribus suis, *Anatomicus*, plura in hoc Augustini testimonio videns & observans, quàm Bellarminus, utut de cætero id ipsum negligens, quod Bellarminus ad mentem Augustini notavit non impertinenter. Concedamus autem, Augustinum hunc Scripturæ Canonem accepisse à Concilio Carthaginiensi, quod communiter tertium vocatur, utpote cui interfuit & cum pluribus Episcopis subscripsit, utut *Coriolanus* in Annotatione ad hoc Caput, quod exhibet libros Scripturæ Canonicos, illud Decretum referat ad Concilium Carthaginiense numero & ordine recepto sextum, tempore Bonifacii habitum, in quo tamen nulla est differentia, quia huic etiam interfuit Augustinus & subscripsit. Concedamus autem, ut dixi, quamvis nullâ adigamur necessitate, cum fieri potuerit, ut hoc opus elaborare cœperit Augustinus sub initium Episcopatus ante, quàm prius etiam celebraretur in Carthagine Concilium, atq; adeò, in quocunq; hic Scripturæ Canon fixus fuerit, illum acceperit ab Augustino,

lib. 18. de
C. D. cap.
36.

lib. II.
contra
Gaud.
Epist.
cap. 23.

lib. II. de
C. D. cap.
36.

Augustino, cuius auctoritas apud omnes in maximo erat aestimio; concedamus, inquam, tertia vice, quod urget *Epitomator Anatomicus*, Augustinum accepisse hunc Canonem à Concilio quodam *Carthaginensi*, non tamen sequetur inde, quod idem ponit extra dubium, Augustinum *originaliter* hunc Canonem accepisse ab *Ecclesia Romanà*, cum nullum ex eà Ecclesia possit produci documentum, quod confirmationi huius pronuntiatu videatur ullà ratione idoneum. Largiamur hoc etiam, quod porrò vult *Anatomicus*, Canonem Biblicum non amplius pendere ab illis iudicandi regulis, quas Augustinus tibi visus tum temporis non inidoneas præscripsit, non tamen sequetur inde, quin potius quasi contrarium eis opponetur, quod intendit idem, hunc Canonem fuisse determinatum ex illis *authoritate publica, eaq; notoria ac universali, in Ecclesia nimirum Catholica*. Hoc enim si fuisset, omninò videtur probabile, Augustinum non denuò eas præscripturum fuisse, sed ad illam Ecclesiam auctoritatem *notoriam* indubiè provocaturum; cuius cum nulla in toto contextu huius testimonii Augustiniani fiat mentio, frustra id inferitur, & quasi vi quãdam inferitur, cum impertinenti clausulâ, *quod auctoritas illa principaliter fuerit in Ecclesia eadem Romanà*, addito hoc etiã, *quod sine omni dubio Ecclesia tum Africana dependere ab ea*, quod consequentia iterum frivola ex Augustini verbis conatur exsculperè, sed ausu planè irritò. Quam enim absurdum est, Augustinum sub Elogio generali Ecclesiarum, certo respectu *Apostolicarum*, intelligere Romanam quoque, quod hæcenus non negamus, & in super agnoscere aliquam inter eas *inequalitatem*, ergò etiam simul Romanam *primatû* deferre, cuius tamen nec vola, nec ullum in Augustini verbis extat vestigium. Imò si laudata superius Concilia duo *Carthaginensia* respiciamus, quorum utriusque ipsum interfuisse Augustinum monui, ea leguntur in iis decreta, quæ nullo planè modo hunc admittunt *primatum*, aut quasi Ecclesiam *Africanam* agnoverint, se à Romanâ *dependere*, quod suo infra loco docebitur uberius, ubi de hoc argumento agendum erit ex instituto. Cæterum quod attinet Connexionem huius Canonis Augustiniani, & eo quidem sensu, quo Bellarminum intelligere jam vidimus, & hinc etiam Concilii *Carthaginensis*, cum Conciliis *Florentino & Tridentino*, quæ duo posteriora ab illo non nisi integro distant *millenario*, videantur, inter quorum esse debet studia & labores, quomodo eam in tanto Seculorum intervallo defendant, ne successio Doctrinalis in hoc etiam puncto videatur deficere. Calumniam de *privato* hæreticorum circa Canonem Biblicum *judicio*, & quæ alia eidem accedunt, quia nò est obicura, Innocentia telo muniti prætermittunt Evangelici, sequentibus etiam objectiunculis satisfacere potentes per ea, quæ Bellarminus promptâ manu suppeditavit, quod brevitatis causâ Lectoris industria & iudicio nunc quidè comittitur.

Ad locum Augustini ex opere de *Doctrinâ Christianâ*, quem ad probandam librorum utriusque Testamenti, prout hodie leguntur in Codicibus Biblicis, auctoritatem Canonicâ quasi in acie collocavit Bellarminus, hoc etiam porrò venit observandum, abuti eodem hodie novicios *Theologiae moralis* Scriptores in materia *Probabilitatis*, quam hoc demùm Seculo non pauci conantur orbi obrudere Christiano. Juvat ejus specimen adponere, ut, quid de toto hoc negotio prudenter sit statuendum, Lectori Veritatis antiquæ studio hæc occasione possit innotescere. Dux erit *Iulius Mercolus*, ordinis Dominici, qui in *Basi Theologiae Moralis* Bruxellæ tertium editâ, secundæ partis Articulo post vigesimum secundo sequens præscripsit lemma: *An sententia de sectandâ minus probabili in concursu probabilioris, adversetur Augustini doctrinæ?* Ex mente Moralistarum ita ad hanc *Quæstionem* scribit: *Augustinus docet*, Canonicas Scripturas à pluribus Ecclesiis receptas majoris esse quidem auctoritatis, quàm illæ, quæ à paucioribus recipiuntur, has tamen non dicit esse contemnendas, ut adverterunt *Archidiaconus & Turrecremata*. Cum igitur canones minoris auctoritatis minorem faciant probabilitatem, & nò sint contemnendi in concursu canonum majoris auctoritatis, sequitur, sententiam minus probabilem in concursu probabilioris secundum Augustinum non esse contemnendam. *In resolutione autè respondet*, secundum Augustini mentem sectandam non esse sententiam minus probabilem in concursu probabilioris. *Ad evidentiam hujus resolutionis*, postquam ipsa Augustini verba adduxit, ita porrò suam ex Augustino Sententiã expressit: *Circa hunc textum Nota primò*, Augustinum in eo tradere regulam adhibendi Scripturas Canonicas, seu sacram Scripturam, Epistolas Decretales, Canones Conciliorum universalium & Ecclesiarum particularium, sicut dicit Glossa. *Nota ulterius*, auctoritatem harum Scripturarû fidelibus deservire, ut ex illis possint ea dignoscere, quæ Fide credere & honestè debent agere. *His notatis* pro explicatione hujus Textûs possunt formari tres casus. *Primus*: Quomodo quis se debeat gerere in eligendis Scripturis Canonicis pro regulandis his, quæ ad Fidem & Mores spectant? *Augustinus respondet*: In Scripturis Canonicis sequatur quâ plurimum

conf. post
alios
V Vett-
stein, No.
tat. ad o-
rig. p. 224.

pag 300.
& seqq.

6
 auctoritatem Ecclesiarum Catholicarum, inter quas sanè sunt illæ, quæ Apostolicas Sedes habere & Epistolas accipere meruerunt. *Secundus*, sunt aliquæ Scripturæ Canon. quæ recipiuntur ab omnibus Ecclesiis; aliæ verò solum recipiuntur à quibusdam. Si in aliquo casu sentirent contraria, quas ex his populus fidelis deberet sectari? *Augustinus respondet*: Illas Scripturas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. *Tertius*, sunt aliquæ Scripturæ, quæ recipiuntur à pluribus Ecclesiis & gravioribus; aliæ verò à paucioribus & minoris auctoritatis. In hoc casu quas unusquisque fidelis tenetur sequi? *Augustinus respondet*: In his Scripturis, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresque accipiunt, eis, quas pauciores & minoris auctoritatis Ecclesiæ tenent. *Basista subjungit*, ex resolutione hujus tertii casus expressè habetur Aduersio nostra. Supposito enim, quod Scripturæ Ecclesiarum auctoritatis minoris suam habeant probabilitatem; consequenter Scripturæ Ecclesiarum auctoritatis majoris majorem habebunt in suis Sententiis probabilitatem. *Dicit ergo Doctor sanctus*, in casu, quo contingat uti dictis Scripturis, eas esse sequendas, quæ majoris sunt auctoritatis, consequenter majoris (etiam) probabilitatis, relictis aliis minoris probabilitatis. *Et quia opponitur porro*, Augustinum loqui hoc loco de usu Scripturarum Canonicarum in his solam, quæ ad Fidem spectant, & non de iis, quæ mores concernunt, consequenter hanc auctoritatem non esse ad rem pro hac controversia; *Basista reponit*, hanc limitationem esse omnino voluntariam, imò aperte deprehendi falsam ex contextu, in quo postquam tradidit Sanctus Præsul regulam adhibendi Scripturas Canonicas, & harum Scripturarum libros enumeravit, adnectit statim: *In his omnibus libris timentes Deum & pietate mansueti querunt voluntatem DEI, cujus operis & laboris prima observatio est, istos nosse libros; deinde illa, quæ in eis aperte sunt posita, vel præcepta vivendi, vel regule credendi, solertius diligentiusque sunt investiganda, quæ quanto quisque plura invenit, tanto est intelligentia capacior. In his enim, quæ aperte in Scripturâ sunt posita, illa inveniuntur omnia, quæ continent Fidem moresque vivendi.* Quid clarius, inquit Basista? Ergo hæc regula Augustini de sectandâ probabili non est limitanda ad Controversias (tantum) Fidei, cum ad mores etiam Sanctus Præsul eam extendat. *Tandem, inquit*, ad Argumentum in principio factum conceditur, Scripturas Canonicas, quæ à paucioribus Ecclesiis recipiuntur, non esse contemnendas; tamen quando concurrunt cum aliis, quæ à pluribus recipiuntur, debent postponi, & est idem quod dicere, opinionem minus probabilem non esse contemnendam, quia suam habet probabilitatem, ad differentiam Sententiæ temerariæ, tamen considerata in concursu probabilioris est postponenda, nec propter hoc dicitur contemni &c. *Sic ille Basista ad locum Augustini*, quæ quomodo ad mentem Sancti Doctoris in præfenti Controversia ritè percipiendam possint infervire, Lector judicandi peritus, me etiam tacente videt, ut non opus sit prolixè id ostendere.

CAPITULUM SEPTIMUM.

De Libro Esther

Cujus auctoritatem Canonicam Evangelici indubiam planè habent, quo ad ea, quæ in authentico extant Textu, non autem quo ad appendices non unà de causa suspectissimos, & hinc Canone indignos: quos ut Bellarminus ad normam Tridentinæ Decisionis, contra explicationem Sixti Senensis, ad parem cum ipso libro evehat auctoritatè, auctoritate Augustini etiam præter alios se id impetrare posse existimat, nixus nõ solum eo testimonio, quod è libris de Doctrinâ Christiana in capite præcedaneo vindicavim⁹, sed & citatione quadam, quâ Augustinus alibi ex dictis hujus libri adpendicibus aliquid citavit. Cui minus augustæ demonstrationi, nescio, an commodius obviam possit iri, quam si huc adscribatur responsum *Tanneri*, quo eludere se posse putavit citatam à se sibi; objectam *Chemnitii & Hunni*, pro Canonicis Vet. Test. libris, è citatione Novi Testamenti desumptam probationem, ita scribens: *Ergo ne, qui allegantur, sacri erunt? Erit igitur sacer Scriptor Epimenides Poeta, cujus illud allegat Paulus: Cretenses semper mendaces. &c. Sacer etiam erit Menander cujus illum citat Senarium; Corruptum bonos mores colloquia prava. Sacer denique erit Aratus, ex quo in testem vocato hemistichium illud profert idem Paulus, Ipsius enim & genus sumus. Sed forte non tam honorificè citantur Poeta isti, quam Prophetæ Veteris Testamenti. Sanè Paulus cum Epimenidem adducit, vocat eum proprium Cretensum Prophetam, ejusque testimonium tanquam verum aperte comprobat, quod vix ita de Mose dicit: Uno verbo, fieri potest, ut ab Apostolis & Evangelistis citentur aut citati fuerint libri quidam Veteris Testamenti etiam non Sacri, ut ex adductis similibus exemplis liquet, idque reipsa accidisse circa librum Enoch & alios, qui citati interierunt, & nonnulli Patres & Viri doctissimi sentiunt. Ergo ex solâ per se alicujus libri citatione non sufficienter colligitur, eum librum esse Sacrum & Canonicum. Potuissent Hieronymi de his citationibus Paulinis auctoritatè interposuisse, graviter easdem enucleatis, nisi Papistæ Papistam opponere consultius fuisset visum, cujus verba etsi non omnia ejusdem sint æstimmii, nec etiam ex asse propositæ objectioni faciant satis, tam è ad enervandam auctoritatem Canonicam citatione Augustinianâ nixam esse possunt sufficientia. Sed audi.*

Epist. 199.
ad hcd.

Theol.
Schol.
Tom. III.
p. 300.

vid. D.
Walth.
Cent. Mi
scell. pag.
632. & Rit.
tersh. S.
Lect. p.
560.

De Verbo Dei. Lib. I. Cap. VII.

audiat ipse Augustinus, quid de hisce & similibus statuendum sit citationibus, pertinenter ad præsens Institutum scribens: *Sibylla vel Sibyllæ, & Orpheus, & nescio quis Hermes, & si qui Vates alii, vel Theologi, vel Sapientes, vel Philosophi gentiū de Filio Dei aut de Deo Patre vera dixisse vel prædixisse perhibentur, valet quidem aliquid ad Paganorum vanitatem revincendam, non tamen ad istorum (scilicet Authorum & Librorum) auctoritatem amplectendam.* Quibus non multum dissimilia alibi hæc observavit: *Quisquis alienigena, i.e. non ex Israele progenitus, nec ab illo populo in Canonem sacrarum literarum receptus, legitur aliquid prophetasse de Christo, si in nostram venit aut venerit notitiam, ad cumulum à nobis commemorari potest, non quod necessarius sit, etiamsi desit, sed quia non inçogruè creditur fuisse & in aliis gentibus homines, quibus hoc Mysteriū est revelatum.* Aliorum quidè hæc referri, ex contextu facile patet; ea tamen in se continent, quibus ex allegatione alicujus Scripti & Authoris Canonicam auctoritatem minime sequi Augustinus docuit, qui dum, ut plures nunc Ejus ex variis Authoribus non Canonicis hic & ibi allegationes silentio præteream, tertium in specie librum Esdræ, quasi Christum prophetantis citat, Bellarminus autem infra in ultimo primi hujus libri capite, de Apocryphis speciatim agens testatur, Hieronymum aperte de tertio & quarto Esdræ libris significare eos non solum apud Libros non haberi, sed ne apud septuaginta Interpretes quidem, Patresq; interdum uti testimonii ex utroq; petitū, sed & rardū id facere, & eos nusquam sacros & Divinos appellare; sibi ipsi responsum ad objectiones à citationibus desumptas præparavit, atq; Augustinus ad pendicem libri Esther citando canonicam ei auctoritatem contulisse dicens non est, id quod ad sequentia etiam duo capita observari debet, in quibus dum ad probandam & libri Baruch, & ad pendicum Prophetiæ Danielis authenticam Augustini quoque, præter aliorum, citationes adducit Bellarminus, idem inservire potest & debet responsum.

lib. 13. c. 62.
tra Faust.
Manich.
cap. 15.
lib. 18. de
C. D. c. 47.

Ibid. cap.
36.

CAPUT DECIMUM,

De libris Tobie, Judith, Ecclesiastici.

Horum ut & omnium cæterorum, quos in numerum Apocryphorum referimus Evangelici, ut Augustini auctoritate defendat authenticam Bellarminus, præter citatū non semel & jam vindicatum ex secundo Ejus libro de *Doctrinâ Christiana* testimonium, provocat ad duplicem locum à Chemnitio citatum, ut retorquere eum possit, ac inde aliquid pro Canone suo, ut ita dicam vel scribam, apocrypho accipere subsidium. Collegit diligentissimus simul & accuratissimus Synodi Tridentinæ Examinator Chemnitius in Examine Decreti de libris Canonicis, aliquot pro Scripturæ Sufficiencia & Perfectione ex Augustino testimonia, iis Solaribus radiis scripta, ut nulla omninò ratione obtenebrari possint. Ex eorum serie duo tantum excerpere placuit Bellarmino, ea nimirum, quæ in rem suam quam maximè idonea existimabat, falsus quamvis. Dum enim Chemnitius de libris ab Augustino in numerum Canonicorum latiori significatu relatis ex ipso Augustino, ut ad caput antecedens quartum fuit observatum, monet, *non omnium eandem esse certitudinem & auctoritatem, quosdam enim ex illis ab omnibus accipi Ecclesiis, quosdam non item, sed à quibusdā tantum, & illos, qui ab omnibus accipiuntur, præponendos esse eis, quos aliqua non accipiunt, & in his rursum, qui à pluribus & gravioribus accipiuntur, præponendos esse iis, quos pauciores minorisq; auctoritatis Ecclesia tenent;* quasi Chemnitius hæc ex sua scripsisset mente, vanissimam hanc dicit esse distinctionem Bellarminus non attendens, esse eam ipsius Augustini, quam ex Augustino tamè refelli posse putavit, duobus in locis à Chemnitio citatis, videlicet libri undecimi contra Faustum capite quinto, & secundi contra Cresconium trigesimo secundo, ut & aliàs non semel docente, *dici Libros Canonicos, quia sint quasi Norma & regula, quâ Imperitiæ nostræ regatur infirmitas, & ex quâ de omnibus aliis Libris judicetur, unde sequatur, iudice Bellarmino, non contra Chemnitium, sed Augustinum, illos libros regulam & normam esse non posse, qui non sint infallibilis Veritatis.* Ut vanitas hujus consequentiæ, quam Bellarminus ex verbis Augustini à Chemnitio citatis necit, manifestior adpareat, reddo verba, quæ ante jam ad citatum caput quartum è propriâ Ejus pennâ fluxerunt, ingenuè contra seipsum agnoscentis, *Augustinum fuisse certissimum, omnes libros Canonicos esse infallibilis Veritatis, sed non fuisse æquè certum de omnibus libris, quos enumeravit, an essent Canonici.* Addantur cætera ibi prolixius recitata, & constabit, vim factam esse distinctioni Augustinianæ à Chemnitio productæ, cum ipse Bellarminus, qui vanitatis eam adculavit, proprio eam comprobare coactus fuerit, vi apertissimæ Veritatis, testimonio. Indubium videlicet ex supra adductis est & esse debet, hicq; iteratò repetendum & observatu in hæc Controversia dignissimum, libros dici Augustino, sicut & cæteris Scriptoribus priorum Seculorum Ecclesiasticis, Canonicos non in strictâ significatione illa, quâ his posterioribus Seculis accipitur, sed in latiori, inque eorum numerum referri, qui ex consuetudine tum receptâ ad fidelium ædificationem publicè & privatim lecti & ita Canonici sunt habiti. Et hinc etiam responso est petenda ad id, quod Bellarminus proximè post hæc objicit, ut obtineat, Indicem librorum Scripturæ ab Augustino recensitum esse non nisi in strictiore significatu Canonicorum, ita porro scribens: *Quod Augustinus reverè senserit, omnes eos libros, quos ibi vocat Canonicos, infallibilis esse Veritatis, patet tum ex Concilio Carthagenensè tertio, cui ipse (scilicet Augustinus) subscripsit; tum etiam, quia non potest proferri*

unus ex Augustino locus, ubi librum aliquem vocet *Canonicum*, & tamen de ejus veritate dubitari posse dicat, contra verò infinita proferruntur loca, ubi dicit, omnes libros, qui vocantur *Canonici*, infallibilis esse Veritatis. Hinc inquam, petenda est responsio, libros nimirum Scripturæ non uno eodemque modo apud Scriptores Ecclesiæ dici *Canonicos*, sed diverso, ut dictum est, respectu, ut plurimum verò significatu latiori, quod ipsa Augustini verba non semel citata satis superque nos possunt docere, ex quibus manifestè salum esse adparet, quod Bellarminus tam audacter, non sibi ipsi tantum, sed & Augustino in faciem contradicens, sine omni ruboris sensu scripsit: *Augustinum reverè sensisse, eos omnes libros, quos ibi vocaverit Canonicos, infallibilis esse Veritatis*. Non sibi, inquam, ipsi tantum, qui in paulò antecedentibus verbis ingenuè fassus est, *Augustinum non fuisse certum de omnibus libris, quos enumeravit, an essent Canonici*, ut brevissimè adeò fuisse Bellarminum oportuerit memoriæ, in tam brevi verborum & unius ferè spiritus ambitu tam contraria scribentem; sed etiam, ut dixi, Augustino, qui dum in dignoscendis S. Scripturæ Libris, ut vocat, *Canonicis* ad diversum Ecclesiæ hujus & illius iudicium & consensum provocat, adque plurimum Sententiam monet esse respiciendum, eo ipso *Authoritatem eorum Canonicam*, quam ipsis latiori significatu adscripsit, non infallibilis per omnia Veritatis esse, satis clarè docuit. Testimonium Concilii *Carthaginensis*, juxta comunem computum tertii quod attinet, cujus consensum Bellarminus ideò urget, quia Augustinus quoque inter fuisse eidem & subscripsisse legitur, non nescivit ipse Bellarminus, quid à nobis opponi & responderi possit, nimirum habere nos pro nostro Canone testimonium Concilii antiquioris, videlicet *Laodiceni*, in quo illi libri à Canone rejiciuntur, qui à *Carthaginensi* in Canonem recipiuntur, utpote cui objectioni aliàs satisfacere studuit, regerens, *Concilium Carthaginense majoris esse authoritatis quam Laodicenum, tum quia posterius, tum quia Nationale fuit & à Leone quarto confirmatum, Laodicenum verò tantum Provinciale & à Pontifice non confirmatum, itaque hic posse locum habere Augustini illud, Concilia priora emendari à posterioribus; illud tamen loco secundi addens responsi: neutrum errasse Concilium. Laodicenum namque eos in Canone posuisse libros, de quibus Episcopi ejus Concilii fuerint certi, alios autem omisisse, non quidem negantes, eos esse Canonicos, sed nolentes rem definire dubiam; Carthaginense autem re magis discussà id definivisse, quod prius Concilium sub dubio reliquerat. An solverit nodum hanc responsione Bellarminus, contrariasque duarum Synodorum non integro à se invicem Seculo distantium Constitutiones ritè conciliàrit, ne erravisse ullà ratione videantur, aliis loci & temporis est labor. Hic illud tantum noto, malè Eum, utpote Antiquarium, & pro Decretorum antiquitate contra quosvis Novatores agentem, *Carthaginense Concilium Laodiceno* quoad valorem & authoritatem præpouisse ideò, quia posterius; cum potius ex Instituti ratione in contrarium planè argumentari deberit, nisi arguari voluisset, nihil quidquam subsidii ferente Augustini testimonio, ut tum videbitur, ubi ad hunc devenimus locum. Ea inter circa Synodi *Laodicena* pro Canone Verò Definitionem, ab aliis observatum hic addo, *Dionysium Exiguum*, Canonum Ecclesiasticorum Collectorem, uno præter propter Seculo ab eà remotum, inseruisse quidem Codici suo hujus pro Libris S. Scripturæ *Canonicis* Decreti initium, quo prohibetur, ne præter *Veteris & Novi Testamenti Volumina ulli alii legantur Libri*; sed eorundem Librorum Indicem prorsus omisisse, veritum, ut Eruditi judicant, ne Romanam offenderet Ecclesiam, Innocentio Pontifice aliquot ante Annis eos in V. T. Canonem referente, quorum nulla apud Patres *Laodicenos* erat mentio, cum viginti tantum & duorum V. T. Librorum meminerint. Et ut ad ipsum Canonem Concilii *Carthaginensis* veniam, in quo Apocryphorū authenticam Bellarminus fundari putat, Augustino ejusdem parte nõ exiguà consentiente, præter id, quod jam non semel est observatum, dictos fuisse tum temporis ut plurimum *Canonicos* sensu ampliori; illud notari debet, quod non solum in genere de hujus Concilii Canonibus monuit *CORIOLANUS*, esse plurimum aliarum Synodorum, nec simpliciter unius Concilii; sed & in specie de hoc Canone *BAILIUS*, esse eum ex alio *Carthaginensi Concilio transcriptum*; ut adeò, quo tempore Decretum hoc fit formatum, non ita constet, & hinc authoritas ejus non ulquequaque sit immota & infallibilis, nisi aliunde suffulciatur. Ut taceam, sufficiens suppeditare responsum ad canonem sextum & vigesimum ejusdem Concilii, laudatum modo *Coriolanum*, qui, dum Patres ejusdem unanimiter constituerunt, ne *prima Sedis Episcopus* adpelletur *Princeps Sacerdotum, aut summus Sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantum prima sedis Episcopus*, inter alia hæc annotavit præprimis observanda: *Cum hoc Concilium fuerit Nationale, non univèrse, sed Africana tantum Ecclesia leges tulisse potuit*: quo vel simili responso *Sylvius* etiam præter alios huic Decreto satisfacere conatus est, non attendendo, quod *Hardingus* antehac, Scriptor Anglus, zelo pro *DEI* domo, ex *Possëvini* Elogio, fervens, contra *Ivellum*, itidem Anglum, ad hoc Decretum, contra *Suprematum Pontificis Romani* provocantem opposuit,*

lib. II, de
Concil.
author.
cap. 8.

vid. Dallej,
de usu Pa-
trum, pag.
72.

fuit, videlicet, Bonifacium, Papam hujus nominis secundum, cui tanquã Fratri & Confacerdoti, & aliis earum partiũ Episcopis, hujus de libris Canonicis Decreti confirmacionem commendãrunt Episcopi in hac Synodo congregati, & inter eos Augustinus, ob alterum illud Decretum sumi Sacerdotii prohibitorium, in peculiari ad Eulaliũ, Alexandriã Episcopum, Epistolã, graviter esse conquestum, quod Aurelius Carthaginensis Episcopus, & Collegã ejus in hoc Concilio (interq; eos Augustinus) *instigante Diabolo super bire cœperint, contra Romanã Ecclesiam*, ut in non unis Conciliorum Tomis vel Editionibus hæc verba leguntur, vel ut *Cosfero* ea placuit citare, quod *Africani tunc meditari videbantur à Sede Romanã defectionem*, quamvis tota hæc Bonifacii Epistola ob causas satis prægnantes, & quæ maximi videntur esse momenti, suspecta videatur Bellarmino, quin & *Baronio, Binsio, Possè vino, Grefero*, aliis, qui, quã inter se convenire queant ratione, ipsi videant, nobis ad hæc spectatoribus otiosis. Sed ad Augustinum, ex cujus Scriptis dum Bellarminus ne unum proferri posse putat testimonium, *ubi Librum aliquem vocet Canonicum, & tamen de ejus veritate dubitari posse dicat*, sui iterum & paulò ante scriptorum imemor plurimum fallitur. Si enim, quæ Bellarmini verba sunt, Augustinus non *equè certus fuit de omnibus libris, quos enumeraverat, an essent Canonici*, & tamen eos expressè ad Canonem Scripturæ retulit, inde patet clarissimè, dictos ipsi fuisse latiori significatu *Canonicos*, de quorum veritate & authentia non omnimodè fuit indubius, ad Ecclesiã hujus & illius censuram & judicium provocans; de libris in specie Maccabæorum testatus, quos inter Canonicos retulit, *ut sobriè legantur vel audiantur*, verbis ad caput quartũ citatis. Non tamen inde sequitur, Augustinus more seculi libros plures dixit esse *Canonicos* sensu ampliori, ergò ubiq; hoc sensu de libris Scripturæ Canon. & nullibi de Vero & strictius ita dicto Canone egit. Ultrò enim agnoscimus, non pauca, quamvis juxta hyperbolen Bellarminianam non infinita, eaq; egregia hic & ibi in Augustini Scriptis extare testimonia, quæ veri Canonis indubiam tuentur auctoritatem, inter quæ suo præferimus merito Verba, quæ & Bellarminus contra se pro Evangelicis adduxit, & *Gratianus* etiam Juri, quod dicitur, Canonico, & *Thomas* primæ parti summæ, uterq; mox sub initium inseruit, hic quoq; iteratò legenda, utpote in posterum aliquoties usui futura. Ita autem Doctor augustissimus: *Ego solis eis Scripturaru libris, qui jam Canonici adpellantur, hunc titulum & honorem didici deferre, ut nullum eorum Auctorem scribendo aliquid errasse credam firmissimè*. Addit paucis interjectis, quæ Bellarminus adijcere ausus non est: *Alios autem ita lego, ut, quantumlibet Sanctitate Doctrinãq; præpollent, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabiliratione, quod à vero non abhorreat, persuadere poterunt*. Alia recensere similis per omnia tenoris supercedeo, utpote alibi maximo collecta numero, quorum ex parte loca ipse etiam Bellarminus indicavit. Id nunc super adhuc est, ut ostendatur, Bellarmini contra *Chemnitium* ex Augustino pro libri alicujus auctoritate Canonicã illationè, ex testimonio Ecclesiã Scriptori Canonico cœtanæ delumtam, nobis ad eò non adversari, ut id testimonium potius, præsuppositis præsupponendis, ambabus iterum amplectamur ulnis, iis Augustini verbis, ad quæ libri tertii & trigésimi, contra Faustum Manichæum, capite sexto exstantia Bellarminus provocat, addentes alia, quæ capite secundo libri vigésimi & octavi antecedentis, contra eundem hunc in modum leguntur: *Sicut ego credo, illum librum esse Manichæi, quoniam ex ipso tempore, quo Manichæus vivebat in carne, per discipulos Ejus, certã successione Præpositorum vestrorum, ad vestra usq; tempora custoditus atq; per ductus est, sic & istũ librum crede esse Matthæi, quem ex illo tempore, quo Matthæus in carne vixit, non interruptã serie temporum, Ecclesia, certã connexionis successione, usq; ad ista tempora perduxit*. Et si ad speciem est veniendum, præprimis quoad rejectionem Librorum Apocryphorum, quos nunquam Ecclesia vel Judaica vel Christiana pro Canonicis agnovit, non rejicimus testimonium Ecclesiã negativũ, quod attinet librum *Henochi*, utpote nulla habentẽ testimonia ejus temporis, quo scriptus fertur, quin nec proximorũ quoq; temporum, ut Bellarminus ex capite trigésimo & octavo libri decimi & octavi *de Civitate Dei* deducit; addentes potius aliud ejusdẽ Augustini, de eodem hoc Enochii libro, ex ejusdem operis libri decimi & quarti capite vigésimo & tertio testimonium, juxta cujus methodum de aliis etiam libris Apocryphis judicari posse non inconsultum videtur: *Scriptissè quidem nonnulla Divina Enochum illum ab Adamo Septimũ, negare non possumus, cum hoc in Epistolã Canonicã Iudas Apostolus dicat. Sed non frustra non sunt in eo Canone Scripturarum, qui servabatur in Templo Ebraei populi succedentium diligentia Sacerdotum. Cur autem hoc, nisi quia ob antiquitatem suspecta fidei judicata sunt, nec utrum hæc essent, quæ ille scripsisset, poterat inveniri, num (rectius non) talibus proferentibus, qui ea per seriem*

Enchir.
cap. III.
p. m. 158.

vid. Blöd.
Pseudo I.
fid. p. 189.

Epist. 19.
ad Hieron.

seriem Successionis reperirentur rite servasse. Huic de Enochi libro Sententiæ, quâ inter Apocryphos omni jure recensetur, utut hoc demum Seculo se opponere, eundemque tanquam antiquissimis Ecclesiæ Patribus olim in pretio habitum, sæpeq; laudatum, sed à posterioribus sorte iniquiori sub medio positum, penitusque suppressum, conatus sit *Boulducus* novo planè instituto super Candelabrum reponere, ut luceat omnibus, qui in Domo Ecclesiæ sunt, vel potius, ut omnes interitum ejus, ac tam rutilantis Lampadis extinctionem sine fine defleant, addens responsionem ad citata Augustini Verba; non ea tamen protulit in medium, quæ à priori Sententiâ quemquam judicio pollentem movere possent, modò non multò magis eandem confirmarent, id quod breviter ex occasione hic adnectendum fuit.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

De Libro Sapientiæ.

DE quo juxta Augustini mentem ante, quam agamus, ad duo capita proximè antecedentia tribus, ut vulgò dicitur, verbis notari debet: Libro Tobiz authoritatem Canonicam ex eo adtribui non posse, quod Augustinus in libro, qui *Speculi* nomine inter Ejus opera extat, aliquam ejus facere mentionem legitur, in præfatione testatus, *sententias ex Libris Canonicis collecturum*; cum ipse Bellarminus in de Ecclesiasticis Scriptoris opere agnoverit, *de Authore libri hujus aliquos dubitasse*; exque accuratâ lectione constet, aut authorem ejus non esse Augustinum, aut ab alio quodam Augustini temporibus posteriore interpolatum, nonq; unis Sententiis hinc & inde conquisitis auctum, Quod verò ad librum *Judith*, dum ipse iterum Bellarminus fateri coactus fuit, diversas esse de tempore illius Historiæ opiniones & sententias, quibusdam id ante, aliis autem post Babelicam Captivitatem statuentibus, pro ultima hæc Sententia ad Augustini authoritatem provocans, inspectus certè locus à Bellarmino citatus tam non pro authenticâ hujus Libri militat, ut potius non parùm evertere eam videatur, ita nimirum se habens: *Per idem tempus*, regnantibus videlicet Cyro & Dario, Persarum Regibus, *illa etiã sunt gesta, quæ conscripta sunt in libro Judith, quem sanè in Canone Scripturarum Iudæi non recepisse dicuntur.* Observat in Commentario adhunc locum eruditissimus *Vives*, Hieronymum monere, *librum hunc, Chaldo scriptum Sermone, minus authoritatis habere ad ea roboranda, quæ in contentionem veniunt.* Quod verò addit: *Sanctum Concilium Nicanum inter sacrarum Scripturarum Volumina & hunc Librum computasse*; examini posset, & fortè etiam deberet subjici, nisi à Vindictis hisce Augustinianis alienum esse videretur, quamvis, si de hujus libri authenticâ in Nicæna Synodo aliqua fuisset Constitutio, mirum non immeritò esset, Augustinum ejus non expressam fecisse mentionem, ac Judæorum Canonum Christianorū non opposuisse: ut de aliis Scriptoris Ecclesiasticis, post hanc Synodum florentibus, & hunc librum Canone Christianorū excludentibus non dicam, & speciatim *Hieronymo*, ex cujus diversis operibus diversa quatuor testimonia contra Canonicam hujus libri authoritatē nuper collegit, qui notitiam Conciliorum Ecclesiæ cum Varijs observationibus Luci publicè exposuit, *Johannes Cabassutius*, Aquilexensis, Presbyter Congregationis oratorij, non unis Adprobationibus & Encomiis, ex more præfixis, munitus, alios etiã addens, qui & de ipso Synodi Nicænæ Decreto circa hujus Libri canonisationem dubitarunt, & ipsam ejus authenticam habuerunt suspectâ. Verum ut ad librum huic capiti præscriptum veniamus, cui ex Augustini testimonio authenticam impetrare conatur Bellarminus; vindicanda simul erit innocentia *Chemnitii* à Bellarmino iniquiùs habitis, incredibilem imprudentiam ei impingendo, *quod videlicet Augustinum truncatè citarit, & adseruerit, Sapientiæ Librum Augustino non fuisse Divinum, & infallibilis per omnia Veritatis.* Ut meritissimi de Ecclesia Evangelico-orthodoxa *Chemnitii* sinceritas, & Fama à gravi hac adulatione liberetur, sciendum est, citasse alicubi Augustinum nemini non notum ex Sapientiæ Libro testimonium, *Raptus est, ne malitia mutaret intellectū ejus.* Non placuit hæc citatio Gallis Massiliensibus, Pelagianorum ibi reliquis, hodie sub Semipelagianorum nomine notis, utpote de quibus in quadam *Hilarii* ad Augustinum Epistola legitur expressè: *Illud testimonium tanquam non Canonicum definiunt omittendū.* Si Canonicus hic Liberâque Ecclesia tum temporis pro Canonico habitus fuisset, tenebatur omninò Augustinus ejus Canonicâ Authoritatem, contra hos opposcentes omnibus modis defendere, id quod tamen ab Eo non factum. Quid ergò respondit Augustinus: *Se posita libri authoritate ipsam rem jubet altius considerari, scribès: Quasi excepti à hujus libri attestacione res ipsa non sit clara, quam volumus hinc doceri? Quis enim audeat negare Christianus, Iustum, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio futurū? Quilibet*

lib. I. de
Ecclef. an.
te Legem,
cap. 19.
vid. Th.
Bang. in
Cælo Ori-
ent. Exer-
cit. I.
Quæst. V.
pag. 21.
seqq.

lib. 18. de
C. D. c. 26.

ad Synod.
Laodice-
nam, pag.
187. Edit.
Lugdun.

bet hoc dixerit, quis homo sanae fidei resistendum putabit? Iterum dico iterumque, si Augustinus de canonica hujus Libri autoritate certus fuit & indubius, non potuit non eam tueri contra ejus tam manifestos oppugnatores. At satis fuit augustissimo Patri, Sententiae Veritatem propugnasse, quamvis auctoritatem Libri Ecclesiasticam insuper quoque urserit, quam neque nos eidem volumus detractam. Ita autem post aliqua scribit: *Qua cum ita sint, non debuit repudiari sententia Libri Sapientiae, qui meruit in Ecclesia Christi, de gradu Lectorum Ecclesiae Christi, tam longa annositate recitari, & ab omnibus Christianis, ab Episcopis usque, ad extremos laicos, fideles, penitentes, catechumenos, cum veneratione Divinae auctoritatis audiri.* Pergit mentem suam explicare: *Certe enim, si de Divinarum Scripturarum tractatoribus, qui fuerunt ante nos, proferrem hujus sententiae defensionem, quam nunc solito diligentius atque copiosius contra novum errorem Pelagianorum defendere urgemur: si hujus, inquam, sententiae defensionem ex Divinorum Eloquiorum nos praecedentibus Catholicis tractatoribus promerem, profecto adquiescerent.* *Quid igitur, (rectius autem) opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui, priusquam ista haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum questione versari, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur.* Sed qui sententiae tractatorum instrui volunt, oportet, ut istum Sapientiae Librum omnibus tractatoribus anteponant, quoniam sibi eum anteposuerunt etiam proximè Apostolorum temporibus egregij tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere, nisi Divinum testimonium crediderunt; è quorum numero in antecedentibus & sequentibus Cyprianum praecipuis nominat, hoc testimonio in scriptis suis utentem. Dixi, & adhuc semel dico & scribo, neque nos Evangelicos auctoritatem libro huic Ecclesiasticam denegare, ut potè qui non privatim solum, sed & in publicis Ecclesiae conventibus, nec absque aedificationis spe, legitur & explicatur, de quo etiam, ut Theologorum Elogia huc non congeram, suis quaeque locis legenda, in scriptis Patrum non hospes scriptor Barthius, in suis ad Claudianum Animadversionibus, nemine haecenus, quod sciam, ex Evangelicis contradicente, non adeò dudum scripsit: *se extra Sacrorum Voluminum Canonem nullum unquam librum huic comparabilem vidisse.* Neque quidquam contra mentem Augustini dixit aut scripsit Chemnitius, ut per incredibilem impudentiam Bellarminus ei imputat, quia potius ad consensum Hieronymi provocat, utrumque idem de hoc libro, ut & de ceteris omnibus Apocryphis statuisse monens: *Manifestum est, Augustinum de distinctione Librorum Sacrorum idem sentire, quod Hieronymum, nimirum, legere eos Ecclesiam ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum Dogmatum confirmandam, primario scilicet, & nisi ex Authoribus Canonice alia praecedant testimonia.* Leguntur autem haec Verba Hieronymi in praefatione Ejus ad libros Salomonis, quorsum etiam pertinent, quae de hoc Sapientiae libro, ut & ceteris omnibus Apocryphis, in Prologo Ejus galeato scripsit, qui communiter aliàs & plerisque Vulgatae Versionis Editionibus praefixus, cur in opere Parisensi Heptaglotto desideretur, ceteris suo ordine exhibitus, non sine causa forsitan inquiritur. Et ne aliquem Veneratae Divinae auctoritatis huic libro ab Augustino attributa offendat, cui adcedit, quod idem Augustus Doctor ingenue fateatur, tractatores Divinorum Eloquiorum temporibus Apostolorum proximos, nominatim Cyprianum, hoc testimonium tanquam divinum adlegasse; illud praeter ea notandum venit, Augustinum hoc ipso nihil aliud intellectum voluisse, quam quod ipsa LECTIO hujus libri in Sacris ea eidem accedat venerationi, quae ceteris S. Scripturae libris indubitato Canonice & Divinae auctoritatis fieri solet, dum pari veneratione à simplicioribus auditorum acceptatur, hoc quoque de Justo morte praeproperè testimonium idèò tanquam Divinum à Cypriano, aliisque tractatoribus Ecclesiasticis antiquioribus citatum fuerit, quia cum aliis scriptorū S. Codicis Canonice testimoniis ex assè convenit & consentit. De cetero, auctorem hujus libri, quod attinet, parum omnino interest, cui praecipue attribuat, cum praeter alios Ecclesiae Doctores, ipse etiam Augustinus non idem semper & constanter de eo senserit, id quod Bellarminus quoque debuit agnoscere, quod, dum in de Doctrina Christiana libris, loco superius citato, eum Syracidi adscripsit, postmodum retractarit, lib. II, c. 4. illud non solum in dubium vocando, sed omnino probabilius statuendo; *Eum non esse hujus libri auctorem; antea etiam in illustri de Civitate Dei ad Marcellinum opere testatus, obtinuisse consuetudinem, ut hic liber Sapientiae & Ecclesiastici propter Eloquij nonnullam similitudinem Salomonis dicantur, doctiores autem non dubitare, Salomonis non esse: ut adeò Bellarminus sui iterum & Veritatis quam maxime immemor scripserit: omnes Veteres hunc librum Salomonis esse adserunt, ex quo manifestè sequitur esse Canonicum, quo nihil impudentius, in hac quidem re, dici aut scribi potuit.*

ad lib. II.
in Ruffin.
p. 1257.

lib. II, c. 4.

lib. 17.
cap. 20.

CAPUT

cap. 11.
cap. 3.
Prov. 25.
v. 27.
cap. 15.
vid. Rai-
nold. de II.
Apocry-
phis.
Tom. II.
pag. m.
s. 14. seqq.
cap. 1.
Antequam ad eorum ex Augustino Examen progrediamur, opus est, ut breviter & in transitu quasi id etiam tangamus, quod Bellarminus in capite præcedaneo ad authoritatem Ecclesiastici ex Augustino produxit, statuens, dum Augustinus in libro contra Priscillianistas ad Orosium, ex capite tertio Ecclesiastici aliqua citando verba, *divinam clamare Scripturam* dixit, eo ipso hunc librum pro verè & propriè Canonico habuisse, à que omnibus idèò habendum esse. Verùm præter id, quod non semel hætenus ad citationes Augustinianas ex libris non verè & propriè Canonicis est responsum, id insuper etiam notari potest, Augustinum, dum citata ex Ecclesiastico Verba divinam dixit Scripturam, ad id sine dubio respexisse, quod similia alibi in libris indubitato Canonicis extarent, qualia facillè, ubi opus erit, ostendi possunt. Ubi enim Syracides hortatur, *Altiorate ne quæsieris*, in ipsâ versione vulgata per Parallelismum marginalem reducitur ad tritum regij Parcemiastis oraculum, quo *scrutatore[m] Majestatis oppressum iri à Gloria* dicitur: Versio[n]e quamvis ab Ebræo Textu non planè nihil recedente, id quod dudum à celeberrimis Textûs Sacri Vindicibus, *Franzio, Tarnovio, Glassio*, aliis est ostensum. Non enim vel ab Augustino *Ecclesiasticum* inter indubitato Canonicos Authores habitum, vel ab aliis tempore Augustini inter eos numeratum fuisse, de cuius authenticâ nullum planè sit dubium, ex aliis constat locis, in specie autem eo, qui ad præcedanei capitis finem ex illustri opere de *Civitate DEI* fuit adductus, ubi de eo quidem, & libro Sapientiæ fatetur, quod *Ecclesia maximè Occidentalis* (ergo non Catholica & universalis), *antiquitus eos in auctoritatem* (an propriè Canonicam?) *recepit*; sed tamen id etiam notanter addit, quod *adversus contradictores non tantâ auctoritate proferantur, quæ scripta non sunt in Canone Iudeorum*: id quod itidem in de *Curâ pro mortuis* observavit, quod tamen locum non haberet, si ullâ ratione auctoritas Canonica verè eis potuisset adtribui, contra quosvis oppugnatores quovis modo vindicanda, ad quem modum Papistæ hodiernum pro non unius Libri Authenticâ pugnant, etsi non nesciant, eos Evangelicis eo in pretio & respectu non esse. Nunc ad libros *Maccabæorum*, quos num Augustinus pro verè & propriè Canonicis S. Scripturæ Libris habuerit, paucis videbimus. In genere provocat Bellarminus ad duo illa ex Augustino testimonia, quæ suprà jam ad caput quartum ex laudato opere de *Civitate Dei*, & altero contra Gaudentium Libro citata fuerunt; in quibus etsi Sanctus Pater agnoscit, *Ecclesiam*, id est, ut modò audivimus, occidentalem, ad eòq; non Catholicam & universalem, eos *pro Canonicis habere*, in latiori nimirum significatu, ut superius non semel monitum, & proximè iterum monebitur, nullam videlicet aliam ob causam, quam propter *Martyrum passiones*; illud tamen expressè etiam fatetur, *ea quæ in his Maccabæorum libris narrantur, non pertinere ad Scripturas Sanctas, quæ Canonice adpellantur*, in angustiiori nimirum significatu; neque authorem horum de Maccabæis librorum cæteris Testamenti Veteris Scriptoribus Canonicis adnumerari, quibus, tanquam testibus suis, in Novo Testamento Dominus perhibet testimoniis, quin & intuper sobriè hos libros esse legendos vel audiendos, quâ cautione opus non fuisset, si de Canonicâ & infallibili eorum auctoritate & veritate constaret. Ex octo autem illis objectionibus, ad quas pro defendendâ utriusq; libri hujus authenticâ Bellarminus respondere conatur, duæ tantum sunt, & in specie quidem prima & ultima, quibus refellendis Augustini auctoritate pugnat, quamvis utrobique infeliciter. Ad primam enim, de facto Judæ Maccabæi, qui pro mortuis Sacrificium offerri iussit, dum tria Augustini testimonia citavit, ut sibi quidem videbatur, ex hoc ipso Judæ Maccabæi facto probantis, *pium esse pro mortuis orare*, Lectorem minus curiosum, aut de veritate rei ex debito sollicitum, quam maximè sefellit, dum ex trium locorum, ad quæ provocavit Bellarminus, numero unus tantum, & ordine tertius agat de hoc Judæ facto, cæteris duobus ne verbulo quidem ejus mentionem facientibus, id quod ipsâ locorum inspectio docet: quamvis nec ad eò magnum pro auctoritate horum de Maccabæis librorum Canonicâ subsidium tertius suppeditare possit locus, ex proximè citato de *Curâ pro mortuis* libro desumptus, eum nihil aliud in se contineat, quam compendiarium ipsius facti narrationem, quod nimirum in *Maccabæorum libris legatur pro mortuis sacrificium*, nullâ planè mentione auctoritatis Canonice factâ, hoc solum addito: *Etsi nusquam omninò in Scripturis veteribus legeretur, non parvam esse universæ Ecclesiæ, quæ in hac Consuetudine claret, auctoritatem, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino DEO ad Ejus Altare funduntur,*

suam quoque, habet locum commendatio mortuorum, quæ tamen Augustini verba inferius suo loco uberius ponderabuntur, nisi quod ea inter ex iis ritè consideratis adparet, non bene Bellarminum scripsisse, *Augustinum, quia libros Maccabæorum credidit esse Canonicos, inde Eum collegisse, bonum esse pro mortuis orare, cum planè contrarium inde sit manifestum.* Ad ultimam objectionem de facto Razia seipsum occidentis ex duplici iterum testimonio Augustini, hunc in modum pro obtinenda autoritate horum librorum Canonicâ respondet Bellarminus, *Mortes horum hominum, & nominatim Razia, narrari in Scripturâ, non laudari, vel certè non ita laudari, quasi pie & sanctè fecerint, quod fecerunt, quamvis audacter & viriliter & hominum iudicio fortiter eos id fecisse, negari non possit.* An bene mentem super hæc re Augustini ceperit vel explicarit Bellarminus, commodius percipi non potest, quam si Ipsum audiamus, qui notanter de Eo sequentia hæc observavit: *Razias humilitatem inter manus inimicorum ferre non valens, planè non Sapientia, sed insipientia dedit exemplum, non Christi Martyribus, sed Donati Circumcellionibus imitandum.* Et post aliqua: *At enim Sanctarum Scripturarum autoritate laudatus est Razias.* Verba hæc sunt non Augustini, sed Gaudenii Donatistarum Episcopi Augustino hæc objicientis, ad quæ Augustinus ita respondet: *Quomodo laudatus? quia fuit amator Civitatis. Hoc potuit & carnaliter, civitatis videlicet illius terrena Hierusalem, qua servavit cum filiis suis, non autem illius, quæ sursum, libera Matris nostra. Laudatus est, quia continentiam servavit in Iudaismo; & hæc sibi in comparatione Iustitia Christiana damna & sterora fuisse dicit Apostolus. Laudatus est, quia Pater Iudæorum adpellabatur. Hoc magis est, unde & illi tanquam homini subrepit humilitatis impatientia, ut prius mori vellet, quam hostibus subjici. Dicitur est, quod elegerit nobiliter mori. Melius vellet, (vel potius voluisset) humiliter, sic enim utiliter. Illis autem verbis Historia gentium laudare consuevit, sed Viros fortes hujus Seculi, non Martyres Christi. Dicitur est, quod se viriliter de Muro præcipitaverit in turbas. Neque nos dicimus, Eum hoc fecisse muliebriter. Ad extremum, quod invocasse dicitur Dominatorem vitæ ac spiritûs, ut hæc illi iterum redderet, id est, vitam & spiritum; nec tunc aliquid poposcit, quo boni discernuntur à malis. Reddet enim Deus hæc & iis, qui male egerunt, non in resurrectione vitæ æternæ, sed in resurrectione Iudicii æterni. Laudatus est itaq; Razias iste amator civitatis, ut valde bene audiens, id est, bonæ famæ, quia Pater Iudæorum adpellatus est, & quod continentiam tenuerit in Iudaismo. Istam verò ejus mortem, mirabiliorem quam prudentiorem, narravit quemadmodum facta esset, non tanquam facienda esset, Scriptura laudavit. Nostrium est autem, sicut Apostolus monet, omnia probare, quæ bona sunt, tenere, & ab omni specie malæ abstinere. Et post hæc prolixiora, quæ necessariò exscribenda fuerunt, ut meus Augustini eò aperitior pateret, ea demum iungunt, quæ supra jam ad caput quartum adducta sunt, quibus expressè testatur Augustinus, hanc Maccabæorum Scripturam non habere Judæos sicut cæteros V. T. Scriptores Canonicos, quibus tanquam testibus suis in N. T. Christus testimonium perhibuerit; receptam verò esse ab Ecclesia (Occidentali, non Catholica & universali) non inutiliter, quod nec Evangelici hodiernum inficias eunt, si sobriè legatur vel audiat, id est, si juxta Apostoli monitum, quæ bona sunt, teneantur, de cætero ab omni specie malæ vel mali pro viribus abstineatur, id quod Augustinus hic adpositissimè post Apostolum monuit, de cætero omnibus Elogiorum argumentis, quæ Razia tam insigniter laudato in hac Maccabæorum historia adscribuntur, eam subjungens censuram, qua non parum se à iudicio hujus Maccabæi Scriptoris dissentire satis manifestè ostendit, alibi etiam apertissimè scribens: *Neg, frustra in Sanctis Canonicis Libris nusquam nobis Divinitus præceptum permissum de (addo, laudatum quoq; vel commendatum) reperiri potest, ut vel ipsius adipiscenda immortalitatis, vel nullius cavendi cavendiq; mali causa nobismet ipsis necem inferamus.* Quæ in altero super hæc re leguntur Augustini loco, quem Bellarminus citavit, cum eadem ferè sint cum iis, quæ contra Gaudentium scripsit, brevitatis causa merito omittuntur.*

lib. II.
contra
Gaud. Ep.
cap. 23.

lib. I. de
C. D. c. 20.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

De Epistolâ ad Ebræos.

Quæ in antecedente habet Bellarminus, de quibusdam partibus librorum Marci, Lucæ & Johannis, antehac à non planè nullis in dubium vocatis, & in non unâ S. Biblorum Editione desideratis, earum autoritatem Canonicam Augustini quoque te-

B

limo.

Epist. I.
V.

conf. Seld.
de Synedr.
Jud. lib. II.
cap. 4. P.
132. seqq.

lib. III.
cap. 22.

lib. I. de
peccat.
merit. &
remiss.
cap. 27.
lib. 16. de
C. D. cap.
22.

Prefat. in
Psalm. 31.

testimoniis confirmans, nos Evangelicos præcisè non atinet, à quibus hæ Evangelista-
rum partes in dubium non vocantur, sed tanquam ad Canonem pertinentes recipiun-
tur. Illud solum pede sicco non licet præterire, quod circa testimonium de *tribus in*
Cælo testibus Johannæum, à B. *Luthero* primùm in Versione Germanica gravibus de
causis omissum, communiter moneri solet. Utenim non repetam, quæ post D. *Ger-*
hardum plures alii ad eum observarunt, eas in specie Versiones Bibliorum nec unius
Idiomatis Editiones novantiquas colligentes, in quibus Oraculum hoc insigne deside-
ratur, ut adeò tam insigne falsi crimen B. *Luthero* non debuerit imputari, ac si hostis
Doctrinæ de SS. Trinitate fuisset, quam his quoq; temporibus crambem Lutheroma-
styges non sine fastidio recoquunt; hoc præsertim ubi proximè subsequens & immediatè subnexum de *tribus in*
Terrâ testibus testimonium suscepit explicandum, nullam ejus tamen ne verbulo quidem
fecit mentionem, eo ipso testatus, sibi illud in Sacro Canone non lectum fuisse. De
Epistola ad *Ebræos* breviter videamus, quam & Paulum agnoscere Authorem, & Ca-
nonicam esse, Bellarminus eo etiam Augustini testimonio demonstrare nititur, de quo
supra jam ad Caput quartum ex Ejus de *Doctrinâ Christianâ* libris est actum, ut iteratâ
responsione Lectorem fatigare necessum non sit. Et si enim huic Epistolæ authorita-
tem Canonicam non denegemus Evangelici, eam tamen ex citato Augustini loco infal-
libiter non probari, ex jam dictis manifestum est. Accedit, si hunc augustum Docto-
rem alibi de hac Epistola ejusdemq; autoritate differentem audiamus, de Ejus mente
aliter judicandum videri. Hinc quamvis testetur, *Ecclesiarum* (non omnium, sed tan-
tum) *Orientalium* (quibus aliàs opposuisse legitur Occidentales) *authoritate moveri*
se, quæ Epistolam hanc in Canonicis (an propriè & strictè ita dictis?) *habeat*, ingenuè ta-
men agnoscit, *eam nonnullis incertam esse, imò quosdam negare, Apostoli eam esse*, id est,
Paulum agnoscere Authorem. Unde & Eruditissimus Commentator *Vives* expressè
Augustinum inter eos Patres & Doctores Latinos refert, qui de Epistola hujus Autho-
re ambigunt, addens, *ante Hieronymi ætatem à Latinis hanc Epistolam inter Sacras non esse*
receptam; quem computum Bellarminus ad *Lactantium* restrinxit, sed justo restrictior, ut
in Scriptis antiquorum versatis sufficienter constat. Quæ ad obviandum difficultati-
bus, quas partim Centuriatoribus *Magdeburgicis*, partim *Cajetano* adscribit Bellarminus,
quarum respectu dubia posset videri hujus Epistolæ autoritas, in specie ex duobus
Augustini testimoniis citat, quia specialioris sunt argumenti, adq; præsentem non per-
tinent scopum, nec nobis nocere possunt Evangelicis, brevitatis causa omittuntur.
Eadem porrò est respondendi ratio ad ea, quæ in capite sequenti Bellarminus ad de-
monstrandam Epistolæ *Jacobi* authenticam ex Augustini iterum autoritate profert,
qui, dum in refutandis Eorum argumentis, quibus partim non Apostolica, partim non
indubitato Canonica tuit visa, nominatim in respondendo ad quartum, quo Epistola
hæc ab analogia doctrinæ Pauli non parum aberrare videtur, Justificationem non soli
Fidei, sed operibus adscribens, cum Paulus dicat, hominem justificari ex Fide sine ope-
ribus; dum, inquam, Bellarminus ad hoc argumentum respondet, *eo confiteri Lutheranos,*
se esse filios veterum illorum hæreticorum, contra quos Epistola illa scripta fuit, in testimo-
nium adducto Augustino, in de *Fide & Operibus* libro mentem & Pauli & Jacobi expli-
cante, alibi etiam expressius scribente, *Apostolos non pugnare inter se, Paulum namque*
loqui de primâ Iustificatione, quâ homo fit justus ex injusto, Iacobum verò de secundâ, quâ quis
ex justo fit justior, addens, *se de hac Quæstione plenius suo loco disputaturum*, responsionem
eo ipso differre jubet, usque dum ordo tractationis eam requiret. Et quia, quæ ad
sexti etiam argumenti solutionem ex eodem Augustino de Lege libertatis Evangelicæ
profert, nobis iterum Evangelicis in hoc Fidei puncto ab Augustino non dissentienti-
bus opposita non sunt, nulla responsione & hic opus est; siæ quâ itidem prætermitti
potest, quod eodem capite sequenti Bellarminus circa librum Enochii in Epistolâ *Jude*
citatum, ex Augustini nunquam satis laudato opere de *Civitate Dei* in medium protulit,
cum de eo tanquam nobis innocuo supra jam ad Caput decimum, Bellarmino quoque
ansam præbente, fuerit actum. Id solum nunc superesse posset videri, quod ad demon-
strandam *Apocalypseos* Johannæ autoritatem Canonicam ex Augustini etiam testi-
monii

moniis agit Bellarminus, nisi hujus libri authentia nobis quoque Evangelicis esset indubia. Tandem id quod in ultimo libri hujus primi capite de denominatione Apocryphorum monet Bellarminus, eam vocem Scriptores Ecclesiasticos non eodem semper modo usurpare, interdum eos ita vocare, de quibus non certum sit, an Canonici sint & Divini, etiamsi satis constet, nullos in eis inveniri errores; interdum ita vocare eos, qui admixtos habeant errores, Augustini iterum autoritate fretus, nemo non videt, ad confirmationem ejus inservite distinctionis, quâ superius Augustinum & alios Ecclesiæ Doctores mox in latiori, mox in strictiori significatu Scriptores nominasse Canonicos monitum fuit, cum eadem utriusque, utpote oppositorum, ratio considerandi sit & esse debeat, Coronidis loco illud insuper adhuc adcedat, videl. ne quid Augustini intactum maneat, quod ad conciliandam tertio *Esdræ* libro autoritatem Bellarminus more hætenus solito ad citationem ab Augustino factam provocavit, qui tamen paulò ante, capite nimirum decimo octavo, quæ supra *Tannerum* ad Septimum caput prolixius monentem dividimus, breviter & ex ipso quidem Augustino contra seipsum observavit, notante, *Apostolum* *Iudam* *Enochi* *Vaticinium* *in Epistola sua proferentem, non propterea totum adprobasse librum, cui illud insertum legitur.*

LIBRI SECUNDI

DE

VERBO DEI,
CAPUT SECUNDUM.*Num Ebraica Bibliorum S. Editio sit corrupta?*

Hanc Controversiam antequam tractet Bellarminus, in antecedente primo capite de ipsâ Bibliorum Editione V. T. Ebraicâ, ejusdemq; perpetua conservatione, ut & ipsius Idiomatis Ebraici antiquitate, agit, Augustini iterum autoritate nixus, quem tamen tanquam sibi ipsi aliquâ ex parte contrarium conciliare nititur, frustra quamvis, dum ipsa locorum à Bellarmino citatorum inspectio manifestum faciat, Augustinum in iis nihil planè contra seipsum scripsisse. Nimirum, ut posteriorem locum loco priori videamus, non ibi scripsit Augustinus, quod Bellarminus eum scripsisse refert, *Linguam Ebraicam post tempora Noe inventam esse*, addens, *Augustinum non indicare voluisse, eam linguam antea non fuisse, sed solum, tunc primum cepisse vocari linguam Ebraicam.* Et si enim explicatio Bellarminiana menti Augustinianæ non sit contraria, eâ tamen opus non fuit, cum ipse Augustinus satis luculenter, sibi que in his quidem locis constanter mentem suam exprefferit, ita scribens: *Ante Abrahamum velut pueritia fuit populi DEI à Noe usq; ad ipsum Abrahamum; & ideo prima (non primum, id est, tum demum) lingua est inventa, id est, Ebraica. A pueritia namque incipit homo loqui post infantiam, quæ hinc adpellata est, quia dari non potest; quam profectò etatem primam demergit oblivisio, sicut et æ prima generis humani est deleta Diluvio.* Nihil certè hic Augustinus scripsit iis contrarium, quæ in priori loco per Bellarminum adlegato hunc in modum leguntur: *Quia in Eberi familia remansit hæc Lingua, divisit per alias linguas cæteris gentibus, quæ Lingua prius humano generi non immeritò creditur fuisse communis, ideo deinceps Ebraica est nuncupata.* Et hanc denominationis rationem antea etiam indicavit Augustinus, statuens, *etsi possit esse opinio, ut Ebraei ex Abraham tanquam Abrahami dicti esse videantur, hoc tamen verum esse, quod ex Eber Ebraei sint adpellari, ac deinde unâ literâ detractâ Ebrai;* in quâ etiam Sententia constans permanfit, ut ut olim per adlusionem fortè illi ab Abrahamo derivationi adhæsisse videatur, *gentem Ebraeorum ab Abrahamo cepisse* docens, id quod inter alia postmodum meliora edoctus retractavit, adque citatam jam uberiorem mentis suæ Explicationem provocavit. Ad ipsam nunc *Questionem de Ebraicæ Editionis puritate* ut veniamus, duas circa eam opiniones in medium profert Bellarminus, unam eorum, qui sibi quidem nimium nimiamque puritatem videntur tribuere Editioni Ebraicæ, id quod ab Hæreticis hujus temporis odio Vulgatæ Editionis Latinæ fieri existimat, qui omnia examinari & emendari velint ad Ebraicum Textum, tanquam

fontem purissimum; alteram verò eorum, qui zelo quidem bono, sed (dubium!) an secundum scientiam, contendunt, Judæos in odium Christianæ Fidei studiose multa depravasse & corrupisse Scripturarum loca, quam adscribit *Iacobo de Valentia & Melchiori Cano*. His duabus Sententiis, quas à se sufficienter refutatas putavit Bellarminus, tertiam adjicit, visam sibi & aliis, nominatim *Driedoni* verissimam, quæ docetur, *Scripturas quidem Ebraicas non in universum operâ vel malitiâ Judæorum esse depravatas, nec tamen omnino esse integras & puras, sed suos quosdam habere errores, qui partim negligentia librariorum, partim ignorantia Rabbiorum irrepserint; posse etiam fieri, ut ex pravo adfectu & odio in Christum eainter dum Lectio iis sit probata magis, quæ minus favebat Christianis. Caterum non tanti esse momenti errores ejusmodi, ut in iis, quæ ad Fidem & bonos pertinent mores, Sacra Scripturæ integritas desideretur; plerunque enim totam variarum Lectioinum discrepantiam in quibusdam dictionibus esse positam, quæ sensum aut nihil aut parùm mutant. Ut quid de veritate & diversitate harum opinionum, ex Augustini mente, ad quam Bellarminus in secundæ opinionis Examine provocat, sentiendum sit, breviter ex Instituti ratione constet, notandum est, tertiam non adeò multum à secundâ discrepare, & quæcunque à Bellarmino contra hanc fuere dicta, ut plurimum quoque contra illam dirigi posse, adque primæ opinionis defensionem inservire, præsertim, quæ Augustinum agnoscunt auctorem, utpote quibus etiam usi sunt ex ipsis Scripturis Papæis, qui pro Textûs Ebræi integritate contra iniquissimos ejusdem accusatores hætenus scripserunt, inter quos ex recentioribus suo merito præprimis *Muisius*, Scriptor Gallus, venit numerandus, in Adsertione Veritatis Ebraicæ contra ejus impugnatores *Morinum*, non semel Augustini autoritate se muniens, in specie ad verba ejus: *Abstine, scribens, ut prudens quispiam Judæos cujuslibet perverstitatis ac malitiæ tantum potuisse credat in Codicibus tam multis, & tam longè latèq; dispersis, hoc Ludovici Vivis, laudatissimi in Augustinum Commentatoris, monitum subjungendo: Idem responderi potest his, qui falsatos corruptosq; ab Ebræis Codices Veteris Testamenti, & à Græcis Novi, nimirum Testamenti Codices, obijciunt, ne veritas sacrorum librorum ex illis fontibus petatur. Pergit Muisius: Valde profecto mihi auget opinionem, quam habeo de sinceritate Ebræi Codicis, id quod scribit idem Augustinus, de termino Concionis agens, quam DEI jussu Ionas habuit Ninivitis, utpote quem Interpretes Græci triduanum, Codices verò Ebræi quadraginta dierum exhibent, suam super eâ re mentem sequentibus verbis explicando: Si à me queritur, quid horum Ionas dixerit, hoc potius puto, quod legitur in Ebræo. Addit porro Muisius: Scio, Augustinum, apud quem Sacro-sancta & Divina erat autoritas septuaginta Interpretum, explicare etiam septuaginta Versionem, eamq; cum Ebræo Textu conciliare; sed hoc quoq; scio, valde Augustinum judare, nec facile istum expedire nodum. Certò autem illud scio, non hic pronuntiasse, corruptum esse Ebræum Codicem, quod illi cum septuaginta Versione (quam tamen solam tunc temporis ab Ecclesiâ receptam ait) non conveniret. Utinam, quod notanter præterea adjicit Muisius, utinam hujus atatis homines, iique, ut sibi videntur, solidè docti, tam sancti atque Excellentis Viri modestiam imitarentur! Dixi, non semel strenuum hunc Veritatis Ebraicæ Adsertorem autoritate Augustini se contra ejus impugnatores *Morinum* munire, sed sæpius ad eam quasi Sacram, ut dicunt, anchoram augustumq; confugere Asylum. Inde post aliqua ex aliis etiam Authoribus pro Instituti ratione dicta, quæ sub initium ex Augustino ad autoritatem Ebraicæ editionis defendendam graviter monuit, ex eodem ulterius confirmat, hæc ex citato primùm loco in medium producens: Rectè fieri nullo modo dubitaverim, ut quum diversum aliquid in utriusq; Codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque non potest esse verum, ei Lingua potius credatur, undè in aliam per Interpretes facta est Translatio. Cui consilio augustissimi Doctoris hæc iterum Ludovici Vivis verba subnectit Muisius: Hoc ipsum Hieronymus clamat, hoc ipsa docet ratio, & nullus est sanior judicio, qui repugnet. Sed frustra consensus bonorum Ingeniorum hoc censet. Nam rigidus supor velut moles opponitur, non quia isti earum Linguarum inscii sunt, nam nec Ebraicè sciebat Augustinus, & Græcè minus quam mediocriter; sed non est in iis ea animi modestia, quæ in Augustino. Hic undecunque paratus erat doceri, isti nusquam volunt doceri, ubique docere quod ignorant. Eadem hæc testimonia Augustini pro Ebraicæ editionis puritate Muisius in laudatâ Adsertione iteratis repetit vicibus, ac contra *Morinum*, qui ejusdem cum Bellarmino circa Quæstionem hanc**

lib. 15. de
C. D. cap.
13.

lib. 18.
ib. cap. 44.

ibid. cap.
43.

lib. 17.
cap. 18.

hanc sententiæ est, constanter simul & acriter defendit. Norunt enim in hisce literis accuratius versati, *Morinum* non solum in Exercitationibus Ecclesiasticis authenticam Textus Ebraici sollicitasse, sed eandem pertexere telam studuisse in paulo post secutis *Exercitationibus Bibliis*, quas et si Titulotenus de Ebraei Græcique Textus sinceritate acturas promiserit, nihil minus tamen eum præstitisse, quin imò contrariam inivisse viam, ac contra Ebraei Græcique Textus sinceritatem omnibus egisse viribus, nemini non ex Lectione constat. Hinc & Augustini pro Ebraei Textus autoritate testimonium laudatis ejusdem Adversariis ivit ereptum, sequentia circa id observans: *Sententia Augustini est, Iudeos in librorum suorum depravationem non consensisse*; Exerc. I. cap. 5. pag. 47. *in eos tamen, qui aliter sentiunt, non invehitur, sed opinionem suam argumentis probabilem reddidisse contentus, nemini ut libuerit opinandi libertatem eripit.* Addit post aliqua: *Augustino nulla erat Ebraica Lingua & rerum Iudaicarum cognitio.* Et quamvis sub initium capituli proxime sequentis simulet, se hanc Augustini sententiam delibris Judæorum ab ipsis de indultia non depravatis lubenter amplecti, in id tamen omnino studio incumbit, quod nec dissimulare ausus fuit, ut in rationem, qua fretus & persuasus id adseruit Augustinus, inquirat, & quidem, se ipso iterum fatente, eò diligentius, quò plures illum jaçantius obtendere criminatur. *Certo enim scimus, inquit, actionem illam, quam Augustinus incredibilem judicat, non modo Iudæis esse credibilem, sed etiam ab aliis haberi alterum Fidei fundamentum.* Quo illud nitatur, *Muisius* in altera Adfertione breviter & per compendium ex *Morino* exponit, sufficienterque respondet, ut conf. D. Calov. Crit. S. pag. 408. Augustini in hoc puncto autoritatem contra iniquum hunc accusatorem, omnium maximè autem Ebraei Textus Veritatem & Sinceritatem ex Augustino tuatur: id quod ab aliis etiam Papæ Scripseribus, quibus sacrorum fontium puritas curæ est cordique, non sine insigni Evangelicæ Veritatis emolumento factum est, nominatim, ut è Gallia in Flandriam eamus, à *Chiffetio*, non ignoti nominis Scriptore, qui in Apologética ad Linguam Sanctam Parænesi, his Augustini Verbis suum pro vindicando Originali utriusque Testamenti textu contra quosvis obtrectatores studium exposuit: *Latina lingua homines, alii (quidam legunt, alii) duabus ad Scripturarum Divinarum cognitionem habent opus, Ebraicam scilicet & Græcæ, ut ad Exemplaria præcedentia recurratur, si quando dubitationem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas.* lib. II. de Doctr. Christ. cap. 11. Quid magis adpositè ad primæ opinionis confirmationem, quam Bellarminus suscepit refutandam idè, quia nimium nimiamque puritatem tribuit editioni Ebraicæ, eum videlicet in finem, ut omnia examinentur & emendantur ad Ebraicum Textum tanquam fontem purissimum, dici aut scribi potuit, quam his & antecedentibus verbis pluribus dixit & scripsit Augustinus, eam ob causam defendens Ebraicam Veritatem ab omni Judaicâ corruptione, ut eò tutius ad eam in occurrentibus rivulorum, id est, Versionum diversitatibus liceat recurrere, indeque quantum satis & opus est haurire. Neque possumus nisi debita eum gratiarum accipere id, quod Bellarminus in secundæ opinionis examine responsi loco pro Augustini confirmanda autoritate scripsit, ei obviam iturus objectioni, quæ generalem (cur non particularem quoque?) Ebraicorum Codicum depravationem post Augustini demum tempora accidisse, proindeque testimonium ejus parum ad rem præsentem facere, dici ab aliquo posset, id egregie monens, *Augustini rationes omni tempore locum habere.* Quorsum accedit, quod in quinti, contra secundam opinionem, argumenti à Providentiâ in conservandis Codicibus Sacris Divina desumpti explicatione Bellarminus itidem ad Augustini autoritatem provocat, in nostræ iterum Sententiæ commodum, cum ea DEI Providentiâ, quæ circa integrum Sac. Scripturæ corpus omni tempore versatur, circa ejusdem partes etiam negati non possit, sed omninò præsupponi debeat, quamvis, supposito, partialenti quandam corruptionem posse locum habere, quid à parte Evangelicorum ad indubiam Veritatis Ebraicæ certitudinem subsidii loco soleat adhiberi, ne quid ea detrimenti capiat inde, aut fundamentum Fidei, cui cætera quævis innitantur, per eam subruatur, alibi amplius deductum legi possit. vid. D. Dorich, Theol. Zach. Part. II. p. 119. Illud hic solum ex superabundanti addo, quod contra præsentem Codicis Ebraei sive generalem & omnimodam, sive partialem à Judæis factam corruptionem, quam post *Nicolanum de Lyrâ*, *Paulum Burgensem*, *Porchetum*, *Galatinum*, præter *Jacobum de Valentia*, & *Melchiorum Canum*, quos duos Bellarminus etiam nominavit, quin & præter *Leonem Castrum*, *Marianum Victorium*, operum Hieronymi Editorem & Illustratorem, *Augustinum Steuchum*, *Franciscum Tiselmannum*, *Mersennum*, *Salmeronem*, *Gregorium de Valentia*,

lib. II.
pag. 86.

Serarium, Marianam, Gordanum, Cottonam, Bonfrerium, alios, Lindanus inprimis ante hoc Seculum & quod excedit, acerrimè defendit, eo ipso tempore pro Defensione Veritatis Ebraicæ, Iohannes Isaacus, Judæus antehac, post sacrarum literarum Colonia Professor, Lindano se opponens, inter alia non sine insigni observatione scripsit: Si cum Lutheranis in aciem prodire constituisti, imprudenter agis meo iudicio, qui à calumniando Scripturæ Textu genuino auspicaris. Neque enim credibile est, Iudæos, qui à tam multis Seculis incorrupta conservarunt Biblia, in gratiam hæreticorum quidquam immutare aut corrumpere voluisse. Quod miror, tibi, cum hæc scriberes, in mentem non venisse, neque enim arbitror, retam ad Iudæos, quam Lutheranos oppugnandos hæc scripsisse, quorum utriusque, longè alià ratione, argumentisq; gravioribus & ex re ipsa petitis convinci à te possent, illas à Bibliorum autoritate. Hæc cum Bellarmino, tanto videlicet librorum helluoni, ignota esse non potuerint, imò etiam vix debuerint, utpote eo in argumento scripta, quod ipse non incidenter, sed ex professo quasi tractavit, mirum non immeritò videtur, eum in eundem impigisse lapidem, quem ex præmunitione hæc hominis à primâ ætate in his literis veratissimi, & qui per earum germanam puritatem Christianus ex Judæo factus est, quam-maximè & omni studio vitare debuit.

CAPUT SEXTUM

DE

Interpretatione LXX. Seniorum.

lib. II. de
Doctr.
Christ.
cap. 15.

In hujus argumenti tractatione Bellarminus aliquoties Augustini meminit, & primùm quidem in responsione ad Questionem tertiam, ubi de modo factæ Translationis Biblicæ in Sermonem Græcum agit, monens, *Iustini Martyris* de cellulis Interpretum, singularique eorum consensu narrationem præter alios Ecclesiæ Doctores Augustinum quoque secutum esse, *quamvis rem non audeat adfirmare*, significans insuper, *illud ab omnibus decantatum, quod quasi uno ore Scripturas verterint, rectissimè intelligi posse tam secundum eos, qui tuentur cellulas, quam secundum eos, qui oppugnant illas*, quod num ad mentem Augustini sit scriptum, ipsa ejus docebunt verba, ad quæ Bellarminus intendit digitum, ita scribens: *Si Interpretes ii, ut fertur, multique fide non indigni prædicant, singuli Cellis etiam singulis separati, quum interpretati essent, nihil in alicujus eorum codice inventum est, quod non iisdem verbis eodemq; verborum ordine inveniretur in cæteris, quis huic Autoritati conferre aliquid, nedum præferre audeat? Si autem contulerunt, ut una omnium communi tractatu iudicio, vox fieret, ne sic quidem quandoquam unum hominem quilibet peritiâ ad emendandum tot Seniorum doctorumq; consensum adspirare oportet aut decet.* An, inquam, hæc ita sint intelligenda, sicut in utramque partem ea intelligi debere existimat Bellarminus, ii censeant, qui, quam vim hypotheticæ locutiones habeant, accuratius habent cognitum. Sufficit interea, quod ipse Bellarminus de hæc *Iustini* traditione per Augustini autoritatem confirmatâ ingenuè monuit, *facile fieri potuisse, quod Iudæi fabulam à se confictam Iustino persuaserint, & quasdam ostendentes Ei ruinas, Septuaginta Interpretum cellulas esse dixerint, nec minus facile, ut Iustino Viro sancto fidem haberint aliqui posteriores*, inter quos Augustinum paulò ante recensuit Bellarminus, ejus nomine etiam utens ad quartæ Questionis de interpretationis hujus Autoritate decisionem. Ut enim nullum citet locum, ubi Augustinus suam de eâ explicet mentem, satis tamen cognita sunt eis, qui in Augustini Scriptis diligenter versantur, nunquam non nisi cum Elogio singulari ejus mentionem facientis, ut & citato proximè Testimonio inprimis patet. Multa ad objectam hanc Augustini pro Græcæ Versionis autoritate autoritatem dici possent, nisi per compendia hic ire placitum esset. Possent dicere id, quod supra *Morinum*, contra Augustinum pro Ebræi Codicis puritate militantem audivimus excipere, *Augustino nulla erat Ebraicæ Linguae & rerum Iudaicarum cognitio*, & eò quidem majori jure, quò major ea ad hanc, quam ad illam Questionem decidendam requiritur, ubi dum Augustinus contra Judæorum perfidiam & invidiam, si quæ in depravando Codice Ebræo metuen-

tuenda fuit, ad DEI Providentiam circa Verbi conservationem provocavit, id quod absque Idiomatis Ebraei & rerum Judaicarum accuratiori cognitione potuit fieri, iudice Bellarmino bene, imo optime fecit, qui eodem Argumento contra iniquos Codicis depravati accusatores duce Augustino usus est, illud insuper testatus, Augustini pro Ebraei Codicis integritate rationes, & inter eas hanc quoque Providentia DEI nixam, *omni tempore locum habere*. Possem porro id responsi loco usurpare, quod ipse iterum Bellarminus in quinta Quaestionis tractatione nobis promissimè suppeditavit, hanc Augustini & aliorum Patrum observationem de Graecâ Versione memorans: *Septuaginta Seniores de industriâ quaedam omisisse, quaedam addidisse, & quaedam aliter vertisse, quia sic eis dictabat Spiritus Sanctus*. Ad quæ verba Bellarminus ita respondet: *Isti Patres piè querebant rationes excusandi & defendendi eam Versionem, quâ tunc Ecclesia utebatur*. Si enim exultatione & tam proluxa opus habuit Defensione hæc Septuaginta Interpretum Versio, quæ tum inter cæteras Versiones obtinuit in Ecclesiâ suprematum, nescio, an Authoritas tanta ei possit tutò concedi, quæ Codicibus Ebraeis debetur, quos Spiritu primùm Prophetico scriptos, nobis quidem Evangelicis indubium est & esse debet. Verùm pressius urgeri debet Adversarius noster, ne Augustini autoritas nobis obficiat, quam proximè faventissimam habuimus. Agnoscit nimirum Bellarminus ipse, *Septuaginta Interpretum Versionem, quæ hodiè adhuc superest, aded esse corruptam & vitiatam, ut omninò alia esse videatur, neque jam tutum sit, Ebraicos vel Latinos Textus ex Graecis Codicibus emendare*, id quod diversis tribus argumentis probare satagit, *Hieronymi* in primis testimonio fretus, qui frequenter de hac corruptione suo jam tempore facta testatus fuerit, de suo tandem addens: *quod Versio hæc primis trecentis Annis jam plurimas contraxerit maculas*, ut aded Augustinus etiam, quod iterum Bellarminianæ observationi debetur, cum quibusdam aliis Ecclesiæ Doctoribus admiserit, *esse errores in Codicibus Graecis, non quidem ipsis Interpretibus, sed primis ex Bibliotheca Ptolomæi descriptoribus adscribendos*. Non parùm hæc attentius ponderata juvare possunt præsens Institutum, ne objecta Augustini pro Graecæ Versionis autoritate autoritas contra nos Evangelicos, Ebraicamque in primis Veritatem, de qua agitur, obtineat. Velenim Augustinus commendavit Versionem Graecam, prout suo tempore jacuit, id est, pluribus jam maculis deformatam, quas ipse negare aut penitus excusare non potuit; vel commendavit eam, prout ab ipsis Interpretibus scriptam audivit. Et quia hæc res non nisi fama & autoritate aliundè derivata potuit constare, quis præstabit securitatem, nihil falsi narrationibus de eâ historicis immixtum fuisse? Si enim, quod Bellarminus supra censuit, tam facile fieri potuit, *ut Iudæi fabulam à se confictam Iustino Martyri, Viro aliàs Sancto & simul perspicaci, persuaserint, & quasdam ruinas Ei ostendentes Septuaginta Interpretum cellulas esse dixerint*; nec minus facile fuit, ut *Iustino* Sanctitatis laude celebri fidem habuerint aliqui posteriores, interque eos Augustinus; annon idem in aliis fieri potuit circumstantiis, quæ quidem majoris ad autoritatem huic Versioni conciliandam momenti esse videntur, cum hæc & talia in gravissimis etiam Fidei historicae extra Canonicæ capitibus fieri pluries videamus & audiamus. Quamvis, si, quæ Augustinus adscripsit Elogia huic Versioni, prout primùm ab ipsorum Interpretum manu venit, voluit intellecta, utut iusto majora, aliqua ex parte nimis hyperbolica, & in summo ferè gradu sint, fortè non aded alieni essemus à iudicio Augustini, pro singulari Ecclesiæ ornamento agniture, si tam antiquæ Versionis, tanquam pretiosissimi thesauri, participibus nobis esse, indeque, quod indubii sumus, antiquæ Fidei Judaicæ in promissum Messiam documenta contra hodiernorum infidelitatem, & perverciam producere liceret, qualia hodiernum è ruderibus non pauca in subsidium Veritatis Christianæ debito cum studio colliguntur. Si verò, quod probabilius videtur, Augustinus huic Versioni, prout tunc jam deformata fuit, tanta attribuit Elogia, valde dubitandum est, num Bellarminus, si rem ex debito accuratius ponderasset, suum addere calculum huic Augustini sententiæ potuisset, cum Ipsemet agnoverit, Versionem hanc jam ante Augustini tempora plurimas contraxisse maculas, nec hodiernum esse omninò tutum Ebraicos vel Latinos Textus ex hisce Graecis

Codicibus emendare. Et quia in tertiæ Quæstionis ventilatione inter cæteros ad *Andrea Masii* auctoritatem provocavit, Bellarminus, neque forsitan ei displicuit aut displicere potuit, quod de hac Versione laudatissimus Scriptor ille interposuit Judicium, ita præter alia in Præfatione ad Josuam scribens: *Quid Ego sentiam, si quis me roget, non dissimulabo, mihi Interpretationem illam, cum eam lego, multis in locis ineptissimam, & tantis Viris planè indignissimam censeo; ac in nonnullis rursus Divinam, & a Vanis dictatam potius, quàm Interpretibus. Hæc Vir Ille, ut in Epitaphio commendatur*

Eloquio Hebræus, Syrus, & Chaldæus, Iberus & Latius, Grajus, Gallus, & Ausonius.

Qui et si & Romano & Hispano Indici Expurgatorio legitur insertus, ob majorem aliquantò libertatem, quæ Johannis Hay, in ad *Sixti Senensis* Bibliothecam S. Additionibus est censura, idemque *Possivino* in Adparatu S. est observatum; Illud tamen nuper hoc non obstante obtinuit à *Muisio* Elogium, post citata hæc ejus verba ita scribentis; *Est Author unus inter paucissimos, dignusque, cujus Commentaria æternum excudantur ac recedantur, quæ tamen, si DEO placet, jacent neglecta, ac tantum non pro nihilo penduntur, quia referta sunt Eruditione & Doctrinâ.* Cujus vel quorum id culpâ fiat, ex prænotatis facile constat. Sed ut adhuc semel ad Augustini pro Græcæ Versionis auctoritate auctoritatem redeamus, id forsitan non inutiliter adjicietur, quod nuper modò inter Reformatæ Religionis Scriptores ultrò citòque pro & contra in hoc actum est negotio, ubi dum *Possius*, Græcæ Versionis, si quis unquam, rigorosissimus defensor, hæc etiam Augustini auctoritate munitus rem se conficere contra quoscunque adversarios victoriamque obtinere posse existimavit, inter cæteros, qui pro Ebraicâ Veritate eidem se opposuerunt, *Schottanus*, Professor Francqueranus, in specie de Augustini circa Græcæ Versionis auctoritatem Sententiâ accuratius indaganda sollicitum se fuisse ostendit, post collectionem & studiosam collationem variorum Augustini de eâ testimoniorum, ex iisdem sequentia de Sententiâ ejus exhibens axiomata: *Ebraicam Scripturam esse Veritatem Canonicam; quam aliqui senserint quidem alicubi vitiatam esse, sed imprudentis esse ita existimare. Simul veram esse & Canonicam Editionem Septuaginta Interpretum, idque ideo credendum, quia Divino Spiritu tanquam Prophetæ interpretati sint, & quia communi Ecclesiarum consensu recipiatur sola; quosdam tamen arbitrari, quod Græci Codices ex Ebraeo sint emendandi. Et cum Ebraea veritas & Græca Interpretatio sit ab eodem Spiritu DEI, utrumque, quod dissonare videtur, verum esse, sed diversa significatione; in Ebraeo enim esse rerum gestarum fidem quoad historiam, in Græco sensum sublimiorem & mysticum. Ecclesias porrò quosdam legisse Codices interpolatos, ubi defectus additi, superflua obelo notata; utrumque tamen, & quod deest, & quod abundat, Divinum esse. Se igitur Apostolos imitantem, & Septuaginta Interpretum Versionem & Ebraeam Codicem sequi.* Quæ in his Axiomatibus Augustinianis sana, quæ Veritati minus congrua, quæ sibi invicem contraria sint, ut prolixè ostendatur, opus non est, cum ex ipsius Bellarmini Sententiâ jam exposita pateat, Eum vi hypotheson à se ipso positarum Augustini sententiam probare & defendere omni ex parte non posse, ac ingenuè fatendum esse, Augustinum, qui Ludovici Vivis iudicio, *nec Ebraicè sciebat, & Græcè minus quam mediocriter*, quarum tamen Linguarum cognitio penitior ad Judicium de ipsa non solum Versione Græca, sed & ejusdem cum Ebraico Textu, quem extra dubium habuit authenticum & verè Canonicum, comparatione faciendum quam maximè necessaria est, ut nemo non harum rerum peritus ultrò agnoscat, Seculi genio, & Ecclesiæ eâ auctoritate, qua inter cæteras Versiones Græcas hæc sola nec immeritò præeminuit, inque usu communi fuit, si salvâ augustissimi Doctoris auctoritate, aliàs nunquam non æstimatissima, ita judicare licet, per Sanctam simplicitatem, ut dicitur, seductum, quam ante se vidit tritam ab aliis viam, sine ampliori examine, quod linguarum ignorantia non difficile solum, sed & impossibile fecit, trivisse, ac eâ, non qua eundem, sed qua itum fuit, aliorum exemplo ivisse, cautiùs sine dubio & longè tutius iturum, si per illorum temporum rationem aliter licuisset, paucissimis Doctorum in literatura Sacratiori versatis; ut ad eò error hinc eò facilius Ei condonari possit, Deoque gratiæ sint dicendæ, quod subsidio Linguarum ferentius hodiè & longè sincerius de Sacro Codice, ejusdemq; tanquam primi fontis auctoritiâ, contra Versionum quarum vis rivulos nunquam omnimodè puros statuere & ju-

& judicare liceat. Ante autem, quàm ulterius cum Bellarmino eamus, in specie ad expendendam Latinæ Bibliorum Versionis, quæ Vulgata communiter audit, ex Augustini testimonio autoritatem, illud ex capite sequenti non prætermittendum videtur, quod circa Græcam N. T. Editionem Bellarminus inter alia monet, *quadam in omnibus Græcis Codicibus inveniri, quæ Divina Scriptura partes non sint*, quorum refert orationis Dominicæ clausulam, utpote *quæ de Textu non esse, sed à Græcis addita*, inde præprimis intelligi debeat, *quod cum aliis Patribus Latinis Augustinus quoq. orationem Dominicam exponens nullam horum mentionem fecerit Verborum*. Quid ad hæc responderi soleat, suis prolixè legipotest locis. Illud hic sufficere potest, quod ipse Bellarminus agnoscere debuit, Clausulam hanc in omnibus Græcis Codicibus inveniri, quod non parvum Veritatis præjudicium est. Quorsum accedit, quod eadem clausula in antiquissimâ Paraphrasi Syriacâ exhibeatur, ut eam editio Parisiensis in opere Bibliorum *heptaglotto* exhibet, in quâ etsi Versio Arabica hanc clausulam desideret, monuit tamen non ita pridem B. Gerhardus in suis ad Matthæum Analectis, Versionem Arabicam, quam ipse habuit, quin & Æthiopicam & Persicam restituere eandem, utur simul fateatur, Versionem quatuor Evangelistarum Arabicam, quæ antehac Romæ prodiit, itidem hæc constitui clausula, addens tamen ex observatione *Casauboni*, Editionem hanc *ῥωμαϊκῆν*. Et quia idem omninò adferendum statuit de Institutionibus quibusdam Christianæ Religionis, quæ Parisiis Lingua Armenâ, studio *Petri Pauli*, Sacerdotis Armeni prodierunt; hinc non impertinenter ad eò placet adjicere, habere me etiam aliquem libellum, sub titulo *Doctrina Christiana*, ibidem Parisiis, Anno hujus Seculi post trigesimum quinto, Idioma Arabico cum Latina Versione publicatum, quem Romæ octennio post recutum fuisse, *Caramuel*, testatur, in quo eadem coronis vel clausula legitur, id quod sine Interpretis vel Editoris additione factum esse, *Johannes Hesronita & Isaac Sciadrensis*, è Monte Libano, Collegii Maronitarum Alumni testantur, in præfixa Adprobatione monentes, *vidisse se Versionem hanc Catechismi Arabico-Latini, fidemq. facere, Arabicum Idioma cum altero sibi tradito consonare omninò*, non neglecturi, si quid præter debitum hic fuisset intrusum. Neque verò Augustini & cæterorum Patrum Latinorum in Explicatione Orationis Dominicæ hanc coronidem omittentium autoritas eam facere potest dubiam, & de aliqua suppositione suspectam, cum, ut de causa, qua moti Patres Latini in suis Explicationibus passi sunt eam desiderari, jam non dicam, quæ sine dubio non planè nulla fuit; potiores hic partes meritò habere debeat autoritas Patrum Græcorum, *Chrysostomi* in primis, & qui vestigia ejus legit, *Theophylacti*, quin &, qui hæcenus sub autore operis imperfecti latuit, *Johannis Hierosolymitani*, quos de integritate & sinceritate Textus Græci sincerius & serenius judicare præ Doctoribus Latinis potuisset, nemo prudens fortè negabit aut in dubium vocabit.

Theol.
Fund.
Tom. III.
pag. 337.

CAPVT NONVM & DECIMVM.

DE

Auctore & autoritate Latinæ Editionis Vulgatæ.

DE Latinis in genere Editionibus & variis Versionibus agit in capite, quod proximè antecedit, hoc ex Augustino monitum adducens: *Qui ex Ebraicâ Scripturas in lib. II. de Græcam verterunt linguam, numerari possunt, Latini autem nullo modo. Ut enim cuique Doctr. Christ. c. 11. & 15. primis Fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, & aliquantulum facultatis sibi met utriusq. Lingua videbatur habere, ausus est interpretari. Cui aliud de Versione, quæ tum vocabatur, Italâ subjunxit: In ipsis Interpretationibus præfertur Itala cæteris, nam est verborum tenacior, cum perspicacitate sententia. Hæc Augustini testimonia tanquam historica sicut rectè se habent, nihilque omninò faciunt controversiæ, ita altioris sunt considerationis, quæ Bellarminus in sequentibus ex alio Augustini testimonio produxit, ita ad Hieronymum de ejus Versione Latina scribentis: *Non parvas DEO gratias agimus de opere tuo, quod Evangelium ex Græco interpreta- Epist. 10. tus es, quia penè in omnibus nulla offensus est, cum Scripturam Græcam contulerimus. Quia enim Bellarminus hæc Augustini Verba eò inservire putat, ut iis demonstretur, Hieronymi Versionem mox cœpisse à quibusdam Ecclesiis recipi & publicè legi,**

ita

ita tamen, ut alia etiam antiqua editio non contemneretur, ad antecedentia Augustini in eodem loco verba reducendus est, quibus Hieronymum ita adscriptum legitur: *Perdurus erit, si tua Interpretatio* (posterior nempe, ex Ebræo in Latinam facta) *per multas Ecclesias frequentius caperit lectitari, quod à Græcis Ecclesiis Latina Ecclesia dissonabit, maxime, quia facile contradiCTOR CONVINCITUR Græco prolato libro, id est, Lingua notissima.* Et ne id frustra scripsisse videatur Augustinus, in sequentibus exemplum narrat, quo Episcopus quidam Versioni huic inhærens non parvum in ecclesia tumultum excitavit. Et sine dubio aliter scripsisset Bellarminus de Versione Hieronymi ejusdemque

lib. 13. de
C. D. cap.
43.

juxta Augustini testimonium autoritate, si quæ Augustinus alibi de eâ scripsit, ad animum & in memoriam revocasset: *Non defuit nostris temporibus*, inquit, *Presbyter Hieronymus, homo doctissimus & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco (tantum) sed ex Ebræo (etiam) in Latinum Eloquentiam Scripturas convertit. Sed ejus tantum laborem quamvis Iudæi fateantur esse veracem, Septuaginta verò Interpretes in multis errasse contendunt; tamen ecclesia Christi tot hominum (id est, Septuaginta Interpretum) auctoritati neminem judicant præferendum, de qua Interpretatione Græcâ in proximè antecedentibus testatur Augustinus, ex eâ in linguam Latinam esse interpretatum, quod Latina tenent ecclesia, id quod sine dubio de Italâ voluit intellectum, cui supra jam aliquod adscriptum ab eo legimus Elogium. Necessum omnino fuit hæc præmittere, utpote plurimum inservitura ad refellendum ea, quæ Bellarminus in sequentibus præscriptis capitibus ad obtinendam Vulgatæ Versionis tanquam Hieronymiana auctoritatem ex citatis Augustini testimoniis impudenter, ne quid gravius dicam, in medium adduxit. Constat, ita capite nono scribit, Hieronymi Emendationem (vel emendatam ab eo Novi Testamenti Versionem) fuisse receptam & valde hominibus temporis ejus placuisse, ut intelligi potest ex epistola Augustini ad Hieronymum. Non est igitur verisimile, postea fuisse rejectam, sed potius retentam & conservatam.*

Atqui, mi Bellarmine, si Augustini verba propius fuisses intuitus, contrarium constare debuisses fateri. Nimirum, agnovisse quidem ex debito Augustinum grato erga Hieronymum animo tam Sanctum ejus laborem; sed fassum esse simul, perdurus fore, ut ea ab Ecclesiis recipiatur, ideò præprimis, quod in libris Veteris Testamenti à Græca Interpretatione sæpè sæpius discedat, quæ tum temporis receptissima fuerat, ut ad eò Bellarminus sine causa ad hoc Augustini provocaverit testimonium. Neque sincerius aut laudabiliori cum successu Augustinum capite decimo adduxit, argumentum pro auctoritate Versionis Vulgatæ secundum ex testimonio Veterum in specie Augustini hoc dilemmate proposito formans: *Vel hæc nostra Versio est Hieronymi, vel certè antiqua communis illa, quam Augustinus Italiam vocat. Si est illa antiqua, habet ab Augustino testimonium, dicente, eam omnibus (videlicet Latinis Interpretationibus, quæ tum in publico notæ erant) esse præferendam. Si autem est Hieronymi, habet testimonia omnium Veterum, qui eam videre potuerunt, in primis Augustini, post cujus è libris de Civitate Dei, testimonium supra citatum, dum iteratò ad citatam Augustini Epistolam ad Hieronymum provocat Bellarminus, addens: Augustinum in eâ dicere, Versionem Hieronymi seu potius emendationem Novi Testamenti omnibus probari, contra manifestam veritatem clarissimumque Augustini textum egit Bellarminus, in manifestissimo falsi crimine deprehensus, augustissimo Doctore, ejusdemque verbis quam-maximè perspicuis vim apertissimam inferens, in maximum causæ, quam suscepit defendendam, præjudicium, quam itidem nihilo fecit meliorem, dum Chemnitio plura ex impudenti liberalitate impingens hoc in negotio mendacia, ad primum statim mendacium inter alios Ecclesiæ Doctores Augustinum numeravit, qui editionem hodie Vulgatam aut inter ceteras, aut etiam præter ceteras laudarunt, utpote quod posterius ex citatis duobus Augustini locis constat falsum esse, quibus nunc ex superabundanti accedit tertius, quem Præfatio operis Biblici Parisiensis heptagloti suppeditavit, Augustino ad Hieronymum alibi ita scribente: Desidero Interpretationem tuam de Septuaginta, ut & tantâ Latinorum Interpretum, quò qualescunque hoc ausi sunt, quantum possumus, imperitiâ careamus; & hi, qui me invidere putant utilibus tuis laboribus, tandem aliquando, si fieri potest, intelligant, propterea me nolle tuam ex Ebræo Interpretationem in Ecclesiis legi, ne contra septuaginta auctoritatem tanquam novum aliquid proferentes, magno scandalo perturbemus plebes Christi, quarum aures & corda illam Interpretationem audire consueverunt, quæ etiam*

Epist. 19.

ab

ab Apostolis adprobata est. Ipsum Dilemma Bellarmini quod attinet, dum pro authentica Vulgatæ Versionis arguitur, eam esse vel Hieronymi, vel antiquam communem, quam Augustinus Italiam dicit, imperitè agit, non prævidens, dari posse tertiam, quin & quartam, ut plus ultra non eam, adeoque neutram ex citatis esse posse, quæ hodie dicitur Vulgata, cum neque de hac, neque de illâ certus fuerit ipse Bellarminus, ancipitemque se in hæc re esse, ipso hoc Dilemmate non admodum acuto satis indicari; quam vis si vel de hac vel illâ sufficienter probare posset, esse eandem cum Vulgatâ, nondum inde argumentari liceret, esse eam pro authenticâ habendam, cum neutra ex his tempore Augustini in tanto fuerit honore, in quanto communiter Vulgata post decisionem Tridentinam esse putatur. Communiter, inquam & vulgò; cum in sacra hæc literaturâ inter ipsos Doctores Papæos aliqua ex parte versati rigorem Tridentinum mitigare sint conati, mitius de authentica Vulgatæ sentientes. Non prolixè citabo varias variorum ex ipsis Doctoribus Papæis circa legitimum Decisionis Tridentinæ sensum Sententias & Explicationes, ab Evangelicorum Criticis, nominatim D. Calovio, loco superius citato, singulari cum studio collectas. Sufficere ad præsens Institutum potest, quod in ultima Canonum & Decretorum hujus Concilii Editione, Cardinalium Declarationibus, Theologorum insuper & Jurisconsultorum Citationibus, remissionibus & Additionibus plurimum aucta, ex Institutionibus Azorii Moralibus ad hujus Canonis de authentica Vulgatæ intellectum legitur inter remissiones adscriptum, quod ad probatione Editionis Vulgatæ non damnentur Exemplaria Ebraica vel Græca, ex quibus tanquam ex fontibus Latina Editio fluxit, utpote quæ retineant suam fidem & auctoritatem, ubi incorrupta fuerint & integra. Accedat huic ex novissimis Scriptoribus laudatus paulò ante Professor Regius in Gallia Muisius, qui in Adfensione Veritatis Ebraicæ citata hanc rem ita explicavit: *Neq. verò Editioni Ebraicæ derogat Sacro-sancta* (cur non facerrima?) *Synodus, dum Veterem & Vulgatam Editionem, pro authenticâ habendam esse decernit; ibi enim Editionem Vulgatam cum aliis Latinis, non cum Ebraicâ Editione confert.* Et postquam ipsa Tridentinæ Synodi verba de hujus Latinæ Versionis authenticiâ, quin & earundem sensum, ex consensu Salmeronis, tanquam idonei Interpretis, utpotè Synodo interfessentis, ut & Philippi Gamachai, Doctoris Sorbonici, adduxit, citatis etiam Serarii & Vega, qui eidem Concilio interfuit, similibus testimoniis, hanc adjecit Quæstionem: *Quis præferet hanc, quam hodie habemus, Editionem Latinam omnibus carere mendis?* Addit post plura ex Præfatione Biblii Sixtino-Clementinis præfixâ de imperfectione hujus Versionis sequentia: *Igitur nondum est omnibus numeris absoluta Editio Vulgatæ; & si quis novam ex Ebræo Versionem velit cadere, vel antiquum Interpretem corrigere, si interdum hallucinatus videatur, poterit ipse plura mutare, præsertim si Doctis scribat, qui ejusmodi mutationibus, modo in melius fiant, & citra Doctrinæ ac Fidei Christianæ detrimentum, nunquam offenduntur.* Non cum ingratiis studiosi Lectoris, spero, fiet, si unicum adhuc ex recentioribus addam, & qui in paucorum fortè manus venit, laudatum quoque superius non ignoti nominis Scriptorem Chifletium, qui in Apologetica ad S. Linguam Patænesi hæc inter alia legi voluit: *Debentur, non inficior, & verò etiam conendo, habendas esse gratias Doctori Maximo, atque ad Scripturas Sacr. inter-* num. 47.
pag. 89.

pretandas Divinitus excitato Hieronymo, cujus Lucubrationibus habemus vulgatam Editionem, ut in Verbis clariorem, ita in Sententiis, quam alie, veraciorem. In multis quin etiam magnisq. Beneficiis, quæ per Tridentinam Synodum Ecclesiæ suæ DEVS contulit, id numero, quod hanc solam Veterem gravissimo Decreto authenticam declaravit, sanxeritque, ut nemo illam rejicere quovis pretextu audeat aut presumat. Sed nihil vel Hieronymo honoris, vel laudatæ Versioni commendationis, vel Oecumenicæ Synodo auctoritatis ex eo detractum puto, quod in eâ Versione adhuc aliqua desiderari posse dicam, illisq. me adjungam bone notæ Theologis, (Salmeroni & Serario) qui, ut hanc omnibus, quæ circumferuntur, sine controversiâ tanquam tutiorem & meliorem anteferebant, non tamen ita perfectam & absolutam censuerunt, quin & quadam suppleri possint, quædam melius & liquidius explicari, cum Ecclesiæ judicium accesserit & Apostolicæ Sedis Imperium, ad cujus curam integritas & puritas Scripturarum pertinere potissimum cognoscitur. Plura adderem ex hoc Scriptore notatu dignissima, nisi prolixitas excriptionis tædium faceret, hæcque pauca ad Augustini Vindicias sufficere possent. Agmen claudat, quem utpote novissimum ex omnibus præterire non licet, Volusius, ingenuè cum præcitis agnoscens, *per hoc Synodi Tridentinæ* in Aurora
pag. 12.

Decretum nihil fuisse derogatum authenticiæ Ebraicæ Vet. & Græcæ Nov. Testam. Editioni.

Cæte-

Tom. I.
Epist. 6.
pag. 35.

Cætera quoad in primis Decretum Sixti V. à Clemente VIII. suppressum, quia huc primario non pertinent, ex *Tannero & Comptono* nuper interposita graviore censura exposuit Sorbonista Parisiensis *Launejus*, aliàs & alibi fortè prolixius repetenda. Illud, ut insuper accedat, superest, quod capite sequenti undecimo Bellarminus ad diluenda contra Editionem Vulgatam ejusve auctoritatem argumenta circa Augustini sententiam sibi objectam generaliter nimis monuit. Secundum ita formavit argumentum: *Magis credendum est esse Verbum DEI, quod habetur in fontibus Codicum Ebraicorum & Græcorum, quam quod habetur in rivulis Versionum; nam Ebraei & Græci Codices Prophetarum & Apostolorum sunt, qui errare non poterant; Latini autem sunt Variorum Interpretum, qui errare potuerunt.* Post adductam Hieronymi auctoritatem addit: *Augustinus non solum in genere dicit, Interpretes posse errare, sed etiam in specie adserit, Hieronymum in Versione sua errare potuisse. Accedit, quod Patres passim docent, ad fontes Ebræos & Græcos esse recurrendum.* Quod cum Hieronymi iterum testimoniis comprobasset, addit, *idem habet Augustinus.* Quid respondit ad hæc Bellarminus? *Negari non posse, quin fontes Scripturarum anteponebantur rivulis Versionum, quando constat, fontes non esse turbatos.* Atqui fontes non ita turbatos esse, ut ex iis non, quantum satis est, hauriri possit, adque eos potius, quam ad rivulos recurrendum videatur, ex Augustino jam demonstratum est, ipso non multum dissentiente Bellarmino, qui dum in responsione id porro addit: *Interpretem Latinum, ut ut errare potuerit, non tamen errasse in illa Versione, quam adprobavit Ecclesia, maximæ se reum fecit postulationis, ad cujus demonstrationem quid requiratur, nemo non videt, qui non planè cæcus est. Neque multum temperavit hocce postulatam, addendo, Ecclesiam, vel potius Synodum Tridentinam, non ita adprobasse hanc Versionem, ut adseruerit, nullos in eâ Librariorum errores reperiri, sed certos nos reddere voluisse, in iis præsertim, quæ ad Fidem & mores pertinent, nulla esse in hâc Versione Interpretum errata; contrarium quippe in proximo Examine capitum subsequentiū ostenditur.* De cætero, quod concedit, licere ad fontes Ebræos & Græcos recurrere, ut inter cæteros Ecclesiæ Doctores, & in primis post *Hieronymum* monuit Augustinus, benè quidem se habet, adeoque Augustini Sententiam in suo relinquit pretio, quæ & Evangelicorum est; sed seipsum & rem, quam tractat, nimis facit suspectam, dum ostendens diversa quatuor tempora, quibus ex sua mente ad fontes sit recurrendum, ultimo ponit loco, quo illud fieri posse existimat *ad energiam & proprietatem Vocabulorum intelligendam*, quod tamen primo debuisset stare, utpote nunquam non à diligenti S. Scripturarum tractatore observandum, cum nullum in S. Textu apicem extare Spiritum, quo acti Prophetæ scripserunt, voluisse testentur Rabbiorum antiquiores, à quo non maximi Intelligentiarum montes dependeant, si modò standum huic Sententiæ Bellarmini hyperapistæ putabunt esse consultum.

His ad locum Augustini ex opere de *Doctrinâ Christianâ* notatis contra Bellarminum, non præter rem subjunguntur, quæ post alios ad hoc ipsum opus & hunc locum observare vilius fuit *Matthiæ Hanzero*, Ordinis Francisci, in posteriori *Epitome Augustiniana* Tomo, laudatis Augustini verbis hanc adscribenti crisi: *Ex his plures consurgunt difficultates, sed prima ac præcipua cum iis, qui oculis nequam à suo axe seu centro distortis Ecclesiam præsentem, ex se unicam ac indivisibilem, solo adpectu & despectu suo frustra dividere conantur à seipsâ antiqua ac Originali, quasi novissimè in Concilio Tridentino ab illa antiquâ & hâc Augustini doctrina defecerit, adprobando vulgatam Editionem Latinam, præ ipsis originalibus Græcis & Ebræis.* Sed respondetur primo, Concilium Tridentinum adprobasse tantum vulgatam Editionem Latinam præ Latinis omnibus aliis, *sine præjudicio alicujus reprobationis aut approbationis originalium*, ut patet ex ipso Textu; in quo Decreto tantum abest, ut defecerit, quin potius expressè adhæserit Antiquitati Ecclesiæ & Doctrinæ huic Augustinianæ, nam expressis eam adprobavit verbis titulo *Antiquitatis*, exemplo etiam Augustini, qui Latinam Editionem vocat *Italiam* & quasi Romanam, præfertque cæteris omnibus Latinis. Quamvis enim non nullum subsit dubium, utrum hæc Editio vulgata sit adhuc *Itala*, prorsus incorrecta ab *Hieronymo*, an verò sub aliqua ejus correctione, saltem circa Testamentum novum; ut sit, tamen habet maximam auctoritatem & commendationem non tantum ab *Hieronymo*, sed etiam ab ipso Augustino. Secundo, quamvis Concilium Tridentinum adprobasset Vulgatam Editionem Latinam præ Exemplaribus Græcis & Ebræis, quæ nunc circumferuntur, sicut reverà consequenter adprobavit; nihil idcirco defecisset ab Antiquitate Ecclesiæ, vel hâc Augustini doctri-

doctrina. Cum enim Ecclesia Latina fuerit & sit constantior in Fide Christi, quam Ebraea seu Hierosolymitana, & plures Graeca, quae jam defecerunt à Fide & unitate Ecclesiae Catholicae; quidni merito etiam secundum Augustinum iudicetur fidelior & constantior in editione Latinae Scripturae S. Neque hic obstat, sed potius favet Augustinus, *primò*, quia tantum vult editiones Latinas cedere Graecis & Ebraeis originalibus, non autem omnibus futuris & jam existentibus post defectum Ecclesiae Hierosolymitanae ac Graecae à Fide & Unitate Ecclesiae Catholicae. *Deinde*, quia vult tantum ex Graecis & Ebraeis corrigi, & ad unitatem atque conformitatem cum Itala reduci infinitas Versiones Latinas; non autem Italam, quam praefert omnibus, ad aliquam illarum indè reformari. *Denique*, quia vult tantum etiam editionem Italam in lectione varia, sive ex certo, sive incerto scriptoris errore, & in sensu dubio sententiarum, aut propria verborum significatione, cedere Textui Graeco & Ebraeo debere correctioni & uniformi, & significationi ac sensui expressiori; cui doctrinae & usui Exemplarium Graecorum & Ebraeorum nihil prorsus derogat aut praedjudicat Concilium Tridentinum, illa ad probationem editionis vulgatae ad usum communem & irrefragabilem in Ecclesia. *Sic Epitomator Anatomicus* in gratiam Versionis vulgatae à Patribus Tridentinis canonizatae, non sine calumnia in Evangelicos, quae depellent ea, quae breviter contra tum erunt monenda. Quam vis enim, quod primam attinet defensionis partem de adprobatione versionis vulgatae respectu aliarum, idem dixerit quod ante & post eum alij etiam putarunt esse dicendum, ne temeritatis possent argui Patres conscripti *si rivulum fontibus prae posuissent*; nescio tamen, an emplastrum hoc vulnus tegat, & annon haec explicatio menti decernentium videatur contraria, si verba, prout jacent, sumantur & juxta communem sensum intelligantur. Apertius certè animi sensa oportuisset prodere definitores Synodeios, si hoc tantum voluissent, & non potius eam stabilire Versionem, quam suis opinionibus experti sunt praeter aliis accommodam. Adde, vix posse locum habere illam neutralitatem, quam huic Decreto adfingit Franciscanus, quasi, *sine praedjudicio sive reprobat. sive adprobationis originalium* Textuum fuerit conditum; cum vel reprobari, vel adprobati debuerint illo stante, ut ut circumstantiae & causae ejus ostendant latis superque, magis, ad *reprobationem* inclinasse Patres, minus videlicet peritos linguarum, à quibus non paucum suo Coetui periculum timuerunt, quod constat. In hoc verò, quantum fuerit discessum ab Antiquitate & doctrina Augustini, ex ante dictis contra Bellarminum sufficienter patet. Dum insuper dubitat *Epitomator*, an haec *Itala*, cujus meminit Augustinus, sit ipsa Versio, quae dicitur *vulgata*, eomet ipso ostendit, quam in lubrico versetur. Quod autem jaecat Ecclesiae Romanensis Fidem & in ea constantiam majorem praeter Ecclesia *Judeorum & Graecorum*, etiam non deesset, quod hanc inanem jaecantiam variis posset modis refellere, si id jam ageretur; hoc tamen non obstante, *Judeos Codicis Ebraei fidos fuisse custodes*, ea docent testimonia, quae supra sunt ex Augustino adducta, ubi haec Controversia fuit ventilata. Idem de *Graecis* statuendum est. An post Augustini tempora aliquam passi sint Textus originales jaecuram, eorum est probare, qui in turbido piscari desiderant. Et si Augustinus suo tempore Versionem *Italam* praetulerit ceteris, non sequitur, idem hodiè de *Vulgata* dicendum esse, cui dum *Anatomicus* ex mente Patrum Tridentinorum adscribit *usum irrefragabilem*, petit principium, cujus demonstrationem per nulla omnino media poterit perducere ad finem.

CAPUT DUODECIMUM, DECIMUM TERTIUM ET QUARTUM.

De

Testimoniis Vulgatae suspectis.

PLurima in his capitibus suo ordine collegit loca Bellarminus, ob quae Vulgata Versio tanquam corrupta fuit accusata, quibus vindicandis aequè omni errore purgandis omnem adhibuit pro viribus industriam. Omnia examinare nostri jam non est instituti, sed ea tantum, in quorum tractatione Augustini intercedit autoritas. Initium fiat à primo & classico, multumque haecenus vexato Geneleos loco de Semine Mulieris caput Serpentinum contrituro, quod Subjectum per pronomen *ipsa* ubi vel *ipse* vel *ipsum* legi debuit, in Vulgata Versione exprimitur, idque de eo, vel potius ea praedicatur, quod nulla omnino praedicari potest ratione. Hanc vero Lectionem Bellarminus ideo suscepit inter alia defendendam, quia post & praeter

C

alios

alios Ecclesiæ Doctores Augustinus quoque eam retinuit. Responsi loco non sine causa repeto, quod *Morinum* supra contra auctoritatem Augustini pro Ebraei Textus integritate militantis excipientem vidimus, nimirum ei non fuisse Ebraicæ linguæ & rerum Judaicarum cognitionem, quæ exceptio hic iterum magis, quam ibi valet, cum de hac Controversiâ non, nisi ex sacratiore Literatura agi possit & de jure debeat, & præcuntem insuper Bellarminum infra habituri simus, qui dum aliter ad Augustini de *Petrâ Fidei* sententiam respondere non posset, quod objectioni satisfaceret, hac denuum rima

Lib. 1. de evadere se posse putavit, scribens, *Augustinum ex sola lingua Ebraicâ ignorantia esse deceptorum*. Et hinc Criticæ Sacræ Scriptor, *Capellus*, non semper ita Sacer, ut voluit videri, multa que contra Sacri Textus authenticam, bonis lugentibus & tam nefarium facinus ferio detestantibus, Ecclesiæ non sine plurium scandalo obijciens, hic quidem optime

Lib. V. c. monuit: *Non est, quod se tueantur, Vulgatæ nimirum Versionis defensores, auctoritate Augustini & aliorum quorundam Patrum. Nam vetus Latina Translatio, quâ & Augustinus & veteres illi Patres sunt usi, non est Translatio Hieronymi ex Ebraeo, sed alia antiquior ex Græco LXX. interpretum facta. Sero enim cepit usurpari Translatio Hieronymi ab expositioribus Ecclesiasticis & Commentatoribus Veteris Testamenti. Deinde, facile est videre, lectionem illam (Ipsa) licet antiquam esse ex librarij inscitia depravatam, qui cum videret pronomen (Ipse) genere non convenire cum antecedente nomine, (Semen) putavit legendum esse (Ipsa) illudque referri ad nomen Mulieris, itaque commutavit pronomen masculinum in femininum, quam Lectionis depravationem non animadvertentes illi Patres & inter eos Augustinus, locum illum, quam potuerunt, commode de Eva, vel de B. Virgine interpretati sunt.* Notari hic omninò etiam meretur, quod *Hortingerus* in de Heptaplis

Anal. Hi- Parisisensibus quam accuratissimè observavit, in opere illo plus quam regio Translationes ceteras sex, videlicet Samaritanam, Samaritano-Chaldeam, Chaldeam, Syriacam, Arabicam, Græcam, magno omnes loco habendas, masculinum habere, solam è contrario Vulgatam, quam Augustinus & cæteri Patres Latini sine prævio examine fuit secuti, contra earum omnium consensum obtrudere femininum. Ut ex auctoritate Patrum Græcorum porrò contra sententiam Augustini & aliorum Patrum Latinorum agam, opus esse non videtur, cum Bellarminus illorum consensum nobis ultrò largiatur, horum contentus numero, nisi quod *Chrysostomum* immisceat, quasi eadem cum latinis Patribus facientem, de quo tamen inter alios cordatiores *Pamelius*, ad secundum *Cypriani* adversus Judæos Librum, ubi idem Oraculum in masculino genere citatur, monuit, *Græcum illius contextum ista etiam legere, hæc tamen cum additione, priorem ejus interpretem Latinum legisse femininum, quod idem Josepho quoque, rerum Judaicarum Scriptori Græco, & in ipso Textu, & in Versione Latina accidisse, post alios in ad priora Josephi capita exercitationibus notatu dignum existimavit Bæclerus, Scriptor in Sacra etiam literatura non inexercitatus. E numero, quos inter Papæos dixi hoc in puncto cordatiores & Ebraicæ Veritati præ aliis pluribus addictos eminet *Andrædium*, rigorosissimus Fidei Tridentinæ contra *Chemnitium* Defensor, cujus contra Vulgatam Lectionem editionis Latinæ hæc adducit *Muisius*, supra non semel auditus: *Quamvis Virgini Deipara multi piè & religiosè accommodent, tamen cum in vetustissimis quibusdam Latinis Exemplaribus reperitur (Ipse) & cum Ebraicis id Voluminibus conspiret, ita esse legendum non dubito, cui auctoritas Hieronymi favet.* Addit, proferre *Andrædium Leonis Magni* è Patrum Latinorum numero testimonium, cujus, utpotè Pontificis Romani verba hic etiam omninò legi debent: *Deus in Solenn. Omnipotens & Clemens, cujus natura Bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, statim ut nos Diabolica malignitas sua mortificavit invidia veneno, predestinata renovandis mortalibus suapietatis Remedia inter ipsa Mundi primordia præsignavit, denuntiavit Serpenti futurum semen Mulieris, quod noxii capitis elationem suâ virtute contereret, Christum scilicet in carne venturum hominemque signans, qui natus ex virgine violatorem humane propaginis incorrupta Nativitate damnaret.* Et quia *Pamelius* loco antè citato è Patribus Græcis *Trenæum* fassus est esse nostrum, id quod etiam clara ejus verba testantur, non præter rem hic adjunguntur, quæ *Fevardentius* ad illum locum in rem præsentè utiliter valde notavit: *Differitur de Christo, Semine mulieris promisso, ut serpentis caput, id est, Mortem, Antichristum, Diabolum, Peccatum, Infernumq., homine salvo superaret, arg. ita illum Genesios locum intelligendum ac explicandum esse, docent que sequuntur alia Genesios loca, & Paulus indicat. Aded quoque manifestum est, illius promissi sacri Seminis nomine Christum esse significatum, nomine autem serpentis Diabolum, ex Isaia, Iohannis, Pauli, Petri & Sanctorum Patrum unanimi consensu. Quod ultimum ideo magis notabile**

Anal. Hi- stor. theol. Dissert. I. pag. 131.

c. 9. n. 51.

Dissert. Acad. P. 496.

Adfert. III Ebr. verit. Oper. Tom. II. p. 244. Homil. II. in Solenn. Nativ. mox ab init.

Lib. III. adv. hæres. c. 25.

bile est, ut obvietur calumniæ Bellarmini, qui, dum Chemnitium scribere monet, de Semine, id est, Christo loqui in hoc Oraculo scripturam, ut omnes Fereses docent, vel, ut ipsa Chemnitii verba habent, Textum Ebraum, Chaldaum, Græcum, & totam Antiquitatem legere & interpretari de ipso semine, mendacium ei impegit, Fewardentio quoque impingendum, utpote eadem cum Chemnitio scribenti.

Alter locus sequitur, quem Bellarminus Augustini testimonio tanquam in Vulgatâ benè valentem vindicavit, numero & ordine ibidem observato *quartus*, non minus, quam de quo proximè est actum, vexatus, de ob vel prolatione Sacrificiali Melchisedeciana, qui verò, dum infra circa Examen Sacrificii, ut audit, Missatici recurret, suo in loco utpote debito uberius tractabitur. Jam plus ultra eundem est, Bellarmino nos ad Davidem, Regium Prophetam & Plaltem, ducente, inque Versionis Vulgatæ Vindicis, circa *Psalmi sexagesimi & septimi*, vel juxta Ebraicam Veritatem octavi sensum, in uno & altero Versu ad Augustini autoritatem provocante. Versus tertii & decimi initium juxta Vulgatam ita habet: *Rex Virtutum dilecti, dilecti*. Hanc Versionem non Calvinus solum taxavit, sed Evangelici Doctores etiam, nominatim D. Hunnius noster, in Examine primæ hujus Controversiæ Anti Bellarminianæ, ad Hieronymi Versionem ex Ebræo fonte desumptam, ad eoque commodiorem provocans. Hæc tamen non obstante, & quia semel fuit decretum, Vulgatam defendere Versionem, etsi multis in locis incongruam, Bellarminus non hic tantum, sed & in explicatione Plalterii ex professo hanc adstruit lectionem, inter alia etiam, ut dixi, autoritate Augustini munitus, Lectionem hanc & Versionem adprobantis. Ut, quid hæc de re statuendum sit, etsi de nullo Fidei articulo agatur, breviter ob oculos ponatur, in genere illud notari potest, quod dudum jam D. Balduinus noster monuit, non deesse, qui dubitent, an liber ille enarrationum in Psalmos sit Augustini, quia non moris ipsi fuerit, tales edere Glossas, nec mentionem istorum fecerit Possidius vel Possidonius, ut ut contrarium Bellarminus in de Scripturibus Ecclesiasticis testetur, quo usus micro-vel potius macroscopio, ipse viderit. Et ne Evangelici Doctoris testimonium videatur suspectum, audiatur, quid Sixtus Senensis de his enarrationibus censuerit, ita scribens: *Hos tractatus pii & benevoli auditores ex ore ejus collectos in integrum & ordinatum, quale nunc habemus, digesserunt corpus. Genus Expositionis ubique allegoricum & morale est, literalis intelligentia parum attingens. Hieronymus in Epistolis ad Augustinum taxare videtur hos Commentarios, tanquam nimis obscuros, & in non-nullis etiam a recta linea, & à sua Græcorumque omnium Tractatorum mente discrepantes. Suspicio Hieronymum desiderasse in his enarrationibus explicationem Psalmorum juxta Ebraicæ Veritatis puritatem & Græcorum expositorum sententiam. Sed cum Augustinus Ebraici Sermonis esset ignarus, & in Græcis Literis non sic instructus, ut Græca Commentaria manu libera possit evolvere, necesse fuit, illum sæpe ex inopia literalis intelligentiæ à vero ac proprio literæ sensu ad extortas deflectere Allegorias. His ita in genere præsuppositis, quæ non parum juvare possunt, facile patet, quid in specie ad præsentis loci sensum contra Bellarmini ad Augustini autoritatem provocantis pro Vulgatæ editionis versione Vindicis responderi possit & debeat. Nimirum, dum Bellarminus putat, Interpretem Latinum non posse accusari, ideo quod fidelissimè verterit id, quod in Græco reperit; non enim ex Ebræo, sed Græco traductos esse Psalmos, non ita benè rem suam defensisse censendus est. Hanc enim ob causam ægrè ferunt Evangelici Canonisationem Versionis Vulgatæ, non ex ipso Fonte, sed rivulo derivatæ, & hinc eò impuriore, quo longius à fonte recedit, id quod è præsentis Textu etiam constat. Inde cordatiores ex ipsis Papæ S. Scripturæ & in specie Plalterii Interpretes, nominatim Cajetanus, Genebrardus, Engubinus, Mariana, Iansenius, Maldonatus, & qui supra pro Ebræi Textus integritate verba fecit, Muisus, & inter Papistantes Grotius, non attenta Augustini & aliorum interpretum Latinorum autoritate ad Ebræi Textus sensum contra Vulgatam libere & audacter provocarunt, quorum verba, & Vulgati interpretis correctiones prolixius huc exscribere non vacat, quia commodius in eorum Commentariis & observationibus leguntur. Eadem ratio est alius loci ex eodem Psalmo desumpti, quem Bellarminus itidem juxta Latinam Versionem ex autoritate Augustini defendere satagit, ubi quæ in Ebræo Textu de reductione ex profundo maris habentur, in Latina Versione ad conversionem in profundum maris sine omni sensu referuntur, contradicentibus iterum plerisque interpretibus ad Ebræi Textus intellectum attentis. Incidenter id tantum notari potest, Bellarminum malè ad Kimchii testimonium provocare, quasi rectè ex Ebræo possit verti, in profundum, cum*

Oper. Lat.
tin. Tom.
II. p. 160.

Tholph.
pag. 521.

Bibl. S.
Lib. IV.
pag. 257.

si nuperam ejus Commentariorum in Psalmos Versionem Parisiis editam, aut quæ ex iisdem *Johannes Vinars*, Anglus, ante non ita plures annos suis *Decaplis* inseruit, Bellarmino legere datum fuisset, nullum sit dubium, quin hujus testimonii citatione superesset. Tertius nunc superest ex Psalterio locus, quem Bellarminus ad auctoritatem Interpretis Latini tuendam Augustini etiam consensu munit, desumptus è Psalmo post centesimum trigesimo & primo, vel juxta Ebræos secundo, in cujus Versiculo quinto & decimo dum Ebræus Textus habet, *Victum ejus benedicendo benedicam*, Latinus autem pro *Victum* legit *Viduam*, nemo non videt, multum discrepare ad fonte rivulum, & nihilo tamen minus à Bellarmino defensum, quamvis miserimè & non sine existimationis detrimento. Quid enim quæso est, dicere, *Si nullus* (non, nullus) *error hic est, esse in Græco*; quam fateri, si sit error, errare Latinum cum Interprete Græco? Et quam absurdè præterea statuit Bellarminus, sensum utriusque, & Ebræi nimirum Textus & Latini Interpretis, id est, sive *Victum*, sive *Viduam* legatur, esse eundem ferè! Ingenuè iterum Muisius: *Error in Latino nasci potuit inde, dum aliquis inconsultè Veritate Ebræicâ, nec inspecto Codice Græco, quod statim sequerentur pauperes, peravit Victum esse mendam, ideoque nihil basitans Viduam reposuit.* Seductus igitur fuerit Augustinus cum quibusdam aliis Doctoribus Latinis, qui ex Idiomatici sacri ignorantia ad fontem recurrere non potuerunt, nullo tamen modo id in Veritatis præjudicium inservire debet, ne rivulos injectis ab hoc & illo lapillis turbidos purgare liceat, àque impuritatibus hic & ibi contractis liberare. Nullum certè est & esse potest vel debet dubium, quin ipse Augustinus, si hodiernum viveret, ubi fontes sacri plurima ex parte, per Deigratiam, ad integritatem pristinam sunt redacti, satis purè fluentes, grato agnosceret animo, si seductum se meliora doctus videret.

Ad aliqua Novi jam Fœderis loca ut veniamus, quæ ex Interprete Vulgato Bellarminus Augustini auctoritate defendere se posse putat, occurrit locus ex capite Johannis decimo & quarto, ubi Christus suis Apostolis promisit, *Spiritus S. suggeret vobis omnia, quæcunque dixerò vobis*, juxta Versionem Latinam; quam Chemnitius noster ideo dixit esse depravatam, quia pro tempore præsentis futurum posuit; ad probandum, quæcunque in Conciliis definiuntur, pro Spiritus S. Oraculis accipienda esse, quod tamen Bellarminus negare videtur, prætendens, *Catholicos*, id est, Romano-Papæos, *in hoc verbo fundamentum auctoritatis Conciliorum non ponere*, de cætero, *Augustinum & alios Veteres sic legere, ut hodiernum in Vulgatâ legitur, & sensum esse eundem cum Græco*, quem negare non potuit de præsentis tempore intelligendum esse. Contradicit nimirum sibi ipsi, vel potius scribit Bellarminus. Quam verè enim de ipso Verborum sensu agnoscat, intelligenda esse ea non de futuro tempore, sed præsentis, quorsum etiam Augustini respicit Explicatio, suo legenda loco; tam fallè ab eodem & e contrario adferitur, sensum Interpretis Latini eundem esse cum sensu Textus Græci, quod nihil aliud est, quam si Bellarminus scripsisset, futurum tempus esse idem cum præsentis, quod quam absurdum sit, ipse forsitan agnovisset, si quæcunque ille vitæ Chartæ, promptitudine sæpius infelicissima, accuratiori mentis trutina ponderasset prius, id quod in hac Polemographia universali fieri omninò debebat. Quod porro se cum suis Symmachis fundamentum auctoritatis Conciliorum in hoc verbo ponere inficias ire est ausus, nimis se immemorem ante dictorum vel scriptorum postea ostendit, dum inter alia ad Conciliorum generalium & à Pontifice Romano tanquam Ecclesiæ summo Capite approbatorum auctoritatem, & infallibilitatem demonstrandam præsidia ex S. Scripturis desumpta, non quidem hoc expressè testimonium, sed omninò eidem simile & parallelum adduxit, ex sexto videlicet & decimo Johannis capite, quo sensu planè eodem Christus itidem Discipulis promisit, *Spiritus Veritatis docebit vos omnem Veritatem*, quod idem est cum promissione antecedente; *Spiritus S. suggeret vobis omnia, quæcunque* (non dixerò tum, sed jam) *dixi vobis*. Post hunc citatur alius N. T. locus, ex Versione Latina Augustini auctoritate defendendus, ex initio Epistolæ ad Romanos desumptus, ubi in Vulgata editione Christus dicitur esse *prædestinatus Dei filius*, quam iterum non Calvinus solum, sed & Evangelici Doctores ob sensum scopo Apostoli planè contrarium non immeritò reprehendunt, Bellarminus verò, Interpretem hunc optimè Verba Pauli reddidisse, defendit, præter alios Doctores Latinos, Augustini etiam consensu nixus, Addunt alii quosdā Patres Græcos, quorū testimonia hic excutere est præter Instituti rationem & alius loci. Nunc id videndum, an hæc Translatio ex auctoritate Augustini à Bellarmino tanquam optima rectè defendatur? Contrarium huic si ex auctoritate domestica

Vid. Dilher. Tom. I. Dispp. pag. 328.

Lib. II. de Conc. cap. 2.

vid. Doct. Dorich. Pentad. Disp. 13. num. 9.

demonstrabitur, ad rem ipsam nihil ultro desiderari poterit. Est ea *Gulielmi Esthii* Professoris antehac *Duaceni*, Commentatoris notissimi & apud suos æstimatissimi, qui postquam ostendit, quo sensu Christus dici possit prædestinatus Dei Filius, & plerique Commentatores Latini hæc Pauli Verba interpretati fuerint, Augustinum quoque eis adiungens, ita porro scripsit: *Sumitur interdum vox Græca pro eo, quod est declaratum seu confirmatum. Ita accepit hoc loco Syrus Interpres, dum vertit agnitum. Eadem significatione acceperunt Chrysostomus & cæteri post eum Græci Tractatores, qui quidem Verba Apostoli ad hunc modum exponunt: Idem ille, qui factus est ex semine David secundum carnem, quem proinde constat verum hominem fuisse, etiam declaratus est & certissimis argumentis comprobatus esse Dei Filius. Hæc, ubi eam argumentis ab Apostolo recensitis illustravit, inquit Esthiius, hæc Græcorum expositio satis expedita & facilis est, & probè quadrat Instituto Pauli. Deinde veram ac Germanam esse id arguit, quod & alibi Paulus eadem hæc argumenta proferat, quibus declarata sit & confirmata Fidei veritas. Porro, Latinorum interpretatio, præter eam difficultatem, quam parit hic Sermo, Christum esse Filium Dei prædestinatum (quod certè in scripturis alibi non legitur,) etiam in explicandâ Syntaxi & sensu verborum sequentium, In Virtute, secundum Spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum, multum laborat, nec tamen Lectoris animo satisfacit. Adidit plura ad hujus sentus uberiorem ex ipso Textu & locis parallelis enucleationem, quæ ibi quam hic commodius leguntur. Patet ex his sufficienter, *Esthium* contra *Bellarminum*, quin & Augustinum cæterosque Patres Latinos, *Vulgatæ* Versioni inhaerentes, esse nostrum, & non solum ad Patres Græcos, Idiomatici Apostolici magis gnaros, adeoque magis æstimandos provocare, sed etiam ad Testes domesticos, *Laurentium Vallam*, *Fabram Stapulensem*, *Cajetanum*, ut & *Erasmum*, omnes Græciam pro eruditionis Matre agnoscentes, quibus ex prioris seculi scriptoribus & Apostolicis Commentatoribus adjungo *Guiliandum*, laudatissimum *Sixto Senensi* & *Possevino* Collatorem, ex novissimis verò & omnium Recentissimis *Fromondum*, non ita dudum in *Cathedrà Lovaniensi* Antecessorem, pluribus aliis consentientibus jam non attentis, cum horum testimonio satis tuti esse possint Evangelici contra quorumvis aliorum ad Latinam editionem, & eidem patrocinantium Patrum Latinorum, nominatim Augustini, auctoritatem provocantium insolentiam & temeritatem. Neque multum dissimili Apologia nos munire possumus contra objectam Augustini auctoritatem, quoad testimonium ex undecimo capite ejusdem ad Romanos Epistolæ desumptum, in quo de oppositione operum & Gratiæ agitur, altera parte argumentationis Apostolicæ per Interpretem Latinum ommissa, cujus vel caula *Chemnitius* eundem ex debito accusavit, conquestusque est graviter non immerito, quod eam pro authentica Versione venditare & commendare ausi fuerint Patres Tridentini, in quâ præter alia plura tam insignis pars Oraculi tam classici desideretur. Responder *Bellarminus*, esse quidem in Græcis Codicibus illam sententiam, id est, legi in fontibus, undè purior, quam è rivulis aqua hauritur; & à *Theophylactō* explicari, cui Oecumenium & *Theodoretum*, qui Textus fontanum melius, quam Latini Commentatores erant, peritos addere potuisset & omninò debuisset; à nullis tamen aliis agnosci, nominatim non ab *Origene*, non à *Chrysostomo*, non ab *Ambrosio*, nec ab ullis aliis hujus loci Explanatoribus, quin nec ipso etiam Augustino, frequentissimè quamvis hunc locum tractante. Ut de cæteris non dicam, utpote ad hoc Examen non pertinentibus, Augustinus idèd hanc Oraculi Apostolici partem non explicasse censendus est, quia suo jam tempore Versio Latina, qua usus est, eam non habuit; qui si Græcos tanquam bonæ fidei possessores in hoc & aliis consulisset, ad ipsos nimirum fontes respiciens, nullum est dubium, quin argumentationis Paulinæ cohærentiam ultro agniturus fuisset. De *Origenis* & *Ambrosii* in Paulum Commentariis hodie extantibus non ignotum est, quid Criticorum eruditiores utriusque partis censeant. Et quia *Chrysostomi* operum editio, qua in præsens fruor, nihil ejus Commentariorum in Epistolam ad Romanos exhibet, nihil de eo nunc quidem pronuntio.*

CAPUT DECIMUM QUINTUM ET SEXTUM.

De

Editionibus Bibliorum Vulgatis.

NON pauca ex Augustino loca ad hujus Controversiæ tractationem collegit *Bellarminus* pro more, quæ tamen si rite inspiciantur, parù valde aut plane nihil conferre

fit perspicuum; quod ne sine causâ dictum videatur, lubet ea breviter ordine, qui Bellarmino placuit, repetere, ut responsio ad ea eò facilior pateat. Nihil autem ad rem facit, quod, ut probet, *Apostolum Iohannem Græcè scripsisse primam Epistolam, & quidem Parthis, cum tamen Lingua Græca Parthis non esset materna*, testimonio Augustini illum munire studuit Bellarminus, in animo habere debens, quod eodem hoc capite in argumenti quarti explicatione paulò post expressè scripsit, *hanc esse rationem à priori, cur omnia fere Apostoli Græcè scripserint, nimirum quia tunc lingua Græca omnium fuerit communissima*, Cicerone id in primis confirmante. Nec quidquam valet, quod ex eodem Au-

epist. 118.
ad Hieron.

Lib. II. de
Doctr.
Christ.
cap. 11.

Lib. IV.
de Bapt.
c. Donat.
cap. 24.

In Adpar.
S. Tom. I.
pag. 846.
Bibl. S.
lib. 6. An.
not. 152.

Lib. II. de
Doctr.
Christ.
cap. 5.

gustino monet, *contra id, quod universa facit Ecclesia, disputare, insolentissima esse insanie*. Nondum quippè est demonstratum, quod Bellarminus tam audacter, imò impudenter adserit, *Universam Ecclesiam semper his tantum linguis, nimirum Ebraâ, Græcâ & Latinâ usam esse in communi & publico usu Scripturarum, cum tamen jam dudum deserint esse vulgares*. Et quam subjungit ex Augustino hujus adseri demonstrationem, nulla est, si quam mitissimè cum Adversario agatur, hæc ex Augusto Doctore Verba, ac si ita scripsisset, citante: *Ad Intelligentiam Scripturarum esse necessariam cognitionem tantum trium linguarum, Ebraicæ, Græcæ & Latinæ*. Ex præcedente enim testimonii hujus Augustinianæ citati ad secundum libri hujus secundi caput factâ patet, Bellarminum non sine falsi crimine particulam *tantum* verbis Augustini atque impertinenter intrusisse, ad eòque mentem augusti Doctoris nequiter, si quod res est, dici debet, pervertisse. Agit nimirum Hipponenfis Præsul ibidem non cum simplicioribus ex Auditorum numero, sed, quod non solum ex initio, sed & ex contextu totius Scripti constat, cum iis, quos tanquam futuros S. Scripturarum Tractatores suscepit instruendos, quos eo in loco duabus alis ad Scripturarum Divinarum cognitionem opus habere, Ebraâ scilicet & Græcâ monuit, *ut ad Exemplaria recurratur præcedentia, si quam dubitationem attulerit infinita Interpretum Latinorum varietas*. De cætero duabus vel tribus hisce linguis non ita omnem Eruditionis Biblicæ thesaurum circumsepsit Augustinus, vel intra earum limites conclusit S. literarum studiosos, sive ex Tractatorum, sive ex auditorum ordine, ut non aliarum quoque Linguarum & Versionum ultrò concesserit usum. Indè in Prologo hujus Scripti expressè habet, *Concedi necessum esse, unumquemque & ab ineunte pueritia, consuetudine audiendi, suam didicisse linguam, & aliam aliquam, Græcam vel Ebraicam, vel quamlibet cæterarum, aut similiter audiendo, aut per hominem Præceptorem accepisse*, quibus verbis clarè satis mentem hac de re suam expressit Augustinus. Quæ porrò ex eodem Doctore Augusto adferuntur, scribente: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur*, idem expectare debent responsum, quod proximè datum est. Repeto enim, nondum esse demonstratum, quod Bellarminus adserit, *Universam Ecclesiam semper his tantum linguis, de quibus non semel hætenus, usam esse in communi & publico Scripturarum usu; quin potius contrarium non ita difficulter demonstrari potest*. Hinc ipse Bellarminus omninò inficias ire non est ausus, quod *Chemnitius* objecit, *Hieronymum* vertisse Scripturas in Linguam Sclavonicam, hoc solum excipiens, *non id idè fecisse Hieronymum, ut publicè legeretur Scriptura Sclavonicè, sed ad consolationem eorum hominum, qui eâ sine periculo uti poterant*, quod posterius etsi suo modo videatur sufficere, prius tamen non tollit, ut non hæc Versio S. Literarum Sclavonica in Ecclesiis Sclavonicis publicè fuerit simplicioribus prælecta, id quod etiam credere par est de ea Versione Bibliorum in linguam Armenicam, quam Armenos ea hodiè utentes *Chrysoptomi* industria & sollicitudine editam credere *Possévinus* monet, addens, meminisse hujus Translationis *Georgium* Patriarcham Alexandrinum in vita *Chrysoptomi* &c. Idè & *Sixtus Senensis* agnoscit, præter citatas *Hieronymi* & *Chrysoptomi* Versiones, testibus plerisque Ecclesiasticis Scriptoris laudatas, *Vulphilam* quoque Gothorum Episcopum S. Biblia in linguam Gothicam transluisse, nullum certè alium in finem, quam ut publicè & privatim à doctis pariter & indoctis, à Sacerdotibus & Laicis legerentur & tractarentur. Et huc pertinet in signe Augustini testimonium, quod totam hanc rem absolvere videtur, ita scribentis: *Factum est, ut Scriptura Divina, ab una lingua profecta, quæ opportunè potuit per orbem terrarum disseminari, per varias Interpretum linguas longè lateque diffusa, innotesceret gentibus ad Salutem, quam legentes nihil aliud adpetunt, quam cogitationes voluntatemque illorum à quibus conscripta est, & per istas voluntatem DEI, secundum quam tales homines esse locutos credimus, invenire*. Consentit Hieronymus, qui in præfatione ad Damasum in quatuor Evangelia, quam inter alias plures Editioni Vulgatæ præfixam legere licet, fatetur, *multarum*

Gentium linguis Scripturam ante se translata esse. Quin & notanter Theodoretus: *Græc. Ad-
fect. Curat.
Serm. V.
p. m. 555.* Ebraica lingua, non in Græcorum modo linguam versa est, sed etiam Romanorum & Ægyptiorum, Persarumque & Indorum & Armeniorum, & Scytharum ac Sarmatarum, atque, ut semel dicam, in linguas omnes, quibus ad hanc diem Nationes utuntur. Quæ testimonia tam luculenta, quibus alia insuper, ubi opus erit, addi possunt, si Bellarminus ante oculos habuisset, & rem seriò agere voluisset, prolixiori opera pro Latinæ in primis linguæ in Sacris usu demonstrando superfedere potuisset, neque etiam tot iteratis vicibus Augustini auctoritatem sollicitare, qui in eo etiam nihil planè subsidii Bellarmino confert, in citato proximè libro de Doctrina Christiana, & in alio quodam Scripto de Perseverantiâ Bono testatus, *Psalmos tempore suo in Ecclesia Latine cantari consuevisse*, & in Missa post illud, *Habemus ad Dominum*, mox subdià Sacerdote, *Gratias agamus Domino Deo nostro*, & responderi, *dignum & iustum est*; undè colligi manifestè putat Bellarminus, *in Africâ Missam Latine dici consuevisse, nec non Lectionem vel Epistolam & Evangelium, quæ ex præcipuis Missæ partibus sint*. Et quia responderi posse prævidit, Latinam linguam illo tempore in Africa omnibus fuisse vulgarem, illud indè negari posse existimavit, quia ipse Augustinus in Expositione inchoata Epistolæ ad Romanos testetur, *quosdam Latine & Punicè, quosdam Punicè tantum scivisse, & tales fuisse omnes penè rusticos*, ex eodem loco & Sermone trigésimo-quinto addens duo vocabula Punica, quorum Augustinus ibidem meminit. Verum, ut non rigorosè urgeam, *omnes penè rusticos in Africâ Punicè tantum scivisse*, Augustinum expressè non habere; illud tantum quæro, quoniam Sermonem Augustinus, Hipponensis Ecclesiæ Præsul, ad populum habita fecerit? Punicè an Latino? Illud vix quisquam adfirmabit, nisi omnium eruditorum in se contradictionem vel risum potius concitare velit. Ergo fatendum erit hoc, nimirum Sermones Augustini ad populum ea habitos fuisse lingua, qua hodiernum leguntur; ergò auditores hujus linguæ oportet peritos fuisse, nisi Augustinus dicatur antè hunc fuisse concionatus. Ergò, qua lingua Sermones ad populum habiti fuerunt, cur non eadem in cætero cultu Ecclesiarum publico fuerit adhibita. Si non omnes rustici in Pagis Punicè simul & Latine loqui didicerunt, sed posito, omnes ferè tantum Punicè quis dubitabit, habuisse eos Pastores Chorepiscopos hujus Punicæ Idiomatis gnaros, & quia Theodoretus testis est, *Scripturam in linguas omnes, quibus utuntur Nationes, translata esse*, fortè etiam Biblia, vel ad minimum Novi Testamenti libros, aut ex eis certos quosdam Textus Evangelicos & Epistolicos, in Idiomatico suo materno habuerunt, ut exindè, Augustino teste, Voluntatem DEI invenire, & quantum satis est, haurire possent. Quod Punicæ attinet vocabula, quorum ex Augustino meminit Bellarminus, & qualia multò plura ex Augustino alii observarunt & explicarunt, quia nihil ad rem faciunt, facile & sine omni damno prætermittuntur.

Ad solutionem objectionum contra Latini Idiomatis in S. Bibliorum propositione usum ut veniamus, quousquè nimirum Augustini iterum auctoritas nos ducet, cum ad locum Pauli notissimum è decimo & quarto capite prioris ad Corinthios Epistolæ desumptum respondere Bellarminus debuit, ubi in specie *Laicorum* fecit Apostolus mentionem, in publico Ecclesiæ cultu quam maxime observandorum, ne quid fiat aut dicatur, quod eorum fugere & latere possit intellectum, & ne præmissa Bibliorum Lectione & Interpretatione, quæ sub prophetandi officio intelligitur, Amen dicere cogantur ad preces sibi ex Idiomatis peregrinitate non intellectas; aliam Bellarminus comminiscitur oraculi hujus Apostolici expositionem, auctoritate Cypriani, & hanc sequentis Augustini nixam, adfirmans, *in magnâ hujus capituli parte non agi de lectione Scripturarum, nec officiis Divinis, sed de Exhortatione Spirituali sive Collatione, & de Cantibus Spiritualibus, quæ Christiani componebant ad laudandum Deum & gratias ei agendas, & simul ad suam & aliorum consolationem & adificationem*. Atqui divellit Bellarminus quæ conjungi debebant, & opponit sibi invicem, quæ subordinata sunt. Cyprianus Lib. II, de Bapt. c. Donat. cap. 8. certè, & qui Eum sequitur Augustinus, dum loco per Bellarminum citato unius Verficuli ex citato capite prioris Epistolæ ad Corinthios sensum exponunt, nullo plane modo tollunt ea, quæ Apostolus in sequentibus prolixè tractavit. Et ne in turbido piscari velle videar, ad Apostoli verba, *Propheta duo vel tres loquantur, & ceteri examinent; Si alii sedenti revelatum fuerit, ille prior taceat*, Cypriani hanc Explicationem adfert Augustinus: *Hæc in parte docuit & ostendit Paulus, multa singulis in melius revelari, & debere unumquemque, non pro eo, quod semel imbiberat & tenebat, pertinaciter congregari, sed si quid melius & utilius extiterit, libenter amplecti*. Addit Augustinus, de Baptismo vel potius

Anabaptismo Cypriani & quorundam aliorum, Cypriani Sententiam illo tempore adprobantium, agens: *His usque verbis non solum eos (ceteros nimirum Episcopos in Synodo Chartaginensi congregatos Cyprianus) admonuit sibi consentire, qui melius aliquid non videbant; sed etiam eos hortatus est, si qui possent adferre aliquid, quo prior consuetudo servanda potius firmaretur, ut si tale esset, quod refelli non posset, etiam ipse ostenderet, quam veraciter dixerit, debere unumquemque, non pro eo, quod semel imbiberat & tenebat, pertinaciter congedi, sed si quid melius & utilius extiterit, libenter amplecti.* Coactus hæc exscripti, quia constituto præsentis non intersunt, ideò tantum, ut videatur, quam impertinenter à Bellarmino in hujus objectionis solutione &, Apostolici Sensus explanatione ad Cypriani & Augustini auctoritatem fuerit provocatum, id quod ulterius ostendere minus est necessarium. Hoc solum nunc notetur, an existimandum sit, quia Apostolus de Prophetarum, id est, Sacræ Scripturæ in publicis Ecclesiæ Conventibus Interpretum officio agit, quo nimirum modo inter se invicem gerere se debeant, ne ulla inde oriantur Scandala aut Schismata, id quod in unâ parte hujus citati capitis tractatur; ideò Eum non simul de Lectione Scripturarum publicâ, cæterisque ad Cultum Dei pertinentibus officiis in Linguâ Laicis simplicioribus notâ peragendis monuisse, cum interpretatio Scripturarum publica, & sententiarum super iis legitimoque earum intellectu collatio ipsam Textûs Bibliici lectionem & prælectionem publicam præquirat & communiter præsupponat, ut de quo dicatur & sermo fiat, Laici simpliciores eo facilius percipiant. Estque simul insigne deficientis apud Bellarminum Judicii specimen, quod negare ausus fuit; agi in citato sæpius Oraculo Pauli de officiis Divinis, & tamen concessit, agi de Canticis Spiritualibus, quasi ea ad officia non pertinerent, aut quasi hic à parte ad partem & à specie ad speciem non liceret argumentari, nimirum; Si cantica in publico Ecclesiæ cœtu ita par est fieri, ut nemo non intelligat, indeque ædificationem habere possit & inprimis consolationem; non minus in cæteris Ecclesiæ functionibus, & ante omnes alias in ipsâ scripturarum prælectione & interpretatione publicâ, id quam maximè curandum esse, ut omnia ad simpliciorum usum & quotidianum in Christianismo incrementum cedant. Ob quam causam

distinct.
38. c. Se-
culo.

Serm. 55.
de Temp.

Augustinus alibi graviter hortatus est, *ut populus ad id, quod planè intelligit, dicat Amen,* verbis Juri Canonico insertis; non verò hoc solum, sed illud insuper etiam, ut Sacra in publicis Ecclesiæ Conventibus officia sequantur & simul comitentur privatæ Pietatis documenta: *Non sufficiat, quod in Ecclesiâ Divinas Lectiones auditis, sed etiam in Domibus vestris aut ipsi legite, aut alios legentes requirite & libenter audite.* Quæ Augustini admonitio si locum habere debuit, omninò necessum fuit, ut auditores ejus domi suæ habuerint Versionem Bibliorum Vernaculam, & quod ex antecedentibus constare potest, si non omnes Latini Idiomatis fuerunt gnari, in specie Punicam, aliâ à lectione Scripturarum facilè se contra Augustini monitum excusare potuissent, tam facilè nimirum quam omnes Pontificiorum Laici, si eos ad Scripturæ Lectionem Episcopi hortarentur, nullâ tamen Versione ejus Vernacula in manus tradita.

oper.
pag. 86.
Edit. Pa-
ris.

Ut autem per brevem Digressiunculam ad Oraculi Apostolici illustrationem adhuc semel redeam, notatu omninò digna sunt, quæ priori Seculo ad præsens Institutum quam accommodatissimè ex usu Veteris Ecclesiæ, adeoque & ejus, quæ tempore Augustini in Africa floruit, in defensione libelli de officio Viri Pii multa cum observatione scripsit Cassander, Author si quis alius hic ante plures audiendus: *Optandum videtur, ut juxta Apostolicum Mandatum & priscum Ecclesiæ morem in publicis Ecclesiæ precibus, Canticis & Lectionibus, quæ populi causâ suscipiuntur, populi quoque ratio aliqua habeatur, neque in totum & perpetuò ab omni communitone precum & lectionum Divinarum vulgus fidelium arceatur. Manifesta sunt verba Pauli, non intelligi posse, quod dicitur, nisi per linguam significantem Sermonem exprimas, & eum, qui ob imperitiam, quod dicitur, non intelligit, fieri non posse, ut ad alterius gratiarum actionem respondeat Amen. Et Oraculum illud, cujus monitu Pontifex Romanus cum Cardinalium Senatu genti Sclavorum concessisse dicitur, ut Patria Lingua in Sacris operandis uterentur, ad omnes Christiani Nominis gentes pertinere videtur: omnis spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur Ei. Cajetanus etiam, Vir haud dubiè doctissimus & acutissimus alicubi scripsit. Melius esse ad ædificationem Ecclesiæ, orationes publicas, quæ audiente populo dicuntur, linguâ vulgari in Ecclesiâ dici, quam Latina. Idque, cum à quibusdam reprehenderetur, respondet se fundasse super doctrina Pauli. Atque haud ita difficile esset, per eos, qui Ecclesiæ gubernationem tenent, in his & similibus ad normam prisca & purioris Ecclesiæ correctionem & instaurationem*

nem

nem feri, nisi quorundam animos inanis metus occuparet, & vana Superstitio implicaret; quod tamen nisi fiat, spem nullam video, firmam in Ecclesiâ consensionem & Concordiam futuram, aut seminaria Schismatum & dissidiorum defutura. Neque illud quoque possum videre, quo modo non ipsi quoque, quibus Ecclesiæ cura est demandata, perturbata & dilacerata Ecclesiæ Rationem sint reddaturi, quam pro officio suo curare, & causas, undè hereses & schismata nascuntur, præscindere neglexerunt. Hæc ille graviter, qui & insuper in proximè sequentibus de Augustini monito circa consuetudinum Ecclesiasticarum observationem, ad quod Bellarminus supra provocavit, prolixè agens, hoc inter alia factus est ingenue, non nullas consuetudines etiam universales usque eò degenerare posse, ut etiam paulatim aboleri possint, modò id sine Ecclesiæ graui lesione fiat. Quin & idem Cassander alibi, nimirum in Liturgicis, agens de lingua, qua lectiones & preces in Divinis officiis & celebratione Mysteriorum concipiuntur, præter alia Scriptorum Ecclesiæ antiquorum testimonia ad eum quoque Augustini locum provocavit, qui paulò ante ex Jure Canonico fuit adductus. Et quia post Augustini, præprimis etiam Cajetani auctoritate se munivit, consilium ejus ex Apostolico fonte haustum insigniter commendans, non possum non simul monere, insigniter illud aliis displicuisse Scriptoribus Papæis, nominatim perpetuo ejusdem castigatori Catharino, qui consilium hoc à spiritu Veritatis non provenisse ausus est scribere; cui inter nuperos & recentiores accedere voluit opinio num in Controversiis Moralibus Benignarum staterista *Andreas Mendo*, qui dum Cajetanus, ut Verba sonant, *Melius esse statuit ex doctrinâ Pauli ad ædificationem Ecclesiæ, orationes publicas, quæ audiente populo dicuntur, dici lingua Clericis & populo communi, quam Latinâ; audacter & impudenter contrarium scripsit: Non est id melius, cum oppositum fiat ab Ecclesiâ universali, (Romano-Papæâ) quæ pluribus movetur efficacibus rationibus, ne lingua Vernaculâ Litaniæ, preces & orationes publicas ad Deum fundat, sicut etiam prohibiti sunt Sacram (ita Latinissimus Ignatii Socius) in lingua vernacula circumferri.* Et tamen non obstantibus hæc laudatus supra Commentator *Estius*, post explicata prolixè Apostoli Verba, quæ hic attenduntur, agnovit, per se bonum esse, ut officia Divina celebrentur eâ, quam plebs intelligit, lingua, id enim per se ad plebis ædificationem conferre, & id bene hunc probare locum, inde & formaliter atque abstractè consideratam Cajetani prohibitionem esse veram; quamvis hypothesi Romanæ coactus invlvere, hæc adpendicem subjunxerit, non tamen illud bonum esse consideratis omnibus circumstantiis, quarum tres quidem enumeravit, non tamen illius momenti & ponderis, ut bonitas ab Apostolo commendata, & ab Augustino agnita, aliquid inde pati debeat detrimentum, id quod examen earum plus satis ostendit. Sed è diverticulo in viam est redeundum, & quidem ad Augustinum; ex cujus prætorio Bellarminus pergit refellere objectiones, quæ contra Idiomatis in cultu Dei peregrinitatem ex Evangelicorum mente proponuntur, è quarum numero secunda est, quæ ex capite vigesimo & nono *Esaiæ* desumitur, ubi Deus contra populum Israel graviter est conquestus, quod *labii tantum ab eo honoretur*, gravamine hoc per Christum contra Judæos eorumque Doctores & doctores sui temporis repetito, capite apud Matthæum quinto & decimo. Quo dictum hoc modo inserviat rei, obscurem attento Lectori esse non potest. Nempe, ad quem modum Deo non placet cultus Labiotum, ubi cor & animus non jungitur, resque non serio & ex debitâ agitur devotione; ita etiam cultus ille Deo non potest esse gratus qui eo fit Idiomate, quod colenti est ignotum & sine Intellectu. Et quia præter alia in numerum officiorum Divinorum præprimis etiam refertur Lectio Bibliorum tant privata quam publica, ideo quid de ejus prohibitione in lingua vulgari ex hoc eodem fundamento statuendum sit, in manifesto est. Atqui Bellarminus in eo est totus, ut contrarium planè ex Augustino demonstraret, ad tria ex eo provocatis testimonia, quæ breviter videbimus. In primo quidem ait docere Augustinum, *Judæos non frustra olim coluisse Deum figuris & ceremoniis variis, quarum verificationem multi eorum minus intellexerint, quam verba Latina hodiè Rustici.* Unde illud præsupponi existimat, *populum non solum ex oratione alterius posse fructum percipere, ut ut eam non intelligat, sed ex eâ etiam, quam ipsemet pro seipso ad Deum fundit, etsi & eam non intelligat.* In secundo ait docere Augustinum, *etiam preces, in quibus aliquid heretici admixtum est, non carere fructu, quando simpliciter dicuntur ab eo, qui nescit, quid dicat, & putat se bene dicere; ple- rumque enim precis vitium superare precantis affectum, & Deum non tam respicere, quid dicamus, quam quid dicere cupiamus.* Unde ita Bellarminus argumentatur: *si preces non intellectæ & male non sunt infructuosæ, quando dicuntur bonâ fide; quanto magis preces optinæ*

c. 36. p. 87.

vid. Sixt.
S. Bibl. S.
lib. 6. An-
not. 263.Differ. i.
Quæst. 23.
num. 329.Lib. III.
de Doctr.
Christ.
cap. 9.Lib. 6. de
Bapt. 1.
Donat.
cap. 25.

optinæ

Lib. 22.
contra
Faust.
cap. 55.

Ebr. 11.

optima ab Ecclesiâ instituta proderunt, etiamsi non intelligantur. In tertio ait docet Augustinum, non agi in citato testimonio Prophetico-Evangelico de oratione aut lectione, sed de iis, qui ore profitentur Pietatem, dicuntque se Deum diligere, & tamen factis contrarium agunt. Addit Bellarminus, si tamen quis velit ea Verba ad orationem referre, is dicere debet, reprehendi eos, qui quamlibet notâ sibi lingua orantes non attendunt quid dicant, sed animo ad alia vagantur negotia. Ne justo prolixius sit responsum, lubet primum Augustini testimonium, ad quod Bellarminus remisit, verbotenus huc exscribere, utpote quod satis indicabit, rectene ad illud provocatum fuerit, an secus. Ita autem ibi Doctor augustus de differentia signorum V. & N. T. scribit: *Sub signo servit, qui operatur aut veneratur aliquam rem significantem, nesciens quid significet; qui verò aut operatur aut veneratur utile signum divinitus institutum (cujus vim significationemque intelligit, NB.) non hoc veneratur, quod videtur & transit, sed illud potius, quo talia cuncta sunt referenda. Talis autem homo spiritalis & liber est etiam tempore servitutis, quo (carnalibus animis) nondum oportet illa revelari signa, quorum jugo edomandi sunt. Tales autem spirituales erant Patriarcha ac Propheta, omnesque in populo Israel, per quos nobis Spiritus S. ipsa Scripturarum & auxilia & solatia ministravit.* Nimirum non observavit, hæc volante oculo legens Bellarminus, discrimen inter carnales animos & spirituales seu liberos ab Augustino tam notanter ostensum, & quod de illis dixit vel scripsit augustus Doctor, de his intellexit, id est, de Patriarchis & Prophetis, cunctisque in populo Israel vere fidelibus, quibus si signorum divinitus institutorum ac Mysteriorum sub eis latentium ratio fuit incognita, frustraneus erit Index ille heroum Fide illustrium, quos Fide non cæcâ, sed occultata, non mortua, sed viva, non implicita, sed explicita operatos Deum coluisse, Apostolus serie Exemplorum adducta graviter docuit & demonstravit, ut nullo plane modo referendi sint inter eos, de quibus inique nimis & maximo cum eorum contemtu censuit Bellarminus, quod multi eorum verificationes signorum & Ceremoniarum autoritate Divina institutarum minus intellexerint, quam Rusticos hodiè Sermonem Latinum. Quid enim, num Abel Sacrificium Deo obtulit, nescius quid ageret aut cur Deo oblationem faceret, qui Fide obtulisse legitur? An censendus est Enofus ceremoniis Divinitus sine dubio præscriptis cultum Dei publicum sine debita ejus & cognita satis ratione restaurasse? An item existimandum est, Deo gratum fuisse Sacrificium, superato per ejus gratiam Diluvio oblatum à Noaho, altero humani generis Patre, nisi per Fidem ad futura per Messiam Bona respexisset? Et quid de tam laudato Heroe Abrahamo putandum est dici debere, dum Filium ex Sarâ unigenitum mactari jussum recepit, ariete in locum ejus substituto, quod tamen tanquam illustre Fidei documentum ab ipso Tentatore Deo tam insigniter commendatur? Quid de Mose, primo Festi Paschalis celebratore, qui cum populo Agnum Fide vera comite scribitur comedisse? Quid de Davide, Viro de Messianis Beneficiis per tam egregias Promissiones certissimo, neque solum in externis hærente Signis & Ceremoniis, utur maximi à se æstimatis? Ut de Prophetis, nominatim Esaiâ, verè Evangelico, Ezechiele, Zacharia, aliis, jam non dicam, utpote quos ignorasse id, quod aliis Dei mandato ad firmendam simplicium fidem de futuris per Messiam Beneficiis præsignificarunt, dici & cogitari omninò non debet; sicut neque illud ullâ ratione videri potest probabile, Ministros in populo Dei Sacrorum, id est, sacerdotes ordinarios, vel seipso, vel auditores etiam suos & ceremoniarum Sacrificialium spectatores, nudis tantum Signis satiaste & pavisse, nuclei latentis incurios & immemores, qui sua tamen labia ex officii debito non ignorarunt custodire Doctrinam Fidei salvificam, omnesque ex ore eorum haurire Legis Dominicæ sensum debere. Ipsos certè ex auditorum numero èque vulgo simpliciores quod attinet, quod Christus ipse de fidelibus antehac Prophetis & regibus, eorumque insigni desiderio tempus Messianum videndi est testatus, idem communi nomine fidelium Christianorum os eorum Petrus dixit, quod nullâ alia ratione credant per Gratiâ Iesu Christi Sasvari, quam qua olim fideles in populo Judæorum salvi sunt facti, non certè nudis ceremoniarum & signorum putaminibus, sed intercedente Vera in promissum Messiam fide, quam in præscriptis Divinitus signis non tantum præsignificari, se ejus insuper Beneficia in antecessum sibi etiam offerri & conferri nullo planè modo dubitarunt. Id quod ad mentem Augustini Veritatisque Evangelicæ Sinceritatem explicandam, contra Bellarminianam perversiorem, non debuit aut potuit prætermitti, cum exindè etiam pateat nullitas subjunctæ illationis, qua sequi ex antecedentibus inferitur, *populum*

non solum ex oratione alterius posse fructum percipere, ut eam non intelligat, sed ex ea etiam, quam ipsemet pro seipso ad Deum fundit, et si eam non intelligat. Sicut enim prius in dubium nullatenus vocatur, ita contra posterius & à S. literis & Augustini operibus varia possent citari testimonia, si id jam primario ageretur, & non alia restarent ex Augustino ventilanda, quæ simul hanc rem conficere possent.

Ad secundum namque testimonium Augustini est veniendum, quod loco solutionis ad secundam objectionem contra usum Idiomatis peregrini in re Sacra & Biblica ex Oraculo Prophetico-Evangelico desumptam Bellarminus in medium produxit, cuius iterum sensus ut eo melior pateat, breviter occasio indicari debet, quæ Augustinum ad talia scribendum impulit. Tractavit ibi Doctor augustus celebratissimum tum temporis in Ecclesia controversiam de Anabaptismo, quem Cyprianus antehac cum Africanis quibusdam in Synodo Carthagenensi Episcopis defendit, ut Baptismum à Hæreticis administratum omnimodæ nullitatis argueret, omnemque ei adimeret valorem, argumentis non omnibus unius ejusdemque æstimmii, quibusdam solutu non ita, ut primum videbantur, facilibus, aliis autem non ita efficacibus. Inter alia illud quoque examinandum adsumsit, quod quidam Sedatus à Tuburbo, illius Provinciæ Episcopus, in dicta Synodo adtulit: *In quantum aqua Sacerdotis prece sanctificata in Ecclesia abluit delicta, in tantum heretico sermone velut cancro infecta cumulat peccata. Quare omnibus, pacificis quidem, viribus nitendum est, ne quis errore heretico infectus & tinctus singulare & verum Baptisma detrahet accipere, quo quisquis non fuerit baptizatus, à Regno Cælorum fiet alienus.* Huic objectioni ut respondeat Augustinus, non unas profert instantias, inter quas ea etiam legitur, quam Bellarminus adduxit, exque ea se propositam posse objectionem solvere existimavit. Augustini verba hæc sunt: *Multi irruunt in preces, non solum ab imperitiis loquacibus, sed ab hereticis etiam compositas, & per ignorantia simpliciter eas discernere non valentes, utuntur eis, arbitrantes, quod bonæ sint; nec tamen, quod in eis versum est, illa evacuat, quæ ibi sunt recta, sed ab eis potius evacuat.* Num Augustinus objectioni ex asse fecerit satis, disputandi locus jam non est. Illud tantum pro instituti ratione nunc queritur, an ex his Augustini Verbis id sequatur, quod Bellarminus sequi putat, nimirum, *preces in quibus etiam aliquid heretici admixtum est, fructu non carere, quando simpliciter dicuntur ab eo, qui nescit, quid dicat, & putat se bene dicere, cum plerumque precis vitium superet precantis affectus, & Deus non tam respiciat, quid dicamus, quam quid dicere cupiamus. Proinde, si preces non intellectæ & male non sint infructuosæ, quando dicantur bonâ fide, multo magis preces optimas ab Ecclesia institutas, etiam si non intelligantur, profuturas.* Non sequi, certum est, si utriusque disparitas attendatur.

Quæ enim, quælo, est consequentia? preces non in totum intellectæ & ex parte aliqua malæ, quando bona dicuntur fide, non sunt infructuosæ, videlicet, Deo orantis animum simplicem per gratiam singularem non respiciente; ergo preces planè non intellectæ, oratore non indubio, bonæ sint an malæ? proderunt, & ab Ecclesia preces Idiomate peregrino possunt imò debent præscribi. Ergo non melius erit, ex doctrina Pauli, ad Ecclesiæ ædificationem, orationes publicas, quæ audiente populo dicuntur, dici lingua Clericis & populo communi, ut post Augustinum, cujus autoritas hic omnem implet paginam, Cæteranum quoque, Cassandrum, Esthium ingenue id agnoscentes paulò ante vidimus. Ibi quidem intercedit oratoris simplicitas, bonum à malo, quod precibus immiscetur, accuratius discernere non valentis, cui id Divinitus non imputari ab Augustino piè creditur; hic verò illaudabilis & pertinax temeritas eorum, qui nomine fictitio Ecclesiæ, per linguam in precibus & omni cultu Divino peregrinitatem, simpliciorum devotionem non parum impediunt, & quantum in se est, hæc ratione eos omni ferè solatio nefariè privant, gravem de eo rationem Deo tempore debito reddituri.

Tertium adhuc superest Augustini testimonium, quo Bellarminus propositam ex oraculo Prophetico-Evangelico objectionem penitus dissolvere est conatus, prætendens, in eo ex mente Augustini non de Oratione & Læctione agi, sed de iis, qui ore profitentur pietatem, dicantque se Deum diligere, & tamen factis contrarium agant. Sed ipse Bellarminus prævidit, miserum esse hoc effugium; inde quasi seipsum corrigens, hæc notanter subjunxit: *Si tamen quis velit ea verba ad orationem referre, is dicere debet, reprehendi eos, qui quamlibet nota sibi lingua orantes non attendunt, quid dicant, sed animo ad alia vagantur negotia.* Ego id insuper addo, si hi & ex debito quidem reprehenduntur, qui in precibus, quas optimè intelligunt & intelligere possunt, nullam omnino animi circumvagantis attentionem curant, ore tantum verba facientes ad Deum inutilia,

contra

Vid. oper.
Cypri. pag.
m. 361.
Edit. Pa.
mel.

adv. hæret.
lib. I. c. 13
pag. m. 37.

contra mentem Ecclesiæ, hanc vel illam orationis formulam in publico præscribentis; quanto magis reprehensione digni sunt illi, qui ut dixi nomine fictitio Ecclesiæ peregrina Simplicibus in Cultu publico præscribunt verba, ut quid dicant vel à Deo in precibus rogent, ipsi planè nesciant, & quod ad præsens Institutum præprimis pertinet, iisdem simplicioribus & linguarum Ebrææ, Græcæ & Latinæ ignaris S. Scripturam in Idiomatico Vernaculo subtrahunt, ne exindè Voluntatem Patris tam liberaliter & ingenue revelatam agnoscere possint, causis certè non ita prægnantibus, ut Matrem Ecclesiam, quæ hoc nomine superbit, ab infido & invidio novercatu liberare & defendere possint. Inter alios, ut hoc obiter & ad pendicis loco adhuc addam, ante hoc seculum scripsit Alphonfus à Castro, *Fatemur, Sacros olim libros in linguam vulgarem fuisse translatos, nec tamen idè simile fieri expedit; cur verò & ob quam rem? quoniam Experientià docente didicimus, hæc de causa plures Idiotas fuisse lapsos in multos errores execrandos.* An ergò, mi Alphonse, olim, quando, teste *Theodoro*, S. Scriptura in omnibus linguis fuit lecta, nullus ab hæreticis fuit metus; vel, an quicumque eam in Vernacula legerunt, continuò facti sunt hæretici? Oportet ergò & nobilissimos Berrihoenses factos esse hæreticos, dum legendo eam privatè Pauli Conciones cum citatis ab eo testimoniis de Messia Prophetis diligenter contulerunt, eoque ipso in Evangelica Veritate confirmati fuerunt. Oportet Christum quoque viam ad hæresin docuisse, Judæos tam Laicos quam doctores ad Scripturæ S. scrutinium manu quasi ducendo, ut de eo tanquam Messia indubii fierent. Oportet Augustinum fuisse hæresiarcham, quando auditores suos non solum in publico Verbum Dei audire, sed & domi legere illud & relegere voluit. Posito autem, fuisse sub initium reformationis Evangelicæ, ante hoc Sesquiseculum Lutheri Divinitus animati opera peractæ, visum iis consultum, qui in antiquis (et si non antiquissimis) & tritis per aliquot Secula viis constanter manere decreverunt, ut pro *ratione Status* Lectio Bibliorum promiscua interdiceretur, cujus subsidio restauratam religionem tanta sumere in Annos & dies incrementa fuit observatum, quod interdictum hodiè etiam adhuc, imò nunquam non quam-maximè necessarium esse rigidiores defendunt, nominatim Author Gallus *Sanctuarii profanis oclusi*, sive Tractatus de S. Bibliorum prohibitione in lingua vulgari & vernacula, ante Annos non ita multos Idiomatico primùm vernaculo, post latino in Germania publicati; & inter plures alios *Caramuel*, simile illud de pugione in manu pusionis iteratò orbi Catholico obrudens, quibus alias & alibi obviam fuit itum; nihilo tamen minus ostensum quoque est, esse alios hodiè melius ex parte illa & mitius sentientes, nominatim editores operis Bibliici *heptagloti*, de rigore illo non parum remittentes, adque Augustini sententiam de privata etiam Bibliorum lectione & diligenti collatione non obscure inclinantes, quibus non ita pridem accesserunt Authores eruditissimi in Gallia *Ephemeridum*, in suo de nova Novi Testamenti Versione in linguam Gallicam Judicio hæc inter alia observantes:

Tom. II.
pag. 189.

Vii imprudentia est, in principio magnorum morborum fortia præscribere medicamenta; sed Sapientia Medici potius est conveniens, ut ordinet eorum temporis, quando malum jam est in decremento, & natura id jamjam suppressit. Hinc etiam est, cur in inordinatis illis confusisque temporibus (de tempore reformationis loquitur) non unicuique sine discrimine Lectiorem Novi Testamenti (& Sacræ in universum Scripturæ) concesserit Ecclesia. Iam verò cum morbi violentia deserbuit, & Deus superare Ecclesiam fecit inimicos suos, tam sollicitè amplius ea de re haud cavet, sed offeri potius ipsa infantibus suis libros illos sanctos, quos olim ipsis prohibuit. Et ne hæc folis scripta videantur Gallis, *Volusus* nuper eandem Ecclesiæ mentem Germanis quoque propitiam commendavit, post Versiones Bibliorum Vernaculas *Dietenbergii* & *Nembergii* ultimam à moderno Electore Moguntino procuratam sistens, de qua verò ut & cæteris quid sentiendum, iterum præter Instituti est rationem.

in Auro.
rà, pag. 53.

LIBRI TERTII

DE

VERBI DEI INTERPRE-
TATIONE,

CAPVT PRIMVM & SECVNDVM.

DE

Scripturæ S. Perspicuitate.

UT in hujus controversæ Quæstionis tractatione, Augustino duce & comite, eò felicius & sine omni impedimento progrediamur, iuvat statim ab initio ejus percipere sententiam, utpotè Evangelicis per omnia communem & receptissimam. Ita autem, Doctor de Sacræ Scripturæ perspicuitate augustissimus: *Tanta est Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. Non quod ad ea, quæ necessaria sunt Saluti, NB. tantà in eis perveniat difficultate, sed cum quisque ibi Fidem tenuerit, sine qua piè recteque non vivitur, tam multa tamque multiplicibus Mysteriorum umbraculus opacaproficienribus intelligenda restant, tantaque non solum in verbis, quibus ista sunt dicta, verum etiam in rebus, quæ sunt intelligenda, laetæ altitudo Sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura loco quodam habet: Cum consummaverit homo, tunc incipit.* Et quia hæc plus ad obscuritatem scripturæ, quam laudatam claritatem infervire videntur, utut de iis, quæ Saluti sunt necessaria, apertè fateatur, ad ea non tanta perveniri Difficultate, ideo apertius longè post plura de hac re ibidem scripsit: *Modus ipse dicendi, quo S. Scriptura contextitur, quam omnibus accessibilis, quamvis paucissimis penetrabilis. Ea, quæ aperta continet, quasi amicus familiaris sine furo ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. Ea verò, quæ in Mysteriis occultat, nec ipsa Eloquio erigit superbo, quo non audeat accedere mens tardiuscula & inerudita, quasi pauper ad divitem, sed invitat omnes humili Sermone, quos non solum manifestà pascit, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promtis, quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operata desiderantur, desiderata quodammodo renovantur, renovata suaviter intimentantur. His salubriter & prava corriguntur, & parva nutriuntur, & magna oblectantur Ingenia. Ideò etiam augustus hic Doctor Lectorem S. Scripturæ alibi informavit, quo se modo gerere debeat, ne de ejus obscuritate conqueri necessum habeat: Scriptura scrutanda sunt, nec earum superficie debemus esse contenti, quæ ad exercitacionem nostram ita sunt modificata, ut altius se penetrari velint. Similem fere in modum alibi iterum hæc ab eo scripta leguntur: Illa etiam, quæ in eis apertè sunt posita, vel præcepta vivendi, vel regula credendi, solertius diligentique sunt investiganda, quæ tantò quisque plura invenit, quantò est intelligentia capaxior. In iis enim, quæ apertè in Scriptura sunt posita, illa inveniuntur omnia, NB. quæ continent Fidem moresque vivendi, spem scilicet atque Charitatem. Accedat quartum adhuc testimonium, quod primo statim & secundo subiungi debuit, de Stylo Curia cælestis in S. literis adhibito hæc habens: Non aliquo genere loquuntur Scriptura, quod in consuetudine humana non inveniatur, quia utique hominibus loquuntur. Patet indè satis superque, quæ mens & sententia Augustini fuerit de S. Scripturæ laudata claritate & perspicuitate, quam & Evangelici hodie constantè tenent, nimirum, S. literas in iis partibus, quæ cognitione Dei Trinitus salvificam respiciunt, adq; salutem æternam juxta Divinam dispositionem & dispensationem quam maxime necessaria sunt, non obscuras & difficiles nimis, sed satis claras & perspicuas esse, non quidem quibusvis Seculi hujus & delictiarum in eo sectatoribus rerumque cælestium incuriis, sed devotis & attentis mentibus, quibus res Poli quam Soli magis curæ sunt, & quæ præviis, exemplo Regii Vatis, ad Deum precibus singulari cum delectatione diu noctuque scrutantur Oracula Prophetarum & Apostolorum, Amorem generis humani, utpote Nucleum omnis Scripturæ quærentes, & sine omni fastidio, quin potius insigni cum desiderio invenientes. Hæc si observentur, sicut omni-*

D

nò in

Epist. 3.
ad Volut.
mox à
princ.
Conf. de
Unit. Ec-
cles. c. 5.Paulò an-
te finem,Epist. 80.
ad HelychLib. II. de
Doctr.
Christ. c. 9Lib. I. de
Trin. c. 12

nò in antecessum observari debent, facillimum erit ad ea respondere, quæ contra commendatam hæc ratione S. Scripturæ claritatem à Bellarmino præprimis ex Augustino objiciuntur, ut breviter nunc videndum est. Quando enim augustus Doctor, certè non indoctus & instabilis, ut Bellarminus de eo non malè scribit, de vexato Apostoli loco, ex quo aliàs Papæ ignem Purgatorium accendere aut fovere se posse existimant, qui de *Superedificatione super unicum fundamentum*, nempe Christum agit, pro eâ, quæ præditus fuit, ingenuitate, homine Theologo & inprimis Episcopo non indignâ, factus est ultrò *esse difficillimum intellectu*, nihil id præjudicare potest laudatæ ab eo aliis in locis Sacræ Scripturæ perspicuitati, utpotè quam locus hic vitus eidem aliquantò difficilior non tollit, neque plures alii non minori laborantes difficultate; quamvis si Augustinus hodiè viveret, sine dubio gratus agnosceret, diem die doctiorem, Seculum Seculo eruditius esse, & quæ olim sibi videbantur difficilia, hodiè post accuratius Scrutinium, & mentem Apostoli intimius penetratam, non amplius esse difficilia, ut non, quænam ea fuerit, ex circumstantiis Textûs sciri possit, ut infra suo loco circa hujus Testimonii illustrationem ex ipso etiam Augustino uberius demonstrabitur. Cætera, quæ post aliorum Ecclesiæ Doctorum, ex Augustino etiam pro S. literarum obscuritate colligit testimonia Bellarminus, ita sunt comparata, ut si ea, quæ in antecessum adducta jam sunt, prius ob oculos ponantur, sibi invicem nullo planè modo contraria esse videantur. Ne tamen quisquam puter, ullum Evangelicæ Veritati ab eis imminere periculum, ut hic etiam recenseantur, causæ bonitas omninò jubet. *Primum hoc est*: Multis & multiplicibus obscuritatibus & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt, aliud pro alio sentientes, quibusdam autem locis, quod vel falsò suspicentur, non inveniunt. Ita obscurè quædam dicta densissimam caliginem obducunt; quod totum Divinitus provisum esse non dubito, ad edomandam labore superbiam, & intellectum à fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque viluerunt, vel vilescunt. *Secundum*: Mira profunditas Eloquiorum tuorum, quorum, ecce ante nos superficies blandiens parvulis, sed profunditas, Deus meus, mira profunditas. Horror est intendere in eam, horror honoris & tremor amoris. *Tertium*: Tanta est Christianarum profunditas literarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritiâ usque ad decrepitam Senectutem, maximò otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. *Quartum* denique: In ipsis S. Scripturis multò plura nescio quam scio.

Ad Primum ipse respondit loco & capite citato Augustinus, mentem suam de S. Scripturæ clarâ obscuritate & obscurâ claritate ita explicans: *Magnificè & salubriter Spiritus S. ita Scripturas S. modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de iis obscuritatibus eruitur, quod non planissimè dictum alibi reperitur.* Bellarminus quidem ad hoc Augustini testimonium capite sequenti respondet: *Eum non frustra addidisse illud, Ferè, cum quedam reperiantur obscurissima, qua in totâ Scripturâ nunquam explicentur, ut Apocalypses pars magna: Principium & finis Vaticiniorum Ezechielis &c.* Deinde, *hoc ipsum valde difficile esse, invenire nimirum id, quod uno loco obscurissimè dicitur, ubinam apertè dicatur? Quid, quod illa etiam loca, quæ nobis videantur apertissima, alicui alteri obscura fortè videbuntur? Atqui attendere debuisset omninò Bellarminus, augustum hunc Doctorem in illustri hoc Testimonio S. Scripturæ oracula in apertiora & obscuriora divisisse, illa ad sedandum famem, hæc ad abstergendum fastidia. Si de illis, nimirum clarioribus hanc particulam, Ferè, adhibuisset, aliquid fortè in rem suam obtineret Bellarminus. Sed cum ea legatur, ubi de obscurioribus agit, res est in vado, nosque Evangelicos nullo planè modo contradicentes habet Augustinus, quin & ipse Bellarminus, quocum libenter & ultrò fateatur, multa esse in utroque Fœdere, & in Veteri quidem apud Ezechielem, in Novo autem apud Johannem, Visionum Prophetarum Revelatorem, doctis pariter & indoctis non ad eò clara, sine quorum tamen accuratiori cognitione Salutem æternam posse adquiri, si ex clarioribus Testimoniis Veræ Fidei Objectum ritè adprehendatur, nemo nostrum vocat in dubium. Ut id, quod uno in loco necessarium cognitu obscurius traditur, alibi clarius explicatum inveniatur, ad eò difficile non est, si ea in Scrutinio Thesauri Biblici adhibeatur diligentia, quæ in indagantibus terrestribus Thesauris à plerisque solet impendi; DEO scrutatoribus devotis suam non denegante Gratiam. Et si aliqua S. Scriptura loca, quæ fidelibus Spiritu S. adjutus non videntur solum, sed re- verâ sunt apertissima, aliis è contrario infidelibus & terrestrium bonorum studiosis sectatoribus sunt & videntur obscura, nihil indè clantani S. Scripturæ decedit,*

1. Corinth. 3.

de Fide & oper. c. 15.

Lib. II. de Doctr. Christ. cap. 6.

Lib. 12. Confess. cap. 14.

Epist. 3. ad Volul.

Epist. 119. ad Januar. c. ult.

nisi & radios Solis in Meridie æstivo, & Cælo per omnia fudo dicere velimus obscuros, ideò, quia oculis clausis non ita videntur, neque loca undiquaque clausa & tenebricosa penetrant & illustrant. Si autem ita, habeat Sol Scripturæ maculas & obscuritates aliquas; non tamen ita magnæ sunt & crassæ, ut aliquod radiis univèrsam Terræ orbem illustrantibus pariant impedimentum, aut corpori in se lucidissimo dedecus. Eleganter non ita pridem Theologus quidam insignis: *Esto tenebricosas alicubi esse S. literas, ex aliis tamen Scripturis lucem habent adfusam, & clavem habent Visiones anigmatica ab even-
turu referant & serenante. Sunt in S. literis non-nulla tenebricosiora, sed quæ Solis splendore per apertas fenestras immisso clarescunt. Sunt in Vranio etiam Templo Stella obscuriores, sed cum à Sole lucem imbiberent, renident. Habitat in ipsâ oculorum ædiculâ intimaque pu-
pilla nigror aliquis, sed qui videndi facultatem juvat. Ad decorum aliquando pertinet in-
umbrari. Itaque, cum eminentias videri volunt, candidantia colore nigro condunt & diluunt, miscenque Lucem tenebris.* Hæc ille, quæ ita sunt certa, ut Volusius nuper, post allegatum Augustini testimonium, ad quod frustra respondere conatum fuisse Bellarmini-
vidimus, in rem nostram quam accommodatissimè Veritatis vi adactus scripserit: *Quem ad modum quilibet etiam doctissimorum meritò cum laudato Hipponensi Præsule con-
fiteri debet, se in Scripturis plura nescire, quam scire; ita nullatenus est dubitandum, quin Deus
& Salvator noster Iesus Christus Ecclesiæ suæ de dono interpretandi copiosè prospexerit, ne-
que ita officium publicè Sacras Literas interpretandi Ecclesiæ Prælati ac Doctõribus commise-
rit, ut non etiam reliquis in Christum credentibus, juxta mensuram Fidei, donum interpretan-
di Scripturam saltem in rebus creditu factuque magis necessariis concesserit. Quæ Volusii ver-
ba hæc occasione eò lubentius adduxi, quia proxime, ubi de S. Literarum Interpretati-
one ageretur, insignem Evangelicæ Veritati præstabant usum. Ea inter illud adhuc notari
debet ad primum Augustini testimonium à Bellarmino pro Scripturarum obscuritate
citatum, et si in eo fiat mentio multarum & multiplicium obscuritatum & ambiguita-
tarum, additur tamen, iisdem decipi non attentos & devotos S. Scripturæ lectores, quos
aliàs & alibi satis & sufficienter instruxit, quâ ratione eas superare & in iisdem evolen-
dis gerere se debeant; sed eos, qui temerè legunt, aliud pro alio sentientes, quorum te-
meritate Scripturam et si uno in loco & aliquâ ex parte obscuram, aliò tamen in loco &
ex alterâ parte claram, in se magis atque magis obscuram fieri, nullo planè modo debet
concedi.*

Ad secundum nullo opus est prolixiori responso, cum ex dictis jam constet, Evange-
licos profunditatem Eloquiorum Dei in S. Scripturâ non negare, sed venerari, absque
tamen detrimento Perpicuitatis in rebus cognitu necessariis. Ad tertium illud modò
monendum restat, si Bellarminus sequentia statim Augustini verba, quæ ibidem legun-
tur, non neglexisset, cum in promptu habiturum, undè sibi satis potuisset facere. Integrum
augusti Doctõris testimonium supra ab initio hujus Controversiæ præmissum extat, ex
quo facilis conjectura esse potest, quâ fideliter Bellarminus in citandis Patrû testimoniis
ur plurimum solet versari. *Quartum & ultimum planè est impertinens. Et si enim iudice
Volusio nemo non doctissimorum ex debito confiteri cogatur, pauciora se in Scripturis
S. scire, quam nescire, nihil id tamen ad rhombum. Satis est, ea ex S. Literis doctos
pariter & indoctos cognoscere, quæ Salutis sunt necessaria, ut Augustinum supra testem
hujus rei satis perspicuum habuimus, quem dum Bellarminus potè in capite sequenti
cum aliis quibusdam Patribus adducit, ut solvat objectionem Evangelicorum pro
S. Literarum perspicuitate, ex notissimo Mosis, vel ipsius Dei potius oraculo defumtam,
quo Mandata Dei non supra vel procul posita, non in Cælo vel trans Mare sita dicuntur, aper-
tum falli commisit crimen. Non enim eo in loco Augustinus, quem Bellarminus citat,
nimirum in de Perfectione Iustitiæ contra Cælestium libro, & quidem responsione pen-
ultimâ, hujus testimonii ullam facit mentionem, ut taceam, aliquid de sensu ejus ibi-
dem non legi; sed in antecedente Cælestii objectione aliqua quidem ex citato Devte-
ronomii capite verba exhibentur, ea videlicet, quibus *Vitam & Mortem, bonum & ma-
lum Deus ante faciem hominis dedisse* dicitur, nullum verò alium in finem, quàm ut Pela-
gianorum sententia de libero hominis, post lapsum arbitrio, tam ad bonum quam ma-
lum exinde confirmetur, quam Augustinus ibi, sicut & aliàs non semel, ex professo suscep-
it refutandam. Posito autem, Augustinum hoc Oraculum ita, ut Bellarminus vult, in-
tellexisse & explicasse, nimirum de facilitate implendi mandata Decalogi, insigniter tamen
artis Dialecticæ ignarum se esse ostendit, dum eo ipso, nullâ planè consequentiâ, facili-
tatem intelligendi Scripturas, aut ad minimum Decalogi, quam tamen in alterâ hujus
Testimonii explicatione Testari autoritate non invitatus adeò concedere videtur, lo-*

II. Co-
tinth. 4.

cum habere non posse existimat absurdissimè, cum, si rem accuratius ex debito ponderasset, Ipse ultrò agnoscere potuisset & debuisset, facilitatem implendi præsupponere facilitatem intelligendi. Non verò de lege solum Decalogicâ intelligi hoc testimonium debere, ex toto constare potest contextu, ubi omnium mandatorum DEI & Statutorum, quin & Divinæ Legis in genere non semel occurrit mentio, quâ in primis ultimâ voce in aliis utriusque Testamenti locis non decem præcepta solum, sed omnes Divinas Scripturas intelligi, Bellarminus iterum sui ipsius immemor, ac contra seipsum in sequentibus statim verbis, quæ vis Veritatis est, agnovit, qui dum præter hæc in Argumenti ordine quinti solutione, ad Oraculum Pauli, significantis, quod Evangelium operum sit iis, qui pereunt, in quibus, utpote infidelibus, hujus Seculi Deus oculos excæcare soleat, ut non fulgeat eis illuminatio gloriæ Christi, ex Augustino vel aliam, quam vulgò obtinet, verborum positionem urget, vel ex Eodem indicat, quâ ratione & quam ob causam Diabolus dicatur DEUS Seculi hujus, nemo non vidit, Eum nihil ad rem dicere, quin & illud inconsequenter iterum responsionis loco dare, quod Apostolus non loquatur de intelligentiâ Scripturarum, sed de cognitione & Fide in Christum, cum hæc illam non excludat, sed omninò præsupponat.

Augustini testimoniis, quibus partim Evangelici ad confirmandam Scripturæ perspicuitatem, partim Doctores Papæ ad Ejus obscuritatem obtinendam ex opere de *Doctrina Christianâ* utuntur, & in præcedenti Tractatione sunt vindicata contra Bellarminû, tenebras post illum objicere conatus est etiam *Matthias Hauzerius*, ordinis Francisci, in *Epitomes Augustiniane* Tomo posteriori, in Vindiciis locorum hujus libri huc pertinentium in genere ita scribens: *Hic illa calami seu arundinis feræ* raptam quasi prædam ad suos deferunt catulos, eosque enutriunt temeritate quâdam ac præsumptione, privato Spiritu conferendi & interpretandi Scripturas Sacras pro lubitu, sub prætextu eruendi obscuriora ex clarioribus. Sed quantum aberrant à Spiritu, in dè & literâ Augustini, non aliundè tantum, sed etiam ex hoc utroque Textu elucescit. Nam, quod locum posteriorem attinet, qui tamen loco priori legitur in Augustino, & capite sexto libri secundi in hoc opere legitur, illud *Ferè* magnam habet latitudinem & exceptiones plurimas. Deinde hoc ipsum (an) non jam valdè obscurum est, quod non nisi ex collatione totius Scripturæ Sacræ potest illustrari. Denique vult, planissimè dictum alibi reperiri, (non) quoad rem ipsam, sed tantum quoad verborum proprietatem & explicitam eorum significationem; ubi enim *Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis* &c. quoad rem ipsam planissimè explicantur? Ita etiam, quoad priorem locum, qui tamen loco posteriori legitur in Augustino, & capite nono in eodem opere & libro legitur, illa, *apertè posita in Scripturâ*, (sunt intelligenda) tantum quoad modum proprium & explicitum loquendi, de quo hic agitur ex professo, opponiturq; modis loquendi improprie, metaphoricè seu translâtè; non autem quoad rem ipsam, quæ ex se sæpè est difficillima, & varijs conceptibus falsis exposita, quantum vis planissimè, apertè & propriè exprimitur &c. Neq; tamen adhuc sensus est, *omnia, quæ continent Fidem, moresq; vivendi, Spem scilicet atque Charitatem*, apertè & explicitè reperiri in Scripturâ S. cum fortè quædam ne quidem obscurè reperiantur; sed, quod in iis, seu inter ea, quæ apertè in Scripturâ sunt posita, sint illa *omnia*, quæ continent, non omnia & singula, sed ex illis omnibus, id est, *quæcunq; horum ponuntur in Scripturâ S. apertè ponuntur, quia non ponuntur, nisi ut ab omnibus facile credantur & practicentur*. Hæc Ille, non solum ut Soli splendidissimo Scripturæ, sed simul etiam, ut clarissimis Augustini radijs, de illius manifestissimâ Perspicuitate evidens testimonium perhibentibus, violentas obducatur tenebras, in quæ iis èd tutius possit piscari, ac errorum retia obtegere. Calumniis opponere calumnias nec lubet, nec vacat. Quæ etiam infer de *Spiritu privato*, prolixius aliàs discutuntur. Sufficit nunc Augustini mentem ulterius vindicare, ne videatur obscura, aut ducere ad obscuritatem. De particulâ adverbiali *Ferè* satis dictum est contra Bellarminum, ubi & præsentis ejusdem latitudini & orientibus inde exceptionibus obviam est itum. Sequi autem ex hoc obscuritatem, *si collatio totius Scripturæ insitatur*, Anatomici est argumentatio, tot instantiis obnoxia, quæ ipsum possent opprimere, si eam vellet pertinacius urgere. Nihil certè clarum esset in Mundo, si hæc tolleretur; quæ idè est necessaria quam maxime, quia Sathanas semper à principio Mundi conatus est, clarissima etiam DEI verba pro vitibus obfuscare, quod in primis constat exemplo primi lapsus protoplastorum, quibus præceptum de *Arbore Scientiæ* quasi obscurum & minus ritè intellectum fecit suspectum; hodie in Ecclesiæ militantis Paradiso eandem circa sensum revelationis Divinæ, tanquâ obscurioris, & si dicere licet vel scribere, potius *apocryphe*, (non sine vitio contradic-
tio-

nis in adjecto,) ludens fabulam, mutatis tantum personis, ut, quâ ratione primos à Deo Eiusque Verbo abduxit *genearchas*, objecto quodam obscuritatis Schemate, eadem porro fideles *Adami- & Evigenas* seducat, maximum in eo collocans operæ pretium, si Verbum DEI scriptum, uti antehac ore traditum, faciat obscurum ita, ut vera Mens Dei ex eodem nunquam possit sufficienter indagari aut intelligi. De cætero nullus Evangelicorum dixit unquam vel scripsit, ipsa Fidei Mysteria esse tam clara, ut homo sensu carnali possit percipere, cum semper accuratissimè soleat observari discrimen inter rem ipsam, quam transcendere Mentem humanam, manifestè docuit Apostolus, & revelationis modum, quem ex Instituto & Beneplacito DEI ad hujus Seculi statum satis esse clarum, ostendunt manifesta de iisdem testimonia, ex quibus ipsa *Fide Symbola*, ab antiquis communiter recepta, sunt desumpta, & tanquam rivuli ex fontibus clarissimis deducti. *Conceptus hominum falsi* nocere non possunt splendidissimæ luci Scripturarum, nisi Philosophorum antehac opiniones variæ de Sole illius lucem claram videantur detraxisse. *Quæ ne obscure quidem reperiantur in Scriptura*, ad Fidem, Spem & Charitatem, post completum ejus canonem, pertinere dici non possunt, quod in *Quæstione de Sufficiencia Scripturæ* absque traditionibus ex autoritate Augustini evincitur. Ultima Anatomici verba Veritatem confirmant Evangelicam, atque nullum ulterius requirunt Examen aut desiderant.

CAPUT TERTIUM, & seqq.

De Iudice Controversiarum.

Id est, an S. Scripturæ hoc officium competat & adscribi possit? Id ut eò commodius pertractet Bellarminus, præmittit Discursum de sensibus Scripturæ, in quo non solum quoad divisionem Sensûs mystici seu Spirituâlis in Allegoricum, Tropologicum, & Anagogicum ad Augustini provocat autoritatem, hos sensus omnes sub Allegoriæ titulo venditantis; sed & dum non improbabile statuit, *interdum plures Sensus literales in eadem reperiri Sententiâ*, eidem Augustino hoc adscribit, non uno in loco id docenti, addens, *sensum Spiritualem sive Mysticum non in Veteri solum Testamento reperiri, sed in Novo etiam*, id quod uno & altero Exemplo eidem ex Augustino demonstrat. Notandum hic est præprimis, ipsum quoque Bellarminum verbis proximè sequentibus ingenuè fateri: *Ex solo Literali Sensu efficacia peti debere argumenta, eum namq. sensum, qui ex verbis immediatè colligitur, certum esse Spiritûs S. sensum: sensum verò spirituales & mysticû esse varium, & quamvis adificet, cum non sit contra Fidem aut bonos mores, non semper tamen constare, an sit à Spiritu S. intentus? Quocirca Augustinum merito Donatistas ridere, qui ex verbis Cantici Cantorum, Indica mihi, ubi pascat &c. mysticè intellectû colligebant, Ecclesiam Christi in sola remansisse Africa. Illud etiam ibidem Bellarminus notanter observat, aliquos è numero Patrum antiquorum lapsos esse, quod in explicandâ S. Scripturâ simpliciter & propriè acciperent, quæ figuratè erant accipienda, Augustino id etiam reprobante. Cui observationi Bellarminianæ non impertinenter pro uberiori ejus explicatione subjungitur, quod *Carameus* de Sensu Legum in genere ex Reginaldo notavit: *Si Lex habeat duos sensus, alterum proprium & regulis Grammaticalibus consonum, alterum verò improprium & si velis coactum: si tamen iste secundus nec Iustitiæ nec Prudentiæ opponatur, nec ultra Legislatoris potestatem aut Jurisdictionem vagetur, & ille prior sit talis, ut inde necessario sequatur, Legislatorem aut suis iniquum, aut stultum, aut excessivè limites potestatis suæ; in tali casu Reverentiâ Legislatori debitam postulare, ut sensus honori & integritati Legislatoris congruens vel invitâ accipiat Grammaticâ. Tunc enim tantum propriè intelligenda est aliqua Scriptura, cum sine absurdo potest. Præmonitis his ex occasione & prænotatis, quod laudatam Augustini attinet autoritatem, è Vasquezio Scholasticorum subtilissimo, præter id, quod *Sextum Senfem* Augustini mentem in discernendis Scripturæ sensibus non ritè explicantem notavit, hoc porro venit observandum, quod in tractatione *Quæstionis de Sensûs literalis unitate vel pluralitate* agnoscat ultrò, *Sententiâ posteriorem de pluralitate apud Scholasticos & Scripturæ Interpretes* primum obtinere locum propter Augustini autoritatem. Et quamvis posteriorem hanc defendere conatus fuerit Sententiâ, in gratiam Augustini, nisi fallor, ne à tam augusto Doctore videatur dissentire, monuit tamen, se id facturum adhibita moderatione quâdam, addens, ne dum Scripturæ fecunditatem cupimus commendare, nimiam interpretandi mentem Spiritûs S. tribuamus licentiâ. Ut autem hoc rectè percipiatur, id imprimis observandum censet, hæcenus definitum non esse ab Ecclesiâ, plures Sensus literales eidem literæ aliquando convenire. Et quamvis Patres non sine fructu spiritualis doctrinæ ad Ecclesiâ adificationem aliquos variè interpretentur locos, & unusquisque suo Spiritûs S. mentem conetur investigare modo, imò idem Doctores variis eundem locum mo-**

Epiſt. 48.
ad Vin-
cent.Theol.
Fund. p.
269, Edit.
Lugdun.Disp. 16.
cap. 2. &
Disp. 17.
cap. 3.

NB. *dis explicet; nullum tamen Patrum, præter Augustinum, hæcenus adfirmasse, eos omnes sensus ex intentione Spiritus S. litera eidem subesse.* Post plura, quæ huc pertinent, de Augustino hoc addit, *nimius in hac re videtur fuisse Augustinus, concedens, omnia & singula, quæ quisquam posset sub una intelligere litera, ad Sensum pertinere literalem.* Difficile enim creditu adparet, voluisse, Deum homini S. Historiam scribenti tot tamque variare velare, & ut ea simul significaret, ipsum ad scribendum impulsisse. Tannerus, qui post Vasquezium The-
 fauros Scholasticæ Theologiæ indagasse, omnemque Eruditionem ibi occultatam ex-

Theol.
Schol.
Tom. I.
pag. 132.

hauffisse videri voluit, ultima quidem hæc Vasquezii contra Augustinum verba non adprobavit, illud tamen procul dubio verissimum esse censuit, *dictum illud Augustini non ita laxè accipiendum, ut omnes illi sint veri sensus Scripturæ literales, quot quot verum aliquid continent, & utcumque verbis Scripturæ significati fuisse ab aliquo existimentur; sed videndum esse, an omnibus spectatis, si antecedentia nimirum & consequentia conferantur, aliæque circumstantiæ diligenter expendantur, sensus illi cum in locum, seu verba Scripturæ, de quibus agitur, secundum literam quadrare possint.* Hæc illi, quibus si illicitum non fuit, Augustini Sententiam non nisi cum moderamine aliquo acceptare & intelligere; Evangelicis quoque erit integrum, apertius suam de hæc Augustini Sententiâ mentem explicare. Grati nimirum agnoscimus, quod Vasquez de pluralitate Sensuum unius Sententiæ literali-
 um scripsit, defendi eam à Scholasticis Doctoribus & Interpretibus Scripturæ Pasticis plerisque propter Augustini auctoritatem, eamque, hæcenus ab Ecclesiâ definitam non esse, æque nullo Patrum antiquorum defendi, præter Augustinum, quæ satis esse possunt, ne quisquam nos Augustini auctoritate hæc etiam in parte teneri obligatos existimet. Hinc præter alios

Philol. S.
lib. II. pag.
m. 256.

Ecclesiæ Orthodoxo-Lutherana Doctores in primis D. Glassius noster sine detrimento auctoritatis Augustino debitæ observavit, *Eum hic videri aliquid excessus pati, in genere de Patrum Sententiâ circa hanc Controversiam notans, alios hæc in re alibi sensisse rectius, in specie Hieronymum præ Augustino, quod itidem Valquez ostendit; Neque tamen eo sine Patres historicum, allegoricum, tropologicum & anagogicum Scripturæ sensum statuerent, ut Scripturæ obscuritatis cujusdam reas agant, sed eosdem perspicuitatem earum, etiam respectu idiotarum, dare comprobant, in specie Augustinum, ex quo sequens pro Scripturarum claritate testimonium supra jam citatis non impertinenter hic adjungitur hunc in modum scribente: Nulla obscuritas est in Scripturis, sed si manu mentis tuæ Scripturarum januam pulsaveris, paulatim incipiens colligere rationem dictorum, aperietur tibi non ab alio, sed à Dei Verbo, quia solus Iesus in Evangelio Legis Mystéria revelavit.* Addit his Glassius, *Multò minus ideo id facere Patres, ut interpretationem Scripturarum Pontifici Romano cum Concilio aliorum Pastorum unice & in solidum deferant, sed serio potius contra hanc heterodoxiam pug-*

Lib. II.
contra
Donat.
cap. 6.

gnare, in specie Augustinum, pro Gratiæ Divinæ necessitate contra Pelagianos contendo, hæc scribendo: *Illam causam judicem requirit, & quis erit iudex? Iudicet Apostolus, quia in Apostolo loquitur Christus.* Id quod iterum tam certum est & indubium, ut & Bellarminus concedere debuerit, non solum, *Scripturas intelligi debere eo Spiritu, quo factæ vel scriptæ sunt, id est, Spiritu Sancto, Petro Apostolo id probante, videlicet, exponi debere Scripturas non ex ingenio proprio, sed juxta dictamen Spiritus Sancti, quia non scriptæ sunt ingenio humano, sed ex inspiratione Spiritus Sancti;* verum etiam, hunc Spiritum S. Scripturæ interpretem multis sapè hominibus privatis concedi, quod paulò ante Volusum quoque vidimus agnovisse. Ut adeò Sensus Scripturæ literalis indagatio in rebus ad Salutem cognitu necessariis tam procul & per tot ambages quærenda non sit, ut potest quæ diligenti Scripturarum lectori & devoto earum Scrutatori facilior est, quam primâ videtur

de Grat. &
lib. arb.
cap. 18.

facie. Notanter ideo antehæc monuit D. Doricheus noster: *Si oratio ad Deum potest impetrare auxilium servanda perpetuò Continentiâ, extra conjunctionem cum muliere, ipso factente Bellarmino, quæ tamen Continentiâ ad Salutem efficax non est; quanto certius Oraculum celestium intelligentiam dabit Deus necessariam ad Salutem modo debito petituris.*

Dissert.
Secul. cap.
II. p. 102.

Et hæc juxta methodum à Bellarmino observatam de sensibus Scripturæ præmitti debuerunt ante, quàm ad ipsam de Judice Controversiarum perveniretur Controversiam, à Bellarmino aliquot capitibus prolixissimè tractatam, initium faciente à Testimoniis Testamenti utriusque, quibus demonstrare satagit, officium hoc Judiciale & normativum, seu sensus S. Scripturæ veri indicativum & explicativum esse penes Ecclesiam, id est, Romanum Pontificem sive cum, sive absque Concilio definitentem & decernentem, ita ut nemo Christianorum non obligatus sit, debitam hisce definitionibus & Decretis præstare obedientiam. Ex Veteris quidem Testamenti tabulis primo citat loco Exemplum Moïsi, quem Augustino teste Sacerdotem propriè dictum fuisse scribit. Ad quod si id tantum responderetur, quod ipse Bellarminus alibi, in Explicatione illius

illius Plalmi, in quo Moles dici videtur Sacerdos, suppediavit, satis posset videri. Qui^a in Psal. 98. enim eodem in Psalmo Samuel inter eos numeratur, qui invocant nomen Domini, ex Lib. 8. 9. pressè etiam Bellarminus testatur, præter alios Patres Augustinum quoque Samuelem nominasse Sacerdotem, & tamen non attentâ Augustini autoritate eam diversis quatuor Rationibus refellit Sententiam; Evangelicis fortè etiam non deessent causæ, quibus contra Augustinum eximere liceret Mosen numero Sacerdotum propriè dictorum, *Mosis*, in- Conf. Hacksp. Miscell. S. Lib. I. c. 5. Selden, Lib. I. de Synedr. cap. ult. & lib. II. c. 1. terprete Davidico superius laudato, non ita difficulter ad stipulante, qui etsi fatetur, *vide- ri hunc locum docere, Mosen fuisse Sacerdotem*; quin & Interpretes Rabbinos, Aben Ezram, Kimchium & alios adfirmare, probabiliter sanè, *Mosen Sacerdotio functum esse septè diebus Consecrationis Aaron & filiorum ejus*, imò non deesse ex veteribus Rabbiorum, eodem teste Kimchio, qui doceat, *Mosen totis quadraginta Annis, quibus Israelitæ fuerunt in deser- to, summo fungi potuisse Sacerdotio*, id tamen de suo notanter addit, *quo nitantur Scripturæ testimonio, nullus video, nisi hoc fortè sit, quod tamen minime eorum iuvat Sententiam*. Sed ut eò deveniamus, necessum non est. Sit enim ita, fuerit Moles Sacerdos, non tamen fuit summus. Concedamus verò & illud, fuisse Summum, posito; pluribus tamen adhuc consequentiis & consequentiarum consequentis erit opus, ut stringens à statu illo publicæ rei Israeliticæ extraordinario ad ordinarium Ecclesiæ per univèrsum orbem dispersæ statum emergat argumentum, tot intervenientibus hic & ibi disparitatibus, quas in unum redigere ordinem hætenus eorum nemo, qui pro Ratione Status Papæ militarunt, sufficienter potuit, ut non semper plura adhuc irregularia manserint in residuo, ad præsentem Ecclesiæ statum non reducenda. Quia ergò ex Veteri Testamento id pro Instituti Ratione non potuit impetrare, ad Novum nos ducit, sed æquè infelicitè, Augustino neque hic patrocinium ferente, etsi ad duo Testimonia eam in rem adducta pro teste fuerit citatus. Et primùm quidem ad testimonium numero *tertium*, quo Christus id, quod de Cathedrâ Mosis dixit, *à fortiori de Cathedrâ Petri* intelligitur, Math. 23. Epist. 165. autoritate Augustini, ita Bellarmini iudicio hæc Verba illustrantis: *In illum ordinem Episcoporum, qui dicitur ab ipso Petro usque ad Anastasium, qui nunc eandem Cathedralē (rectius Cathedralē) sedem, etiam si quisquam traditor per illa tempora subepisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ & innocentibus Christianis, quibus providens Dominus ait de malis Præpositis, quæ dicunt, facite; quæ faciunt, facere nolite, dicunt enim & non faciunt*. At qui plurimum & hic requiritur, ut ex his Augustini verbis id exprimat, quod Bellarminus demonstrandum in se suscepit, qui si sequentia proximè Augustini verba attendere voluisset, ut omninò debuit, aliam longè Augustinissimi Doctoris mentem fuisse observasset. Ubi enim hæc Domini de Phariseis in Mosis Cathedrâ sedentibus verba adduxit, hæc continuo subjunxit, *ut certa sit Spes fidelibus, quæ non in homine, sed in Domino collocata, nunquam tempestate Sacrilegi Schismatis dissipatur*; quæ verba Augustini seipsum explicantis adeò clara sunt, ut mirum sit, Bellarminum iis suam Augustino ignotam opinionem ex Augustino confirmare ausum fuisse. Ego hic nihil addo, nisi ut in gratiam Lectoris curiosi subjungam, quæ noviter curiosissimum Caramuel sub initium Theologiæ *Intentionalis* pro defensione opinionum inter Moralistas Benignarum contra rigidiores & severos Censores ex his Christi verbis monuit: *Cognosco homines, qui laxissimè vivunt, & omnes benignas damnant opiniones, imò qui dicunt, esse in Republicâ utiles valdè strictas opiniones; non ut suos mores dirigant Summates, sed ut subditorum sub Ferula mentes coercant. Et hæc hominum monstra non oborta sunt veri, sed ab usque initio ceteros irritarunt. Contra hæc Christus variis in locis declamavit*. Post citata Christi in hanc rem verba, de quibus Augustinum jam audivimus, Caramuel hæc scribit: *Porrò Moses professor fuit Theologiæ Moralis à Deo institutus, & in Catholica Univerſitate primarius; nemo enim ante ipsum canonico scripsit calamo. Obiit jubente Domino, vacavit Cathedra, ad quam, prout tempora tulerunt, Viri probi & docti fuerunt promoti. At quia successu temporis fatiscunt omnia, Christi ævo Sedem illam invaserant Scribæ & Pharisei, homines improbi & indocti, alienâ infelicitate felices, & alienâ ignorantia eruditi, & alienâ tandem impotentia superbi. De istis Christus hunc Divinum conformat Syllogismum.*

Super Cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisei.
Omnia ergò, quæcunque dixerint vobis, servate & facite;
Secundum opera verò eorum nolite facere,
Dicunt enim & non faciunt &c.

D 4

Sed

Sed in quâ figurâ, in quo modo Christus hunc construxit Syllogismum? Resp. In nullâ Aristotelicâ; non enim dignus erat Ethnicus, ut ejus Logicam Christus sanctissimo suo honoraret labio. In quâ ergo? Resp. In obliquâ transfigurante. Sed cur facere debemus, quæ dicunt; omittere verò, quæ faciunt? Resp. Quia supra Probabilitatis terminos sunt laxi, ut vivant, se veri, ut imperent; cum intra Probabilitatis terminos esse deberent in imperando benigni, & in operando se veri. Ipsis musca est Elephas, Elephas est musca. Nam aliorum vel levissimas culpas seu Sacrilegia inculpantur, & à se commissa Scelera aut censui Virtutum adscribunt, aut saltem levibus accensent negligentis. Hæc Ille, pertinenter ad rem, an secus, alii videant. Id ad minimum inde constat, si verba Christi ad mentem Caramuelis intelligenda sint, parum commode ea Bellarmino adferre. Et si alia prolixè huc transcribere vellemus Augustini loca, quibus hæc Christi Verba suscepit tractanda, multa ex iis possent colligi Instituto Caramuelis inservientia. Sufficit, ostensam esse illius testimonii inidoneitatem, ad quod Bellarminus audacter simul & imprudenter provocavit.

Neque sincerius Augustini auctoritatem obruit in adductione Testimonii numero *septimi*, quo Paulus, Apostolorum vocationis ordine ultimus quidem, at ratione meritum facile primus, de se testatus est, quod in medio jam Apostolatûs sui cursu, cum Itineris socio Barnabâ ascenderit Hierosolymam, & contulerit cum cæteris ibi Apostolis Evangelium, quod hæctenus prædicaverat in gentibus, seorsim verò cum iis, qui apud alios videbantur aliquid esse, ne fortè in vanum tucurrisse existimandus sit, quem locum explicantes Ecclesiæ Doctores, & inter eos Augustinum disertè scribit Bellarminus adfirmare, *Ecclesiam Paulo credituram non esse, nisi Evangelium ejus à Petro confirmatum fuisset. Addit, Ergo Petri erat tunc, & proinde Successoris ejus nunc, de Doctrinâ Fidei judicare.* Quam liberaliter hæc iterum consequentia necatur, nemo Logicæ gnarus non videt. Nobis id nunc tantum incumbit ostendere, Augustino injuriam & vim esse illatam, idque ei imputatum, quod in mentem venit nunquam, multò minus in pennam. Certè nullam Augustus Doctor, loco per Bellarminum citato, facit in specie Petri mentionem, sed in genere Apostolorum, videlicet Hierosolymis tunc degentium; inquit,

Lib. 28.
contra
Fauft. c. 4.

*Eum cum ipsis communicasse & Evangelium (à se hæctenus prædicatum) contulisse, ut ejusdem Societatis Eum esse adpareret, aliâ Ecclesiam illi omnino non credituram, quæ nimirum de Apostolorum auctoritate Divinâ jam dudum erat indubia. Falsum est hinc, quod Bellarminus ex mente Augustini non imprudenter solum, sed & impudenter colligit, Ecclesiam Paulo credituram non esse, nisi Evangelium ejus à Petro fuisset confirmatum. Cadit etiam per se, quod ex falsâ hæc hypotheli inconsequenter necit, Petri, nimirum solius tanquam capitis fuisse tunc, & proinde Successoris ejus nunc, de Doctrinâ Fidei judicare. Quid enim? Si, quæ illo in loco Paulus de Itinere suo Hierosolymam versus instituto, & quæ ibidem acta fuerunt, cum circumstantiis narrat, probè attendamus, contrarium planè adparebit, nimirum, adeò Paulum à Petro nullum sustinuisse Evangelii à se prædicati examen, ut Petrum à Paulo potius rigorosum valde oportuerit sustinere, in facto, quod et si Bellarminus infra testetur, omnes Græcos Patres vacare omni peccato voluisse, cumque Græcis Latinorum numero Hieronymum; agnoscere tamen debuit, Latinorum plerisque, & in specie Augustinum aliquod in hoc Petri factò peccatum agnovisse, meritoque hinc Petrum & jure à Paulo fuisse reprehensum, quod ex citatis à Bellarmino Epistolis Augustini ad Hieronymum prolixè posset ob oculos poni, si id jam ageretur. Id tantum addere licet, quia Bellarminus in excusatione Petri, Græcis Patribus Hieronymum adjungit, neque frustra, quod ex Ejus ad Augustinum super hæc Questione Epistolis certum est; in Jure tamen Canonico notatu dignum ex Hieronymo citari Textum, de hæc re ita pronuntiantem: *Paulus Petrum reprehendit, quod non aunderet, nisi se non imparẽ sciret.* In subjunctâ Adnotatione hæc quidem leguntur: *Caput hoc, quod citatur in plerisque Exemplaribus ex B. Hieronymo, & in aliquot ex B. Augustino, in neutrius libris inventum est. Verum optimè ibidem additur: sed in Glosâ ordinariâ, ad ea verba ipsius Epistole ad Galatas, In faciem Ejus restiti, additur hæc interlinearis explicatio, quod non aunderet, nisi se non imparẽ sciret.* Et in Commentario B. Ambrosii in illum eundem locum hæc leguntur: *Nam quis eorum aunderet Petro primo Apostolo, cui Claves Regni cælorum Dominus dedit, resistere, nisi alius velis, qui fiduciâ electionis suæ sciens se non imparẽ constanter improbare, quod ille sine consilio fecerat.* Prætermitti hæc non debuerunt, utpotè non parum Scopo inservientia. Quæ porro Bellarminus ad Testimonium ordine octavarum ex Augustino adducit, Statû Controversiæ non ita propè attingunt, quam vis non omnino hic prætermittenda. Scripserat Paulus de Varietate Donorum, ut vocantur, ministrantium suo tempore in Ecclesiâ noviter plantatâ: *Alii datur per Spiritum sermo Sapientiæ, alii sermo Scientiæ**

1. Cor.
12.

Scientia, alii interpretatio Sermonum, alii Prophetia &c. Ad hæc Pauli verba pro Institutum Ratione Bellarminus sequentia observat: *Hic aperte dicitur, non dari omnibus fidelibus Spiritum interpretandi Scripturas.* At objicit sibi ex mente Evangelicorum, illum esse certum, se habere Spiritum hunc interpretandi Scripturas, qui eum à Deo petit, juxta promissionem Christi à Jacobo Apostolo repetitam & confirmatam. Respondet Bellarminus, in Luc. 11, his & similibus locis Dominum loqui non de Spiritu interpretationis, qui est gratia quaedam gratis data, sed de Spiritu Fidei, Spei, Charitatis, & Sapientia ad Salutem necessaria. Subjungit, Augustinus enim docet, non impetrare orationem infallibiliter, nisi id, quod est necessarium vel utile ad Salutem ei, qui orat. Non vacat jam Tractatus illos evolere, nec omnino necessarium est, cum responsum ipse Bellarminus iterum suppeditet, dum concessit, agi in promissione exauditionis precum à Christo factâ de Spiritu Sapientia ad Salutem necessariam, quæ Sapientia annon ex ipsâ Scripturâ, omnis Sapientiaæ cœlestis fonte, haurienda sit, ipse videat.

Ad alia nunc est progrediendum, & quidem è Scripturâ & Verbo Dei ad hominum verba & facta, Bellarmino nos ad Consuetudinem Ecclesiasticam ducente, ut Canoniam Pontificis Romani auctoritatem ad indicandum verum & legitimum S. Scripturæ sensum defendat, per Secula eundo, ubi aliquoties Augustinus iterum tanquam testis adparet. In genere autem ad Ejus iteratâ vice provocat Monitum, *Dicere aut scribere, non rectè fieri, quod uni versa semper fecit & adhuc facit Ecclesia, insollentissima esse insania.* Cujus verò Moniti quia supra quoque jam ad libri secundi caput decimum & quintum mentio est facta, ut repetita fiat, proposita brevitatis non permittit. Ad rem ipsam ut deveniamus, in Seculo ordine secundo orta est *Questio de Celebratione Pasche*, ut Scriptori Latiniſſimo scribere placuit, addenti, *propter eam multa Episcoporum Concilia esse celebrata, & tandem à Victore, Romano Pontifice, ita terminata, ut Ecclesia omnes Asiaticæ ab Eodem fuerint excommunicata, quod adhuc in errore persisterent; postea vero non solum excommunicatos, sed hereticos etiam habitos esse, qui Pontificis Decreto non obedierunt, & hinc à Tertulliano, Epiphano & Augustino inter hereticos numerari Quartodecimanos.* Atqui, ut non dicam, id quod ipse Augustinus in ipso de Hæreticis vel Hæresibus libro, quem Bellarminus citavit, de Philastrio & Epiphano, Hæreticorum ante se collectoribus, censuit, de numero Sectarum inter se eos differre, & uni Eorum viſam esse hæresin, alteri non item; ipsi etiam Augustino forsitan evenisse, hunc vel illum errorem hæresibus adnumeranti, qui propriè hæretes non fuerunt, Exemplis non adeò procul accersendis. Illud saltem hic sufficere potest, Augustinum nihil habere de determinatione hujus Controversiæ per Victoriam, Romanum Pontificem factâ, nihil de Excommunicatione Ecclesiarum in Asia, imprudenter & nimis superciliosè ab Eodem susceptâ, nihili planè ab ipsis fidelibus ibidem habitâ, cæteris etiam in vicinia, præprimis in Africâ Ecclesiis, se ob id ipsum ab Ecclesiis Asiaticis tanquam à Pontifice Romano excommunicatis planè non segregantibus, quin & Irenæo, Lugdunensis Ecclesiæ Episcopo, quanto tum temporis Virò nomine non tantum suo, sed cunctorum in Galliâ Antistitum communi & publico, hoc Prætulit Romani audax & insolens per omnia facinus graviter castigante, id quod ipse Eusebius loco per Bellarminum citato prolixè recenset, adductis etiam pluribus verbis Irenæi, quibus injustitiam facti Romano Pontifici exprobravit, dignis quidem, quæ & hic legerentur, nisi omnis vitaretur in exscribendo prolixitas, imprimis cum alia adhuc supersint circa allegatam Augustini auctoritatem observanda, & in specie illud, Augustinû, ut de cæteris jam non dicam Patribus, *Quartodecimanos* non ideo inter hæreticos retulisse, quod Decreto Victoris, Romani Pontificis, non obedirent, cujus, loco per Bellarminum citato, nullam planè facit mentionem, sed, quod probabile est, quia, postquam per Synodum Nicenam, cujus in oriente & Occidente maxima fuit auctoritas, hæc Controversia demum terminata factaque Decisio fuit, ut plerique Historica Ecclesiastica Scriptores testantur, nihilo tamen minus contra universalem & receptam ab omnibus consuetudinem more judaico Festum Paschale ausi sunt celebrare, quamvis nullam in Doctrinâ hæresin aut errorem perniciosum docentes; ut adeò Augustini auctoritas pro auctoritate Pontificis Romani in Fidei Controversiis decisivâ & judiciali quidem nullo planè modo militet. Nec quidquam ea juvat, si cum Bellarmino ad tertiû eam Seculum, in quo præter hæresin Novatianam Schisma Anabaptiticum exercuit Ecclesiam orthodoxosque in eâ Doctores, orbe Romano & Africano inter se ob re-baptizationem hæreticorum vel ab hæreticis baptizatorum dissidentibus, Cypriano cum Coepiscopis eam requirente, Cornelio autem, & post Eum Stephano, Pontificibus Romanis eam damnantibus, ubi dum præter alios Augustinus etiâ, Bellarmino ad id

Luc. 11,

Tract. 73.
81. & 102.
in Joh,

Epist. 113,

vid. D.
Dannh.
Christeid.
P. 494lib. V. Hist.
stor. Eccl.
c. 24.

pro-

Lib. V. de
Bapt. c.
Donat.
cap. 23.

provocante, contradictionis & oppositionis à *Stephano* factæ mentionem facit, non videtur, quâ ratione potestas Romani Pontificis Judicaria inde demonstrari possit. Etsi enim Augustinus ejusdem omnino cum *Cornelio & Stephano*, Romanis Pontificibus, sententiæ, adque omnia *Cypriani* contra hæreticorum baptismum argumenta respondere conatus fuit, non id tamen ab eo factum est idèd, quia per Decretum & Sententiam horum Pontificum existimavit rem planè decisam esse, sed quia opinionem *Cypriani & Sequacium Africanorum Præsulum*, si Stylo hodiè apud *Moralistas* usitato loqui aut scribere licet, minus judicavit probabilem, non tamen ut hæreticam damnavit, id quod pluribus ex citato ejus contra Donatistas opere testimoniis demonstrari potest, nunc autem ex debito eò usque differtur, donec in suâ quasi Sede Quæstio hæc ex professo tractabitur. Nunc prætermisso sequenti Seculo ordine quarto, in quo nullum Augustino tanquam testi locum concessit Bellarminus, ad quintum eamus, quo cum Nestorianâ inprimis Pelagianam hæresin à Pontificibus Romanis convictam & damnatam fuisse narrat, Augustino in testimonium citato, responso tamen simul suppeditato, dum

lib. II. Re-
tract. c. 10.

Augustinum, *cooperantibus Africanorum Conciliorum literis*, hanc convictionem & insecutam damnationem factam, monuisse Bellarminus, quæ hic ejus fuit ingenuitas, fateri non erubuit, quo ipso Romanos solum Pontifices in damnandâ hæresi Pelagianâ judicariam exercuisse potestatem, cæteris omnibus Ecclesiis omnino exclusis, Augustinus non est testatus, ipse pars magna, imò maxima eorum, qui in Africâ errorum hæreseos Pelagianæ convictionem præstiterunt, pluribus contra eos Scriptis testibus, quæ hodiernum insigni Ecclesiæ commodo Deique gratiâ supersunt, multasque contra renovatum in Ecclesiâ Pelagianismum utilitates exhibent, eadem nobis suppeditando arma & argumenta, quibus ante tot Secula Augustus hic Doctor tam nefandam hæresin constantissimè profligavit & devicit, ejus rei documenta in posterum non una habebimus.

Ea inter ad testimonia Pontificum & Imperatorum accedimus, quibus Papæ in decidendis Quæstionibus Controversis, & indicando Sacræ Scripturæ sensu legitimo de quo præprimis agitur, autoritatem quasi Canonicam & judicalem demonstrare Bellarminus fatagit, nobis iterum ad ea solum attentis, quæ Augustinum præprimis attingunt. Contra Pontificum, utpotè in propriâ causâ testium, testimonia excipi quid communiter soleat, vel legitimè etiâ possit, per se satis notum est. Sed & Imperatorum testimonia non usque ad eò per ipsas advertæ partis hypothefes huc congruere constar. Quidquid autem de utrorumque validitate sit, videamus, quousque Augustinus in eorundem Patrocinio progrediatur, & num is à partibus stet Bellarmini.

num. 91.
& 93.

E serie Pontificum provocat ad *Innocentium* hujus nominis primum ejusque binas ad Concilia duo Africana, *Carthagiense & Milevitanum*, Epistolas, quæ Augustini Epistolis insertæ leguntur idèd, quia Augustinus in numero Patrum Synodi utriusque erat, & fortè utriusque Epistolii, quod nomine Episcoporum ibi congregatorum ad *Innocentium* fuerat scriptum, author. Quamvis autem negari non possit, multa in duabus hisce Epistolis *Innocentii*, quibus & tertia ibidem eodem in argumento succedit,

num. 96.

contra Apostolicam Humilitatem scripta, & insignem arrogantiam præ se ferentia haberi, illud tamen quam maxime dignum est & esse debet notatu, quod Episcopi sive Patribus in utraq; Synodo congregatis tanquam *dilectissimis fratribus* inscripserit hæc Epistolia, sicut & ipsi Patres Synodi *Carthaginensis Innocentio* Papæ suas literas tanquâ Fratri inscripserunt, id non facturi, si eum agnovissent supremum in Quæstionibus Fidei decernendis Judicem, quod eo ipso etiam se minus agnoscere statuerunt, dum Ei non ultimam & decisivam in hæc contra Pelagium Controversiâ obtulerunt Sententiam, sed à se latam communi nomine *intimarunt*, quò accedente Ejus consensu & autoritate eo majorem haberet vim & efficaciam, id quod Augustinus & cæteri in Africa Episcopi sequentibus etiam literis post Synodum Milevitanam ad *Innocentium* graviter

Vid. P.
Marce
de Conc.
& Sacerd.
Imp. lib. 7.
c. 12. n. 5.
& seqq.
Epist. 162.

urserunt, undè nulla planè Superioritas Pontificis Romani Judicariæ adparet, quam Bellarminus in his Epistoliis latere existimavit. Ex Imperatorum numero sistit *Constantinum*, cognomine Magnum, de quo Augustinum sequentia memorare scribit, quod cum Donatistæ suam ab ipso judicari vellent causam, ipsum eos ad suum Judicem proprium remississe, id est, *Melchhiadem* Papam; & cum illi appellassent à Sententiâ Pontificis ad ipsum Imperatorem, dedisse illum, teste Augustino, aliud *Arelatense Concilium*, aliorum scilicet Episcoporum, non quia jam necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens. Neque enim, addit Bellarminus, ausus est Imperator Christianus sic eorum tumultuosas & fallaces suscipere querelas, ut de judicio Episcoporum, qui Romæ sedebant, ipse judicaret. Possem in genere ad hanc autoritatè respondere, quod paulò infra,

in materiâ de traditionibus Bellarminus respondit, *Constantinum fuisse magnum Imperatorem, sed non magnum Ecclesie Doctorem.* Sed aliud est in promptu, quod regeri possit, scilicet, Augustinum narrare id, quod à Constantino contra Donatistas factum est, sub eâ Elogii specie, quod nihil fuerit intermissum ad eorum reconciliationem, *Veritatemque vel conservandam vel restituendam* interserviens. Meminit quidem Melchiadis Romæ Episcopi, sed non solius, verum simul cum Collegis, *Episcopis nimirum transmarinis*, quibus simul illud attribuit contra Donatistas iudicium, *quod ab Episcopis in Africâ jam fuerat terminatum.* Fallitur hinc Bellarminus & fallit, quando Constantinum scribit Donatistas ad suum Iudicem proprium, id est, Melchiadem Papam misisse, cum id simul de cæteris Romæ congregatis transmarinarum Ecclesiarum Episcopis, id est, ut ipse Bellarminus scribit, *de iudicio Episcoporum, qui Romæ sederant*, veniat intelligendum. Ut ut verò non necesse visum fuit Augustino, ut aliud, nimirum *Arelatense Concilium* Donatistis daret Constantinus, utile tamen illud fuisse, nemo negabit, ob hujus cum illo consensum; sicut è contrario illicitum fuisset, si penes Romani Pontificis vel congregatorum ab eo Præsulum Sententiam, sine omni contradictione aut ulteriori adpellatione, standum fuisset, quod ex hâc Augustini narratione nullo planè modo extorquendum.

Nunc ad alia descendamus, Bellarmino nos ad ipsa Patrum testimonia ducente, inter quæ tria ex Augustini Scriptis pro Romani Pontificis autoritate iudiciariâ citantur, sed impertinenter iterum & præter augusti Doctoris mentem, id quod paucis demonstrabitur. Primum his verbis proponit: *Quisquis falli metuit hujus obscuritate Quæstionis, Ecclesiam de illâ consulat, quam sine ulla ambiguitate Scriptura Sacra demonstrat.* Integer contextus hic est: *Quamvis hujus rei de Scripturis Canonis non proferatur exemplum, earum tamen Scripturarum etiam in hâc re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod univèrse jam placuit Ecclesie, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas, ut quoniam Sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate Quæstionis, tandem Ecclesiam de illâ consulat, quam sine ulla ambiguitate Sancta Scriptura demonstrat.* Tractavit ibi Augustinus Controversiam de Anabaptismo hæreticorum vel ab hæreticis baptizatorum, quem Cyprianus suo tempore cum plerisque Africanis Doctoribus acriter defendit, quam tamen ob rem nullibi legimus eum quasi ob errorem hereticum fuisse ab Ecclesiâ rejectum & damnatum, quidquid etiam Cornelius & Srephanus, Romani Pontifices, teste Bellarmino, cum suis contra eum ausi fuerunt. Ipse Augustinus hoc non obscure insinuavit, in antecedentibus proximè Verbis ita scribens: *Neque propterea sumus Episcopo Cypriano meliores, si tum censuit hæreticos denno baptizari, quia nos hoc rectè non facimus; sicut nec Apostolo Petro meliores sumus, quia non cogimus gentes judaizare, quod ille Paulo attestante & corrigente monstratur fecisse, cum similiter inter Apostolos de Circumcisione quæstio, sicut postea de Baptismo inter Episcopos non parvâ difficultate nutaret.* Ex quibus Augustini verbis constat, habitam Ei hanc de Anabaptismo à Cypriano & Africanis Doctoribus defenso Quæstionem non Fidei, sed facti, inter eas numerandam, de quibus debita cum moderatione pro & contra ab Episcopis Africanis & Romanis disputari potuerit. Ad hujus ergò Controversiæ tractationem pertinet, quod Augustinus verbis à Bellarmino citatis de Ecclesiâ à S. Scripturâ commendatâ observandâ autoritate scripsit, per Ecclesiam intelligens non Pontificem Romanum, & quoscunque eidem vel ibi vel alibi adhærentes, sed universalem & verè catholicam, in Oriente & occidentè, inque omnibus Terræ partibus, quæ patet, dispersam, sub uno capite Christo Salvificæ Fidei vinculo unitam, quam dum suo tempore Anabaptismum Cypriani & Africanorum Præsulum, re ulterius expensâ Augustinus scivit unanimiter abrogasse, consultissimum existimavit, hunc universalis Ecclesiæ consensum observare. Quid inde, quæso, ad Pontificis Romani potestatem in rebus Fidei, & indicando vel dijudicando Scripturâ sensu legitimo iudiciariam? Secundum pro demonstrandâ eadem ex Augustino hoc adducit Bellarminus testimonium, in quo loquens augustus Doctor de citatis paulò ante Innocentii Papæ Epistolis ita eas commendasse legitur: *Ad omnia nobis respondit, sicut fas erat atque oportebat Apostolicæ sedis Antistitem respondere.* Verum si Bellarminus candidè hoc etiam in negotio agere voluisset, ex antecedentibus iterum verbis Augustini sufficiens responsum habere, ac idè hujus testimonii objectionem omninò superfedere potuisset. Facit quidem augustus Doctor ibi mentionem literarum, quæ ex laudatis duobus Conciliis in Africâ ad sedem Apostolicam, quo Elogio tum Romana commendabatur Ecclesia, scriptæ erant: Sed addit, quod Bellarminus omisit: *Scriptimus etiam ad beatæ memoriæ Papam, Innocentium, præter Conciliorum Rationes, literas fami-*

lib. I. contra Crecon. c. 33.

Epist. 109. ad Paulin.

familiares, ubi de ipsa causa aliquantò diutius egimus. Et de familiaribus hisce literis earumque prolixiori argumento scribit porro Augustinus: *Ad omnia nobis ille rescripsit eodem modo, quo fas erat atque oportebat Apostolica sedis Antistitem.* Quæ verba dum Bellarminus ad antecedentes literas trahit, agit iterum contra Augustini mentem, infra uberius explicandam, ubi eadem ferè occurret Controversia. Interea conferat Veritatis studiosus Lector familiares has Augustini & quorundam aliorum Africæ Præfulum literas cum *Innocentii* ad eas responso, & videbit, Augustinum non priores, sed posteriores has intellexisse.

Contra
Epist.
Fund.
cap. 5.

Tertium restat Augustini testimonium, idque quam-maximè classicum, quo ferè solo hodiè Doctores Papæ Ecclesiæ suæ auctoritatem defendi posse existimant contra eos, apud quos Augustini nomen est in pretio. Ita autem Doctor augustissimus: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholice commoveret auctoritas.* Est, inquam, hoc Augustini testimonium hætenus Papæ Doctores quasi clypeus, quo omnia omnium Ecclesiæ Romanæ hostium tela securissimè & sine omni damno excipere & contra eos repercutere se posse putarunt. Ad hoc tanquam tutissimum ad Asylum recipere se videri voluerunt, quicumque proximis quinque Lustris, non unà ducti vel seducti causâ & respectu, desertis Evangelicorum cœtibus, ac reprobata orthodoxæ Veritatis doctrina, ad Papatûs Romani communionem (undè Patres & Avicorum, singulari zelo animati, Divinitusque à S. Literis illuminati, ovariantes & erectis in Cælum mentibus, maximo cum Animarum gaudio & insigni Solatio non tantum exierunt, sed & partim non sine nullo Bonorum temporalium damno, partim non sine nullo Vitæ periculo, constanter redonatae Luci ad finem adhæserunt) non soli, sed pluribus suorum familiarium, vi etiam & per violentas persuasiones secum tractis, redierunt, seipsos inextricabilibus Conscientiæ laqueis induentes, quos occultare in publicatis Fidei, Infidelitatis verius & Perfidie, Professionibus & Confessionibus non potuerunt, & ô utinam non æternæ damnationis induendi laqueis! Superbiunt etiam hoc Augustini testimonio, quasi oraculorum oraculo, quibuscunque pro Ecclesiæ, cujus membra sunt, auctoritate consultum fuit visum pugnare, non tanquam pro Artis quidem, sed imprimis & præcipuè pro Focis, quia stante hac Ecclesiæ auctoritate se etiam posse stare, & quidem quoad *rationem Status*, quem sibi fingunt, bene existimant. Videas hinc plerisque hujus argumenti Scriptis & Tractatibus illud titulo tenus præfigi uncialibus literis, pluribus cum Elogiis & commendationibus, non aliter, ac si in hoc Solo omnis Romæ Romanorumq; salus esset sita, nihilque contra illud, quod à parte Evangelicorum vel exciperetur vel opponeretur, amplius esset super. Movit & commovit hujus rei indignitas & insolentia celeberrimum non ita pridem nostratis Ecclesiæ Doctorem, *Dorscheum*, ut ante Annos quadraginta & quod excedit, in gratiam Veritatis, contra intolerabilem adversæ partis thraconismum, de vindicando Ecclesiis Evangelicorum, & restituendo tam insigni Doctore, Augustino, post alios plures cogitaret ferio, orbique Christiano ostenderet, non eam fuisse augustissimi Doctoris mentem, quæ communiter eidem adfingitur, & cujus auctoritate non paucorum oculi tenentur. Nata est indè insignis de hoc argumento Tractatus, novem diversis Considerationibus constans, quibus id solum agitur, ut omnes Augustiniana auctoritatis studiosi videant, vim fieri Verbis, quorum sensus ex toto Contextu aliisque Augustini scriptis longè alius proponitur, quam nudo eorum cortici inhaerentes sibi hætenus persuadere potuerunt. Jacet utilissimus labor in Ecclesiæ publicâ facie, hætenus ab iis intactus qui aliàs in *Anti-Dorscheis* protrudendis non adeò fuere in prompti, in signum & documentum, tam potenter ereptum sibi esse hoc oraculum, ut apertè & in manifesto repeti vix possit. Non desisterunt quidem plures ex eorum numero eadem oberrare chordâ, hocque eodem Augustini oraculo simpliciores & hujus rei ignaros obrunderè, damnum sibi publicè illatum quantum in se fuit & pro viribus dissimulantes, quasi Augustinus illorum esset totus, nemine ex tot millibus & millium millibus, quos Tiberinus Generalis sub insigni Clavium Petri & Gladii Paulini ad suum habet nutum, hætenus invento, qui *Dorscheanas* pro hoc Augustini Oraculo Evangelicis vindicato Considerationes examinare sustineret. Sed eo ipso valdè suspectos se reddiderunt, malæque Fidei reos, dum intra octo Iustra & amplius, Spatium temporis benè longum, nihil quidquam in rem suam, quod exciperent vel opponerent, publicæ luci exhibere potuerunt. Ne his Augustini tanquam Evangelici Confessoris contra Bellarminum Vindicis quidquam desit, placeat per summa tantum capita ostendere, quid Theologus de Evangelico orbe, si nullo, hoc

hoc ad minimum labore, meritissimus, circa hoc Augustini Oraculum observarit, ut Lector Veritatis studiosus videat, quam iniquè hæctenus cum augusto hoc Doctore fuerit actum. Præmissâ autem consideratione generali de Patrum apud Doctores Romanos autoritate non semper æquali & constante, illud præprimis observandum proponit, Augustinum in his verbis explicare, non quare Catholicus Evangelio crederet, sed quo movente à Manichæismo ad Catholicismum transiverit, ostendens, fateri & agnoscere id quosdam ex ipsis Doctoribus Papæis, in specie *Melchiorum Canum*, & confirmare id circumstantias seu contextum, cum loquatur Augustinus de iis, qui Evangelio nondum credunt, & nisi id ita explicetur, absurdum hoc grande sit adferendum, quod Augustinus jam Catholicus ac Episcopus & Doctor autoritate solâ Ecclesiæ ad credendum Evangelio commotus fuerit, cujus tamen Ipse contrarium alibi, nominatim in libris *Confessionum* non semel sit testatus, quin & in proximè sequentibus verbis, ubi expressè de seipso nondum Catholico verbis præteriti temporis scripserit, illud etiam notanter addens: *Nos cum credimus, & Fide jam valentiores facti sumus, id quod credimus, intelligere meremur, non jam hominibus, NB. sed ipso DEO mentem nostram intrinsecis firmante atq; illuminante.* Præterea, Ecclesiæ autoritatem esse quidem inter ea, quæ commovent ad Evangelium capeffendum; non verò solum esse, nec apud omnes commovens principium, fatentibus iterum Scriptoribus Papæis, *Michaele Medina, Fabro Stapulensi*, ipso quin etiam *Bellarmino, Bielio, Caritano, Hosio, Canisso, Gregorio de Valentia*, aliis. Insuper, Augustinum loqui de Ecclesiâ primitivâ, non autem de eâ, quæ primitivam in orbe secuta est, agnoscantibus & hoc *Driedone, Thomâ Waldensi, Gersono, Salmerone, Petro Sozensi, Occamo, Turrecremata, Marsilio Paduensi, Petro Alliaccensi*. Porro, etiam si concedatur, Ecclesiam hodiernam, etiam Pontificiam, aliquatenus posse hominem commovere ad credendum Evangelio, non propterea tamen in ipsis Dogmatibus Ecclesiæ Pontificiæ credendum esse; nam aliud esse dogmata, aliud librum Dogmata proponentem. Hunc incontaminatum & incorruptum de manu in manum tradi, hæc autem ex libro & variis ejusdem detorsionibus corrumpi & alia introduci posse Libro repugnantia, quale quid in Ecclesiâ ante Christum adpareat: quanquam in hoc magna sit inter Judæorum & Pontificiorum Ecclesiam diversitas, quod ante Reformationem Christi nulli præter Judæos alii fuerint, qui V. T. libros modo debito custodire potuerint, ante Reformationem Lutheri verò aliæ fuerint Ecclesiæ, à quibus purum & intermeratum Dei Verbum accipere potuiffemus, Græcorum in primis, & aliorum Orientis populorum, & in Occidente inter ipsos Papistas *Waldensium* &c. Alia alii ex Nostratis ad hæc Augustini Verba observârunt, nominatim quod in iis Doctor augustus proposuerit non tam medium propter quod, quam per quod crediderit, è Manichæismo ad Ecclesiam perductus Catholicam, & quod, *Thomâ teste*, de Ecclesiâ intelligi debeat, non ut de fundamento Fidei, sed ut de causâ proponente locutus; Item, quod Augustinus hic contra Manichæos non agat de autoritate Scriptorum Canonicorum Divinâ, sed de eorundem ab Apocryphis differentiâ & cognoscendi ratione. In primis autem, quod in Exemplari quodam antiquo loco Verbi, *commoveret*, legatur, *commoneret*, ut adeò Ecclesia sit commonitorium quoddam, non principium Fidei. Quæ & plura hic ulterius observanda si ad animum ritè vocentur, facillè ostendunt, non ita hæc Augustini Verba Papistis ad Ecclesiæ autoritatem provocantibus favere, uti simplicioribus volunt persuasum, & primâ fronte adparent, nec ea ad mentem Scriptoris intellecta in se quidquam continere, quod Evangelici non ambabus amplectantur ulnis, utpotè Augustini præ Papistis Discipuli quam maximè genuini. Patebit id etiam ex eo, ubi & hunc vindicaverimus locum Ejus, quem Bellarminus pro adpendice quasi tribus antecedentibus subjunxit, contra spiritum, ut vocat, privatum iteratò agens. Non repetam vindicias contra malè descriptam Evangelicorum hæc in parte Sententiam perversamque à parte adversa mentem, ex antecedentibus & proximè secuturis facili operâ colligendas; Sed ostendam modò, nihil in citatis à Bellarmino verbis scribere Augustinum contra spiritum privatum, in quo Evangelici non lubentissimè consentiant. Sunt autem hæc: *Caveamus tales superbissimas & exanditas orationes Ejus, Eleemosynasque receptas nuntiaret Angelus, Petro tamen traditum imbuendum. Et certè Spadonem illum, qui Isaiam Prophetam legens non intelligebat, neque Apostolus ad Angelum misit, nec per Angelum ei, quod non intelligebat, expositum, aut Divinitus in mente sine hominis ministerio revelatum est.* &c.

E

Atqui

vid. D.
Calov.
Crit. S.
pag. 302.in Pro-
cem. de
Doctr.
Christ.

Atqui contra eos scripsit hæc Augustinus, contra quos & in paulo antecedentibus verbis scripsit: *Neg. tenemus Eum, cui credidimus, ne talibus inimici versutis & perveritate decepti ad ipsum quoque Evangelium audiendum atque discendum nolimus ire in Ecclesias, aut NB. Codicem legere, NB. aut legentem predicantemq. hominem audire, & expectemus rapti usq. in tertium Cælum, & ibi audire ineffabilia Verba, aut ibi videre Dominum Iesum Christum, & ab illo potius, quàm ab hominibus audire Evangelium.* Scietne Bellarminus, Augustinum hæc scripsisse contra Evangelicos, aut tales sui temporis homines, quibus hodiè Evangelici non multum sint dissimiles? Summam nobis inferet injuriam, ac contra omnem scribet experientiam, quæ in publicâ testatur luce, nil minus, quam talem Spiritum privatum vel familiarem à nobis vel inter nos foveri, quin potius cum omnibus modis proficere, inque indagando sensu S. Scripturæ vero regulas ab Augustino in opere laudato præscriptas non nisi quam diligentissimè à nobis observari.

Nunc id, quod in Quæstione hæc restat, porro agamus. Prætermisiss enim rationibus, quas Bellarminus contra Spiritum privatum, pro Spiritu Pontificis tanquam Judicis catholici & universalis adducit, utpotè quibus illustrandis nullum ab Augustino subsidium accepit, superest tandem Solutio objectionum, quas Bellarminus ut plurimum ex Scripturæ dictis proponit, & ad quas partim ex Augustino etiam respondere conatur, ut videamus, an id ex asse præstiterit, quod præstare merito tenebatur. Id quidem in genere præmonendum esset, non ita ex mente Evangelicorum adduci hæc ex S. Literis testimonia, ut jure debebantur, Statu Controversiæ non parum immutato. Sed cum id ex jam dictis constet sufficienter, ac dicenda id quoque amplius ostendent, id tantum modò videndum est, quid de Augustini explicationibus à Bellarmino adductis sit statuendum, & quidem ex judicio Interpretum Pontificiorum, quos plurimum à suis æstimari certum est.

cap. 54.

lib. 1. de
Gratiâ
Christi,
cap. 13.

Prima objectio adducitur ex Isaia, ubi hæc Ecclesiæ N. T. à DEO facta legitur promissio, *Dabo omnes filios tuos à Domino doctos.* Hanc ut solvat Bellarminus, post adductam Cyrilli Alexandrini explicationem, ex Augustino aliam subiungit, quam subtiliorem & germaniorem dicit, statuente, *sermonem esse de Gratiâ Spiritus Sancti, quâ homo interiori à Deo movetur & suaviter impellitur ad credendum & amandum.* Addit Bellarminus: *Itaq. non est Sensus, Christianos omnes intellectionis Divinæ revelatione omnia Scripturarum arcana, (& quis unquam Evangelicorum hoc dixit, aut ubi scripsit? sed tales futuros, ut non solum audiant Magistrum exterius explicantem DEI Verbum, sed etiam audiant intus Magistrum Deum suadentem, ut faciant, quod audiunt.* Et quis verò Evangelicorum aliter dixit aut scripsit? Augustini explicationem à Bellarmino adductam quod attinet, illud tantum addo, *Gabrieli Alvarezi* visum fuisse, Augustinum magis hunc locum implicasse, quàm explicasse; quod etsi postmodum ratione aliquâ emollire est conatus, ipsam tamen Augustini explicationem non adprobavit. Secunda objectio est ex Hieremiâ, ubi iterum DEUS Novi Test. fidelibus promisit:

cap. 31.

de Spir. &
lit. cap. 24

Dabo Legem meam in cordibus eorum, & eam in corde eorum scribam, & non docebit Vir ultra proximum suum, dicens: Cognosce Dominum; omnes enim scient me à minimo eorum usq. ad maximum eorum. Respondeo, inquit Bellarminus, cum Augustino, *illis verbis, Dabo legem meam, significari gratiam Novi Testamenti, id est, Fidem operantem per Charitatem, quam Deus in cordibus nostris diffundit, ut non solum sciamus, sed impleamus Divina Mandata; illis autem, & non docebit ultra &c. significari premium Fidei, id est, Beatitudinem, in quâ omnes Electi videbunt Deum à facie ad faciem.* Quia hujus loci explicatio est bipartita, idè de quavis parte in specie aliquid dicendum: Et prior quidem Augustino gratis adfingitur à Bellarmino, cum in toto Augustini ad hunc locum Discursu nihil planè de legali mandatorum DEI impletione hujus Vitæ dicatur, sed per Legem DEI potius ipsa Evangelii Doctrina intelligatur. Ita enim Doctor augustus expressè: *Hæc est Domus Israel vel domus Iuda propter Christum, qui venit ex tribu Iuda. Domus filiorum promissionis hæc est, non operum priorum, sed Beneficii DEI. Hoc enim DEUS promittit, quod Ipse facit; non enim Ipse promittit, & alius facit, quod jam non est promittere, sed predicere. Idè non ex operibus, sed ex vocante, ne ipsorum sit, non DEI; ne merces non imputetur secundum Gratiâ, sed secundum debitum, atq. ita Gratiâ jam non sit Gratiâ. Satis apertè hæc Bellarminum adfictæ Augustino explicationis alienæ clarè indicat: Sicut Lex facta & scripta in Tabulis lapideis, mercesq. ejus, illa promissionis terra, quâ carnalis domus Israel, cum ex ægypto esset liberata, accepit, ad Testam. Vetus pertinet; Ita Lex Fidei scripta in cordibus, mercesq. ejus, species contemplationis, quâ spiritalis domus Israel ab hoc Mundo*

Mundo liberata percipiet, ad novum pertinet Testamentum. Pertinent hæc ad posteriorem Explicationis Propheticae partem, de qua Caspar Sanctius monet, quod quidem sua non careat probabilitate, eam minus tamen ad Textum congruere videri, censens, non tam de Beatorum statu, quam de Evangelii tempore hic sermonem esse, id quod prolixissime exponit, multisq; ex ipso etiam Augustino comprobatur. Tertia jam succedit objectio, ordine apud Bellarminum Sexta, ex N. T. desumpta, illo in primis Christi Servatoris oraculo, quo fideles suos ovis comparavit, Vocem suam audientibus & sequentibus, ubi Bellarminus monet, Sermonem non esse de difficultatibus Scripturarum, id quod nec Evangelici statuunt; sed loqui Dominum de predestinatis, ita exponente Augustino, qui ante mortem omnino audiunt vocationem DEI, & eam sequuntur perseverantes usq; ad mortem. Addit, Quod se etiam ageretur de Scripturarum intelligentia, diceremus, Christum suis ovis loqui multis modis, per Scripturam, per internam inspirationem, & apertissime per os Vicariorum suorum, quos non solum Pontificem Romanum, sed omnes Apostolorum in officio docendi Successores ac Ecclesiarum Ministros esse, infra ex Augustino etiam demonstrabitur, cujus Sententiam de predestinatis in laudato Christi Oraculo, postquam Adamus Conzenius recensuisset, de suo addit: Videtur tamen Christus loqui de his etiam, qui oves sunt secundum presentem iustitiam, Lupi aliquando futuri; idque ipsius etiam Augustini autoritate munit, quod hæcenus quidem satis esse potest, quamvis alia non deessent, quæ ad huius oraculi & antecedentium uberiores intelligentiam adduci possent, nisi cum Augustino præmissis res nobis esset, cujus expositiones dum ipsi Interpretes Papistæ non semper ita suscipiunt, ut in his adquiescant, Evangelicis etiam vitio verti non debet, si Eum quandoq; in suo patiantur abundare sensu, quem dum sibi porro ex mente Evangelicorum objicit Bellarminus, videamus, quid responsi dederit, & num Augustinus Papista sit, an Evangelista?

Dux adhuc sunt super objectiones, una generalior, altera verò specialior. Illa hunc in modum formata est: *Augustinus & alii Patres, cum Scripturas exponunt, non usurpant prioriam iudicandi potestatem, sed permittunt Explanaciones suas ab aliis iudicari.* Respondet Bellarminus: *Aliud est interpretari legem more Doctõris, aliud more Iudicis. Ad explanationem more Doctõris requiritur Eruditio, ad explicationem more Iudicis requiritur autoritas. Doctõr non proponit Sententiam suam ut necessario sequendam, sed solum quatenus ratio suadet; at Iudex proponit ut sequendam necessario. Aliter accipimus glossas Bartoli & Baldi, aliter declarationem Principis. Augustinus igitur & ceteri Patres in Commentariis fungebantur officio Doctõrum, at Concilia & Pontifices funguntur officio Iudicis à Deo sibi commissõ.* Ut quæ in thesi hic adferuntur, suum omnino habere possunt & debent locum, ita quæ in hypothesi de autoritate Pontificis & Conciliorum iudiciaria subjunguntur, quia res sine tabulis agitur & testibus, non immerito inter postulata adhuc ex debito probanda principiorumque petitiones numerantur eò usque, donec ad eorum uberius examen suo tempore devenietur. Claudat tandem posterior, quæ postrema etiam est, objectio, quæ ita habet: *Augustinus contendit, Ecclesiam se non debere Christo proponere, quod ille semper iudicet veraciter, Ecclesiastici autem Iudices, sicut homines, plerumq; fallantur.* Bellarminus respondet: *loqui Augustinum de quæstionibus non juris, sed facti, in quibus Ecclesiastici Iudices falli possunt; ac docere in eo loco, sapè Ecclesiasticos Iudices falli quod eos baptizent, qui fidei ad Sacramentum accedant animo, & tamen voluntate sincerâ videantur accedere.* Verum, quamvis in specie Augustinus sibi agat de Sacramento Baptismi, eo tamen medio utitur termino in distinctione Iudicis Divini & Ecclesiastici, qui etiam in quæstione Juris quam optime adplicari potest & debet, præmissis si alia attendamus Augustini pronuntiata ad hoc argumentum spectantia, quorum aliqua etiam Jus Canonicum liberali manu nobis suppeditat, quibus non nisi ad S. Scripturam, tanquam Juris Divini regulam Summiq; Iudicis vocem, ablegamur. Generale est Monitum Augustini Doctõris, quo *Ius Divinum nos in Scripturis habere* graviter pronuntiavit. Specialius est, quo in gravi contra Donatistas Controversiâ tantum ad S. Scripturas maximè contentione provocavit: *Non adferamus Stateras dolosas, ubi adpendamus, quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio nostro, dicentes, hoc grave, hoc leve est; sed adferamus Divinam Stateram de Scripturis Sanctis, tanquam de thesauris Domini, & in illâ, quid sit gravius, adpendamus, imò non adpendamus, sed à Domino adpensare cognoscamus.* Specialissimum est, quo contentos esse nos iussit hæc regulâ, scribens: *Nobis definiendum non est, quod Apostolus non definiit.* Quibus longè plura ex ipsis Augustini Scriptis in super addi possent, nisi per hæc à Gratiano in Canonem Ecclesiasticum relata & comprobata rem hanc satis confectam esse & omni modo perfectam constaret.

LIBRI QUARTI,
DE
VERBO DEI NON SCRIPTO,
CAPVT TERTIVM
DE

Statu Questionis vel Controversiæ.

num. 86.
& 118.

L. cit.

ANte cuius formationem de quidditate & quoruplicitate Traditionum agens Bellarminus, ex Augustino quod producat, non habet, præter duo ex Epistolis loca, de traditionibus Ecclesiasticis vel universalibus vel particularibus agentia, quæ dum nihil Evangelicis adversum in se continent, ut prolixè iis immoremur, necessum non est. Verum quippè agnoscimus, quod Augustinus in hanc rem scripsit: *In iis rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura Divina, mos populi DEI, vel Instituta Majorum pro lege tenenda sunt; de quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio &c.* Perque placet, quod idem Doctor Augustus salubriter monuit: *illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto Terrarum orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesiâ saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri; alia verò, quæ per loca terrarum, Regionesq. variantur, totum hoc genus rerum liberæ habet observationes, nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo agat modo, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcumq. fortè devenit. Quod enim neq. contra Fidem, neq. contra bonos mores injungitur, (aliàs, con vincitur) indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est.* Si hæc Monita apud eos locum haberent, qui tanto impetu in rebus Fidei & Morum ad Ecclesiæ traditiones provocant, Evangelicos non adeò sibi contrarios experiri cogerentur. At cum in omnia eatur alia, solaque Roma motu proprio orbi universo suas, quas pro ratione Statûs cudit, traditiones, vi etiam intentatâ obtrudere studet, hæc ratione regimen universale in totam Christi Ecclesiam impudenter sibi arrogans, vitio verù non debet Evangelicis, si in rebus etiam indifferentiibus Jugo huic intolerabili se subducant, partamque Christi merito libertatem omnibus defendant modis, Traditionibus Divinis solùm indubitanter & sine metu erroris adhærentes. In ipsa formatione Statûs ac ejusdem explicatione non pauca quidem moneri possent & fortè etiam deberent, nisi præter Instituti rationem esset, cum nullibi hic intercedat auctoritas Augustini, Bellarmino observante. In subjunctâ autem recensione mendaciorum, quæ Chemnitio mendaciter impingit, aliqua legitur Augustini mentio, quod nimirum attinet scribendi mandatum, videlicet, an Apostoli ex mandato DEI scripserint res ita habet, ut ipse Bellarminus recenseret. Scripsit Chemnitius in Examine Tridentino, Pontificos adserere, *Deum constituisse, ut doctrina Christi & Apostolorum non scriberetur in libris, sed vivâ tantum voce traderetur.* Addit Bellarminus, *statuere Chemnitium, Apostolos habuisse mandatum, ut scriberent. Vtrumq. est mendacium, inquit, & veritas est in medio.* Qualenam illud est medium? Nullus Catholicorum (Papistarum) docuit unquam, Deum constituisse, ut Novum Testamentum non scriberetur, sic enim Evangelista & Apostoli gravissimè peccassent scribendo; sed tantum dicimus, Novum Testamentum præcipuè scribi debere in corde, nec necessario exigere, ut scribatur in libris. Possent videri injuria à Chemnitio illata Romanensis Ecclesiæ Doctoribus, præmissis cum Bellarminus illud insuper addat, nullum proferrî posse Authorem, qui hoc dixerit. Sed contrarium adparebit, ubi sequentia observaverimus. Ita enim porro scribit Bellarminus: *Falsam quoque est, Deum mandasse Apostolis, ut scriberent. Legimus enim mandatum, ut prædicarent Evangelium; ut autem scriberent, nusquam legimus. Itaq. Deus nec mandavit expressè, ut scriberent, nec ut non scriberent.* Videt hic Lector, mendaciter Chemnitio duplex à Bellarmino impactum esse mendacium, Ipsumque id apertissimè fateri, quod nullum docuisse unquam ex numero Romanensium Scriptorum impudenter adleruit; nullumque hic observari medium, in quo Veritatem se promissè ostensurum.

Id

Id adeo est manifestum, ut in proximè sequentibus scribere contra se ipsum fuerit coactus: *Nec tamen negamus, quin DEO volente & inspirante Apostoli scripserint, quæ scripserunt.* Quamvis omnino frustra & planè nulla sit illa distinctio, quæ veritatem in medio exhibere voluit, immediatè subjungens: *Aliud est facere DEO suggerente & inspirante, aliud apertè Eo præcipiente.* Cujus distinctionis vanitas inde præsertim conspicitur, dum eà Augustini de mandato scribendi testimonium eludere conatus est, ita ex Bellarmini citatione scribentis: *Quidquid Christus de suis dictis & factis legere nos voluit, hoc scribendum illis tanquam suis manibus imperavit.* Addit Bellarminus pro explicatione horum verborum, & adplicatione distinctionis à seipso propositæ: *Loquitur de imperio interno, quo Christus invisibiliter ut caput membra sua movet ad varias actiones, quod imperium suggestio potius & inspiratio quadam, quam præceptum propriè dictum existimari debet.* Ut quid de distinctione hæc ac ejusdem adplicatione haberi debeat ex Augustini mente, ipse Doctor augustus dicat, cujus hæc de re integrum hoc L. cit. legitur Testimonium: *Cum Discipuli scripserunt, quæ ille, i. e. Christus, ostendit & dixit, nequaquàm est dicendum, quod Ipse non scripserit; quandoquidem membra Ejus id operata sunt, quod dictante cognoverunt capite.* *Quidquid enim ille de suis factis & dictis legere nos voluit, hoc scribendum illis tanquam manibus suis imperavit.* Dicat nunc Bellarminus, vel quicumque partes Ejus sustinere conabitur, annon, dum Ipse Christus in Apostolis & per Eos scripsisse dicitur ab Augustino, Apostoli mandato Christi scripsisse sint dicendi; & annon, quod membra corporis dictante operantur capite, ex mandato capitis operari debeant dici? Et certè, si Apostoli nullum accepissent scribendi mandatum propriè dictum à Christo, quod tamen in generali præcepto docendi non ita obscure significatum fuit; internum, quod Bellarminus concedit, imperium, ipsaq; suggestio interna & inspiratio, quam largitur, quid, nisi imperium propriè dictum, fuit, nisi Prophetas olim à Spiritu S. per internam Suggestionem & Inspirationem actos, non imperio propriè dicto sua edidisse in publicum Vaticinia dicere velimus, ut alias nunc eam præter circumstantias, quibus Bellarminianæ distinctionis vanitas uberius posset ostendi.

lib. I. de
Conf. Ev-
ang. c. ult.

CAPUT QUARTUM.

DE

Necessitate Traditionum.

Hanc probat Bellarminus primùm ex variis ætatibus Ecclesiæ, citato teste post Ge-
nesin Augustino, quem ab initio Mundi usque ad finem deducere Civitatem DEI
perhibet. *Quid inde? Illud in proximè sequentibus ostendit, scribens: At nulla fuit
Scriptura Divina ante Moysen, ut patet, tum quia omnium consensu Moses est primus Scriptor
sacer; tum quia in Genesi non fit mentio Doctrinae scriptæ, sed solum tradita. Igitur annis
bis mille conservata est religio solâ traditione, non est igitur Scriptura simpliciter necessaria.
Quomodo enim conservari potuit illa religio antiqua sine Scripturâ ad duo millia annorum,
ita potuit doctrina Christi conservari sine Scripturâ ad duo millia annorum.* Verùm ut
Augustini labor in deductione & ostensione Civitatis DEI ab initio Mundi usque ad
finem nullo planè modo nobis officit, quem potius magni, imò maximi æstimamus, ita
quæ Bellarminus exindè inconsequenter necit, facillimè possunt dissolvi, si diversitas
temporis & personarum, ipsarum quoq; Traditionum, quæ utrobique in consideratio-
nem veniunt, probè attendatur. Alia olim fuerunt tempora, ac jam sunt præsentia,
quibus nunc vivimus. Tum immediatè DEUS Patriarchis loquebatur, eisque suam
manifestabat voluntatem, juxta tuius tenorem ab hominibus agnosci voluit & coli.
Nunc postquam unigenitus DEI Filius ipse Doctorem se Mundo exhibuit, alia omninò
est Ecclesiæ facies, alius ad cognitionem DEI salvificam perveniendi modus. Videlicet,
sicut antehæc Ei visum fuit oretenus cum hominibus agere, ita dum nunc Scriptotenus
nobiscum agere Ei placet, non est, ut de alio solliciti simus modo. Quippe non agimus hic
de DEI potentia, & quid absolutè necessarium sit vel non; sed de sanctissimâ Ejus volun-
tate, quam Ipse nobis clarè in Verbo olim per os tradito, nunc per Scriptores Canonicos
exhibito revelavit, cui nos omninò decet acquiescere. Ea præter ipsas quod attinet tra-
ditiones, per quas olim Deus ante Moysen fidelibus suam revelavit Voluntatem, eæ non
fuerunt aliæ vel alius generis ab eâ doctrinâ, quam DEUS postmodum per Moysen
& alios Scriptores Canonicos omnibus voluit esse ob oculos positam; Potestque

E 3

huc

huc omninò adcommodari, quod de temporibus Apostolorum Eorundemq; docendi methodo proximus ab iis *Irenæus* egregiè in rem nostram monuit: *Non per alios dispositionem Salutis nostræ cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium per venit ad nos; quod quidem tunc præconaverunt, postea verò per DEI voluntatem in Scripturis tradiderunt nobis, fundamentum & columnam Fidei nostræ futuram.* De cætero, hypothesin, quam Bellarminus hic tanquam omni ex parte supponit indubiam, videlicet, *nullam Scripturam fuisse Divinam ante Moysen*, ipsum Bellarminum vidimus supra subruentem, circa finem capitis decimi ad primum de hâc Controversia librum, ubi *sine dubio credendum esse*, scripsit Bellarminus, *Henochum aliquid Divini scripsisse.* Boulduco ibi etiam pro autoritate Libri *Henochi* adscripti citato, quod hic uberiori discussione non indiget, nobis ad alia progredientibus, duce Bellarmino, qui ad ostendendam Traditionum necessitatem porro ita scribit: *A Mose usque ad Christum per alia duo Annorum millia extiterunt quidem Scriptura, et tamen sola Iudeorum erant; reliquæ autem gentes, in quibus etiam erat apud aliquos vera religio & Fides, solâ traditione non scriptâ utebantur.* Nam quod præter Iudaos alii multi ad Ecclesiam pertinerent, patet ex *Iob* & *Ejus amicis*, item ex *Augustino*, qui hoc constanter adserit, tribus locis à Bellarmino citatis, quibus tamen in medium producendis superfedere potuisset, cum id ab Evangelicis non vocetur in dubium, id autem ab Augustino non dicatur, quod Bellarminus sine tabulis iterum & testibus audacter scribit: *reliquos extra populum DEI gentes religiosos & fideles solis Traditionibus non scriptis usos fuisse*, contrario potius satis manifesto per ea, quæ Eruditi dudum ex *Iosephi* Scriptoris Judæi duobus contra Appionem libris, *Eusebii* Scriptoris Christiani Præparationibus Evangelicis, *Galatini* Scriptoris Papæi Arcanis, ut vocat, Catholicæ Veritatis, aliisque huc pertinentibus Scriptis diligenter collegerunt, hic non, ut potè prolixiora, cum fastidio Lectoris reproduenda: qui à Bellarmino ulterius jam ducitur, ex eo quoq; Traditionum necessitatem demonstrante, quod Symbolum, communi Sententia, Apostolicum non scripto, sed vivâ tantum voce fuerit traditum, docentibus id *Irenæo*, *Ruffino*, *Hieronymo*, *Ambrosio*, *Leone Magno*, *Maximo Taurinensi*, & inter eos in primis Augustino, quos tamen Testes si examinemus locis à Bellarmino citatis, id Eos non dixisse vel scripsisse, cujus rei causa tanquam Testes in medium fuere producti, manifestum erit. Cæteris omnibus omisiss, cum solo nunc Augustino nobis res est, cujus testimonium, ad quod Bellarminus digitum intendit, si evolvamus, nihil planè de orali traditione Symboli, prout hodiè extat & in communi legitur, ibi inveniemus. Agit ibi Doctor augustus de Baptismo Spadonis vel Eunuchi per Philippum peracto, deque Fidei Confessione ibi facta, in cujus formulâ per Lucam expressa nihil legitur de Spiritu Sancto, nihil de Sanctâ Ecclesiâ, nihil de remissione peccatorum, postremo de ipso Iesu Christo nihil, nisi quia DEI Filius est, non de Incarnatione, Ejus ex Virgine, de Passione, de Morte Crucis, de Sepultura, de tertiâ diei Resurrectione, de Ascensione ac sede ad dextram Patris. De hoc ita judicavit Augustinus: *Si Scriptura tacuit atq; intelligenda admisit cætera, quæ cum illo Spadone baptizando Philippus egit, atq; in eo quod ait, baptizavit eum Philippus, omnia intelligi voluit impleta, quæ licet taceantur in Scripturis gratiâ brevitas, tamen serie traditionis scimus implenda; pari modo etiam in eo, quod scriptum est, evangelizasse Philippum Spadoni Dominum, nullo modo dubitandum est, & illa in Catechismo dicta esse, quæ ad vitam moresque pertinent ejus, qui credit in Dominum IESVM.* Hæc Ille, ex quibus num Bellarminus demonstrare potuerit, Symbolum, ut hodie extat, Apostolicum non scripto, sed vivâ tantum voce traditum fuisse, ii judicent & censeant, qui facultate hâc præ aliis pollent. Cæterum, quæ Evangelicorum post accuratam circumstantiarum hic occurrentium ponderationem, de Symboli hujus Apostolici origine & autoritate sit Sententia, prolixè ab Aliis jam est traditum, ut ad specilegium vix quidquam superfit. In sequentibus, ubi Bellarminus ad probandam ulterius Traditionum necessitatem urget, *necessum esse, non solum scire, qui sint Libri Sacri vel Canonici, sed etiam in particulari istos, qui sunt in manibus, esse illos;* & dum ad illius demonstrationem ex Apostolorum & Ecclesiæ illius temporis fidelium spiritu discretivo argumentum ducitur, instantiæ loco proponit, *illos Librum Sapientiæ sacrum esse, id est, Canonicum judicasse, Augustino teste citato, Lector veritatis studiosus ad tertium & decimum Libri primi caput relegatur, ubi de hoc Augustini actum est Testimonio, cui itidem non incommodum erit, responsum ex præcedentis libri capite tertio repetere ad ea, quæ Bellarminus porro infert: Veteres uno ore testari, non aliunde nos habere, Scripturam esse Divinam, & qui Libri sint sacri, quam ex traditione non scriptâ,* post

lib. III. ad
vers. hæ-
ref. cap. 1.

conf. Soff.
de Num.
Histor.
cap. 47.
pag. 191.

vid. Dill-
herr.
Tom. II.
Disp. 9.
per tot.

de Fide &
oper. c. 9.

vid. D.
Dannh.
Christeid.
Act. I. pag.
396. seqq.

lib. I. de
Prædest.
cap. 14.

post Eusebium, Clementem Alexandrinum, Basilium, Augustino etiam pro teste in medium adducto, juxta Bellarmini allegationem scribente, *Evangelio se non crediturum, nisi Ecclesia id precipiat*, cum huic Testimonio ibi sit satis ex asse factum, hicque illud tantum ex superabundanti addatur, si quæ Augustinus de sua Conversione ad Fidem Catholicam in libris *Confessionum* pluribus cum circumstantiis ipse narrat, cum attentione debita legantur, alias longè causas inveniri, quibus ad credendum Evangelio Augustinus fuit monitus & commotus, quàm Ecclesiæ præceptum vel autoritatem, ullaq; in eâ de libris S. Scripturæ Canonicis traditiones non scriptas, quas Bellarminus opere tanto commendat.

contra Epist. Fund. cap. 5.

vid. D. Hülf. de Auxil. Grat. Disp. I. num. 5.

CAPVT QVINTVM & seqq.

DE

Veris Traditionibus.

Quas ut primùm ordine justo ex S. Literis demonstrat, inter alia ex eis testimonia Bellarminus etiam ad ea Pauli Verba provocat, quibus Theſſalonicenſes nuper ad Fidem converſos eſt hortatus, *ut teneant Traditiones, quas ſive per Sermonem, ſive per Epistolam acceperint*; ad cujus loci contra Chemnitii & Brentii exceptiones vindicationem in primis Auguſtini producit autoritatem, de Theſſalonicenſibus, ad quos ſcripſit Apoſtolus, obſervantis, *illos quidem ſciſſiſſe, quod Apoſtolus vivâ voce docuerat, nos autem id ſcire non poſſe, qui Apoſtolum non audiſſimus* indeque putat ſequi, *non omnia eſſe ſcripta, qua Apoſtolus dixit*. Atqui plus eſt in Concluſione Bellarmini, quàm in præmiſſis Auguſtini, qui id, quod Theſſalonicenſes ſcire, ſe autem & coætaneos tum neſcire putabat, de morâ & dilatione revelationis Antichriſtiane intellexit, aliter ſine dubio ſcripturus, ſi temporii hujus revelationis fuiſſet proximior, idque, quod Paulum certis de cauſis non ita clarè exiſtimavit expreſſiſſe, ipſo eventu vidiffet manifeſtum inq; publicâ luce poſitum, cui de cætero latior terminus revelationis Antichriſtiane non planè ignotus eſſe potuit, utpote ab ipſo Apoſtolo non ita obſcurè inſinuatus. Quod prætereâ concernit illum ſub Hieronymi nomine in Epistolâ Pauli Commentarium, ex quo contra Traditionum autoritatem proferri ſolet teſtimonium, de quo tamen Bellarminus ex Auguſtino monet, *non eſſe Hieronymi, ſed Pelagii illius hæretici, contra quem & ipſe Hieronymus & poſtmodum Auguſtinus etiam ſcripſit*; ægrius ferri non debet, cum Critici dudum obſervaverint Cenſores, eundem hunc Commentarium ſub Hieronymi nomine etiam ab aliis quibus Papæ ſcriptoribus ad luæ Fidei defenſionem, nominatim ab *Anglo-Rhemenſibus* pro Juſtificatione operum, à *Johanne Eckio* pro igne purgatorio, ab alio quodam pro Votis, ut dicuntur, Monasticis, fuiſſe citatos, quod hic prætermitti non debuit. Ad illud, quod ex eodem Auguſtino de Traditionibus Eccleſiæ univerſalis, tanquam Apoſtolicis, adeoq; omni exceptione majoribus in medium adducit Bellarminus, paulò ante ſub initium tertii capitis quarti hujus Libri facta eſt remiſſio, dataque ejus aliqua explicatio, quæ & hic ſuum habere debet locum, quamvis Bellarminus ea, quæ exindè pro liberâ Traditionum Eccleſiaſticarum obſervatione contra rigorem Papæum ex parte Evangelicorum ſolent concludi, non uno eludere & diluere conetur modo, fruſtra tamen & in vanum, cum ex ipſo Auguſtini verborum contextu adpareat, Eum non de Traditionibus Fidei, adque Articulos fundamentales cognituque ad Salutem neceſſarios pertinentibus hic agere, ſed de iis ſolùm, quæ obſervationes quasdam ceremoniales in publico DEI cultu, vel univerſales inque toto orbe Chriſtiano uſitatas, vel ſpeciales huic vel illi Eccleſiæ proprias reſpiciunt, de quibus tamen hic primariò non eſt Controverſia, utpote in quarum obſervatione, ſi de cæteris eſſet conſenſus, nullumque libertati Evangelicæ immineret periculum, non tantæ forſitan occurrerent difficultates. Sed non contentus hoc loco Bellarminus, quinque aliis ex Auguſtino teſtimoniis pro Traditionum Eccleſiaſticarum autoritate pugnat, quæ dum ſingula, uno tantum excepto, ex uno deſumta ſint ſcripto, ac unius ejusdemq; tenoris, ſufficiet, ſi præcipuum ex iis huc ponamus, quidque reſpondendum ſit, ex ipſo etiam Auguſtino, & Bellarmino quidem manu ductore, breviter ſignificemus. Ita autem Auguſtinus juxta citatum primo loco teſtimonium, contra Anabaptiſmum *Cypriani* & plerorumque in Africâ Episcoporum, ad morem Eccleſiæ Occidentalis, hæreticos & ab hæreticis baptizatos abſque Baptiſmi

II. Epist.

lib. 20. de C. D. c. 19.

vid. Robert. Coci Centur. p. m. 289.

lib. II. de
Bapt. c.
Donat.
cap. 7.

iteratione recipientis provocans: *Hanc Consuetudinem credo ex Apostolica traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in literis eorum, neq. in Conciliis posterorum; & tamen quia custodiuntur per universam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita & commendata creduntur.* Supra jam memini me ad similem & parallelum huic locum observasse, Augustinum non loqui de aliquo Fidei articulo & re credendâ, sed de Consuetudine, ut Ipse vocat, Ecclesiasticâ, de quâ in proximè antecedentibus verbis Donatistas monuit: *Nolite nobis auctoritatem objicere Cypriani ad Baptismi repetitionem, sed tenete nobiscum Cypriani exemplum ad unitatis conservationem.* Nondum enim erat diligenter illa Baptismi Quæstio pertractata, sed tamen saluberrimam consuetudinem tenebat Ecclesia, videlicet Occidentalis, in ipsis quoq. Schismaticis & hæreticis corrigere quod prævum est, non iterare quod datum est; sanare quod vulneratum est, non curare quod sanum est. Nimirum variæ Cypriani & post Augustini tempore circa hæreticorum baptismationem vel rebaptizationem occurrebant circumstantiæ, quas Apostolorum temporibus occurrisse non legimus, imò ipsa Quæstio de eâ tum non venit in Controversiam. De cætero ipsam Baptismi unitatem, id est, vel ipsos hæreticos, vel ab hæreticis baptizatos non iteratò baptizandos esse, agnovit Augustinus non ex traditionibus non scriptis, sed ex documentis Evangelicis. Hinc ubi rem hanc ex professo tractare adgressus est, de metho

lib. I. ibid.
cap. 7.

tractandi sequentia præmonuit: *Ne videar humanis id agere argumentis, quoniam Quæstionis hujus obscuritas prioribus Ecclesia temporibus, ante schisma Donati, magnos Viros & magnâ Charitate præditos Patres-Episcopos ita inter se compulsi Pace salvâ disceptare, arg. fluctuare, ut diu Conciliorum in suis quibuscumq. regionibus diversa nutaverint Statuta, donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrimè sentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur; ex Evangelio certa profero documenta, quibus Domino adjuvante demonstro, quam rectè placuerit, & verè secundum DEUM, ut hoc in quoquam Schismatico vel hæretico Ecclesiastica curaret Medicina, in quo vulnere separabatur, istud autem, quod sanum maneret, agnitum potius adprobaretur, quam improbatum vulneraretur.* Satis perpicua sunt hæc Augustini Verba, eoque magis, si ea ponderentur ex Evangelio Documenta, quibus suam firmare studuit contra Donatistas Sententiam, sepositis Traditionibus non scriptis, quibus non attentis in hac Controversiâ alibi etiam ad Stateram & Auctoritatem Divinam, id est, Domini in Evangelio Sententiam, aliq. Scripturarum Documenta provocavit, locis ab ipso Bellarmino citatis, inter alia quidem faciens mentionem traditionis Apostolicæ, sed ejus, quæ in Scriptis Apostoli Epistolis extaret, contra quæ quidquid Bellarminus excipere conatus est, ex adductis facile refelli potest, in modò præmonita diligenter attendantur, ac Controversiæ status semper ante oculos vertetur. De plenario, cujus itidem meminit Augustinus, Concilio, quale illud fuerit, & quodnam debeat intelligi, infra agetur, ubi Bellarminum loco commodiori suam videbimus exponere sententiam, Examini debito subjiciendam. Jam satis est, Augustinum, etsi hujus Controversiæ decisionem à plenario totius orbis Concilio, omnibus remotis dubitationibus, post nutantia & sibi invicem contraria Synodorum Provincialium Decreta, sciverit confirmatam, àque Orientalibus etiam Ecclesiis receptam, non tamen eâ tanquam argumento quodam humano contra Donatistas hæreticos niti & pugnare in præsens voluisse, sed ad Evangelica refugium sumsisse Documenta, utpotè auctoritatis multò majoris, & in quibus certior esset spes Victoriæ, ea etiam non uno in loco refellens argumenta, quæ ipsi Donatistæ, Cypriani auctoritate & methodo abutentes, ex Sacris utriusque Testamenti Literis ad suam opinionem firmandam adduxerunt. Malè de cætero facit Bellarminus, dum ad ultimum ex Augustino contra Traditiones pro S. Literarum auctoritate testimonium, quo Apostolica Traditio scripta exhibetur, responderet: *Augustinum ibi non suam probare ex Scripturis sententiam, sed referre, quâ contrariam adversarij è Scripturâ probare conati fuerint; cum ex inspectione aliud longè sit comperit, Augustino de Cypriani methodo hæc observante: Quod nos admonet, ut ad fontem recurramus, id est, ad Apostolicam Traditionem, & inde canalem in nostra dirigamus tempora, optimum est & sine dubitatione faciendum.* Traditum ergò nobis est, sicut Ipse commemorat, ab Apostolis, quod sit unus DEUS, & unus Christus, & una spes, & una Fides, & una Ecclesia, & unum Baptisma. Malè etiam, dum in recensione aliorum quatuor pro Traditionum auctoritate testimoniorum de eodem Cypriano cenfet, malè Eum in defensione opinionis suæ à Traditione ad Scripturam provocasse, ut ut antea eas agnovit, addens, Eum hunc errorem de hæreticorum anabaptismo ante Mortem correxisse, Augustino id adfirmante, qui tamen expressè loco per Bellarminum citato id nullibi adfirmat, sed non improbabilibus

bilibus tantum nititur conjecturis, scribens: *Non incongruenter de tali viro existimandum est, quod correxerit, & fortasse suppressum sit ab eis, qui errore hoc nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt; quanquam non desint, qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendunt, sed sub Ejus nomine a presumtoribus atq. mendacibus fuisse confictum.* Et post aliqua: *Nos tamen duas ob res non negamus, illud sensisse Cyprianum, quod & stylus Ejus habet propriam quandam faciem, quâ possit agnosci, & quod ibi magis contra vos, Donatistas, nostra causa in victor monstratur, vestra separationis presumptio (videlicet, ne macularemini peccatis alienis) totâ facilitate subvertitur, cum adparet in literis Cypriani, communicata esse cum peccatoribus Sacramenta, cum admissi sunt in Ecclesiam, qui secundum vestram, & sicut vultis illius sententiam, Baptismum non habebant, & tamen Ecclesiam non periisse, sed in sui generis dignitate per totum orbem sparsa Dominica mansisse frumenta.* Et iterum: *Cyprianus aut non sensit omnino, quod Eum sensisse recitatis; aut hoc postea correxit in regulâ Veritatis, aut hunc quasi nevum candidissimi pectoris sui cooperuit ubere charitatis, dum unitatem Ecclesia toto orbe crescentis & copiosissimè defendit, & perseverantissimè tenuit vinculum Pacis.* Quæ omnia nihil certò adfirmant, quasi Augustinus existimaverit, Cyprianum correxisse errorem suum ante mortem, cum dubitanter, & ut plurimum juxta modernorum Moralistarum loquendi & scribendi formulam, probabiliter eâ de re judicârit Augustinus, nullâ autoritate indubiâ nixus. Malè præterea ibidem Bellarminus, dum Donatistas malè etiam in eo fecisse putat, quod Scripturas semper urgebant, Augustino eis è contrario Traditiones & Ecclesiæ consuetudinem objiciente; cum si iterum, ad citatum à Bellarmino locum deveniamus, omnia inveniamus alia, & adlegationi Bellarminianæ in totum contraria, quod ut ostendatur, ipse iterum Augustinus se præsentem sistat, qui hunc in modum ibi: *Quapropter cum dicatur hæreticis, Injustia vobis deest, quam sine Charitate ac Vinculo Pacis habere nullus potest, cumque & ipsi fateantur, multos Baptismum habere & Injustitiam non habere, & si non fateantur, eos convincat Scriptura Divina, miror, quomodo putent, cum eos non suum habentes, sed Christi Baptismum, iterum nolumus baptizare, ita nos agere, ac si eis jam nihil deesse judicemus, & quia Baptismus eis in Catholicâ non datur, quem habere inveniuntur, nihil se illic accipere arbitrantur, ubi hoc accipiunt, sine quo illud, quod habent, eis ad perniciem valeat, non ad salutem. Quod si nolunt intelligere, sufficit nobis, quod eam tenemus Ecclesiam, quæ manifestissimis Sanctarum & Canonicarum Scripturarum testimoniis demonstratur.* Et ibidem post plura: *Ecce Ecclesia tot manifestissimis Sanctarum Scripturarum testimoniis commendata & expressa, prædicta & demonstrata! Et iterum: Doce, Scripturas Canonicas aperte dixisse, baptizandum esse in Ecclesiâ Catholicâ, qui apud hæreticos in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti fuerit baptizatus. Quod si hoc docere non potes, illud doce, huic communioni tuæ, id est, parti Donati, ubi hoc didicisti, apertum aliquod & manifestum à Scripturis Canonicis perhiberi testimonium, & fatebor, ad te esse transeundum, nec aliter suscipiendos esse hæreticos, quam sicut suscipit Ecclesia, in quâ es, quia tali testimonio declarata est.* Alia & plura ibidem his non dissimilia lubens transeo, cum ex his satis constet superque, Bellarminum aut planè non, aut nimis oscitanter & alienis forsitan oculis, vel aliis etiam cogitationibus distractum hæc Augustini Verba legisse, aut malitiosissimè, quod credere tamen difficilius est, rem hanc non planè nullius momenti tractasse, Augustino nunquam ibi ad Traditiones, semper autem ad Scripturam Divinam, manifestissimâq. Ejusdem testimonia provocante. Malè porro idem Bellarminus Arianos in eo tanquam hæreticos accusat, quod nihil quidquam præter Scripturam admiserint, præter Hilarium Augustino iterum in testimonium citato, ut potè apud quem hæc Maximini, Disputatoris Ariani, legantur Verba: *Si quid de Divinis*

de Unit.
Ecclef.
cap. 19.

lib. I. contra
Maxi-
mini. a
princ.

lib. I. de
Conf. Ev-
ang. c. 7.

rima docuisse, nihil tamen scriptisse, Augustino teste confirmat; quod testimonium innocuum esse Evangelicis, inde præprimis patet, quod ab Augustino non eum in finem fuerit prolatum, quod breviter ostendendum est. Scripsit Augustinus loco per Bellarminum citato contra eos, qui Evangelistarum Scripta idè recipere detrectabant, quia ipse Christus de se & Doctrinâ à se prædicatâ nihil planè literis mandaverit, quos per sequentem instantiam ad meliorem ducere mentem est conatus: *Cum querunt, quare ipse non scripserit, videntur parati fuisse, hoc de illo credere, quod ipse de se scripserit, non quod alii de illo pro arbitrio suo prædicassent: à quibus quero, cur de quibusdam nobilissimis Philosophis suis hoc crediderunt, quod de illis eorum discipuli memoria reliquerunt, cum ipsi de se nihil scripserint. Nam Pythagoras, quo in illâ Virtute contemplativa nihil tunc habuit Græcia clarius, non tantum de se, sed nec de ullâ re aliquid scripserit perhibetur. Socrates autem, quem rursus in actiâ, qua mores informantur, omnibus prætulit, ita ut testimonio quoque DEI sui Apollinis omnium Sapientissimum pronuntiatum esse non taceant, Æsopi fabulas pauculis versibus est prosecutus, verba & numeros suos adhibens rebus alterius, usq; adè nihil scribere voluit, ut hoc se coactum imperio Demonis sui fecisse dixerit, sicut nobilissimus Discipulorum ejus Plato commemorat.* Colligat jam Bellarminus aut alius quis loco ejus, & concludat ex hoc Augustini testimonio pro Traditionibus in Ecclesiâ non scriptis, & abfurditatis summæ crimen non effugiet.

CAPUT NONUM & seqq.

DE

Regulis ad Verarum Traditionum Cognitionem.

Epist. 118.

NON unius-modi & generis eæ sunt, quas Bellarminus in medium profert, nec de omnibus agendum nobis est ex Instituti ratione, sed iis tantum, quæ Augustini auctoritate nituntur, & paucissimis quidem, cum pleraque hic observanda supra jam habuerint locum. Ita cum ad regulam secundam citat Augustinum, scribentem, *insolentissime esse insanis, existimare, non rectè fieri, quod ab universâ fiat Ecclesiâ*, non semel hæc tunc monitum est, & quidem paulò ante ad tertium libri hujus quarti caput, Augustinum in eo Evangelicis planè non contrarium esse, insuperque longâ demonstratione opus esse, ut ostendatur, illas Traditiones, quas Curia Romanensis sub Elogio Verbi non scripti modis omnibus orbi Catholico fatagit obrudere, unquam ab universâ observatas fuisse Ecclesiâ, Apostolicæque origini adscribendas esse. Id quamdiu non præstat, quodve ut doceatur omnino est impossibile, iterum non ægrius ferri debet, si Evangelici ab hoc Traditionum non Apostolicarum jugo immunes se præservare student, in possessione libertatis per Christi meritum acquisitæ immoti persistentes. Quod in specie ex Augustino de parvulorum Baptismo *ex consuetudine Matris Ecclesiæ, & traditione Apostolicâ* urget Bellarminus, suo docebitur loco, ubi in Sede propriâ de hæc Quæstione agetur, hanc consuetudinem Ecclesiæ expresso Christi mandato inque literas relato non caruisse, ac traditionem Apostolicam non oralem modò, sed & pennalem, ut ita dicam, vel scribam, fuisse. De Baptismo hæreticorum, quia in proximè antecedentibus ostentum est, Augustinum contra eum non præcipuè ex Apostolica traditione non scriptâ, sed ex Evangelicis Documentis in Scripturam relatis disputasse, hic quod addatur nihil superest, præprimis cum idem argumentum in sequentibus non semel recurrat, ejusdemque mentio sit faciendâ. Ad tertiam pro agnoscendis Traditionibus veris regulam ut deveniamus, eam Bellarminus ex Augustino hunc in modum proponit: *Id quod in Ecclesiâ universâ & omnibus retrò temporibus servatum est, merito ab Apostolis creditur institutum, etiamsi illud tale sit, ut potuerit ab Ecclesiâ institui.* Hanc regulam etsi suo modo intellectam admittere non ita difficulter possimus, hoc tamen moneri debet, eam his & totidem verbis, eodemq; per omnia sensu apud Augustinum loco per Bellarminum citato non legi, sed omittis posterioribus verbis hanc ibi sententiam extare: *Quod universâ tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissime creditur.* Quod Augustini Doctoris testimonium regulare si, prout jacet, Evangelici admittant, quod supra monitum est, non video, quid auctoritati Scripturæ Traditionibus quoad Fidei articulos oppositæ noceat, quin potius grande onus imponit Doctoribus Papæis, ut de jactatis à se Traditionibus faciant manifestum id, quod ad agnoscendas Traditiones Apostolicas quam-maximè ab Augustino requiritur. Exemplum de *Jejunio Quadragesimali*, quod tanquam Traditionem Apostolicam

lib. 4. con-
tra Donat.
cap. 14.

cam àque univèrsâ Ecclesiâ receptam Bellarminus ad hujus regulæ demonstrationem producit, inferius loco & sede propriâ sustinebit Examen, ubi inprimis Augustini de eo sententia uberius explicabitur.

Restant nunc Solutiones objectionum, & primò quidem earum, quæ ex Scripturis contra objectam Traditionum non scriptarum in rebus Fidei auctoritatem solent adhiberi, in primâ serie earum occurrente gravissimo Pauli oraculo, ex auctoritate Apostolicâ sequentem in modum scribentis: *Licet nos, aut Angelus de Cælo evangelizet vobis* Galat. 1. præter, quàm quod evangelizavimus vobis, anathema sit. Addit Bellarminus, Chemnitium notare, non esse dictum contra, sed præter; & ne dicatur, loqui Paulum de Verbo tam scripto, quàm non scripto vel ore tenus tradito, adducere Augustinum hæc Pauli verba sic exponentem: *Si quis sive de Christo, sive de ejus Ecclesiâ, sive de quâcumq; aliâ re, qua pertinet ad Fidem Vitamq; nostram, non dicam, si nos, sed quod Paulus adjecit, si Angelus de Cælo vobis annuntiaverit præter quàm quod in Scripturis Legalibus & Evangelicis accepistis, anathema sit, & similia habere Basilium, Doctorem æquæ auctoritatis maximæ.* Quid adhæc Bellarminus? Augustinum & Basilium non exponere ex professo hunc locum, sed probare ex eodem, non licere quidquam adserere Scripturis contrarium. Atqui expressè non contra, sed præter post Paulum Augustinus scripsit, quod hæctenus satis clarum est. Instat quidem Bellarminus, per illud præter Apostolum intelligere contra, & proinde non prohibere nova Dogmata & Præcepta, modo non sint contraria jam traditis; sed prohibere Præcepta & Dogmata contraria & aliena. Patere id existimat inter alia ex Patrum Expositionibus, nominatim Augustini, qui exponat contra, citatis duobus locis, quæ omninò sunt inspicienda, ut vel Veritas vel falsitas pateat citationis. Prior ita habet: *Habemus Apostoli vocem, qui in Spiritu Sancto fidelibus dicebat: Si quis vobis evangelizaverit præter, quàm quod accepistis, anathema sit.* Alter verò hunc in modum: *Admonitio Beatissimi Apostoli de vestris cordibus non recedat: Si quis vobis evangelizaverit præter, quàm quod accepistis, anathema sit. Non ait plus, quàm accepistis, sed præter, quàm quod accepistis. Nam si aliud diceret, sibi ipsi præjudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, ut suppleret, quæ illorum Fidei defuerunt. Sed qui supplet, quod minus erat, addit; non, quod inerat, tollit. Qui autem prætergerit regulam Fidei, non accedit in viâ, sed recedit de viâ.* Tertium quoq; Augustini locum intermiscet Bellarminus huic Tractationi, qui in gratiam Traditionum ita legitur: *Quamvis certum de Scripturis non proferatur exemplum, tamen eorum Rundem Scripturarum à nobis tenetur veritas, cum id facimus, quod univèrsæ placet Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas.* Ut ad singula aliquid loco responsi dicatur, in genere ad instantiam Bellarmini præmonendum est, dici quidem, per Apostolicum præter intelligi debere contra, sed, ut de aliis jam demonstrationibus ut potè huc non pertinentibus nihil dicam, ex citatis Augustini testimoniis id minime probari; quamvis, si Augustinus illud præter per contra explicasset, Bellarminus tamen nondum obtineret, voculam hanc præter non in suo etiam peculiari sensu ex Apostoli instituto simul intelligi posse & debere, cum particula hæc generalior sit, nosq; Evangelici non negemus, sæpè eam quoq; specialiorem admittere sensum. Et quia ad Linguae, in quâ Paulus scripsit, genium omninò respiciendum est, per placet, quod ex Chrysostomo, quem Theophylactus & Oecumenius pressò sequuntur pede, Cornelius à Lapide ad hoc Apostoli oraculum notavit: *Dices, cur Apostolus non dicit contrarium, sed præterquam? Respondet Chrysostomus, ut ostendat, anathema esse eum, qui vel indirectè minimum Evangelii dogma labefactat, quia judaizantes, contra quos hic agit propriè, præter Evangelium introducebant Iudaismum, Iudaica sacra & Sacramenta, quæ tamen hoc ipso erant contra Evangelium & novam Christi legem.* Eadem per omnia mens est Augustini in adductis ex Eo testimoniis, in quorum nullo particula præter expressè per contra explicatur. Sit autem ita, quod Bellarminus ad Augustini testimonium à Chemnitio citatum excipit, *Eum ibi non ex professo hunc exponere locum;* Satis est, adplicationem scopo Apostoli non esse contrariam, quin potius optimè ad Instituti rationem quadrare. Cætera duo loca, ad quæ Bellarminus provocat, contra Bellarminum tam expressè voculam, præter retinuerunt, ut mirum sit, Eum non erubuisse, talia pro se in medium adducere, tam manifestè sibi contraria. Tertium, quem huic interposuit Tractationi, de anabaptismo hæreticorum agere, hucq; impertinenter trahi, supra jam aliquoties ex occasione dictum est. Manet, Apostolum, & Ejus exemplo Augustinum, Traditiones non scriptas præter Verbum DEI mandato scriptum fidelium cœtui obrutulas anathemati subjecisse, eoque ipso ab hoc onere gravissimo Evangelicos liberasse.

Succe-

cap. 20.

Tract. 49.
in Joh.lib. 1. de
Conf. Ev.
ang. c. ult.

Succedit jam series secunda Scripturæ contra Traditiones testimoniorum, in quâ primum occupat locum Evangelistæ Johannis de scopo Scriptionis historica vel narrationis actorum Christi locus, ita eam obfignantis: *Multa quidem & alia fecit Iesus signa, quæ non sunt scripta in hoc libro; hæc autem scripta sunt, ut credatis, quod Iesus est Filius DEI, & ut credentes vitam habeatis in nomine Ejus.* Addit Bellarminus, confirmare Chemnitium hujus oraculi contra Traditiones sensum duobus Augustini testimoniis, quorum prius tale est: *Sanctus Evangelista testatur, multa Dominum Christum & dixisse & fecisse, quæ scripta non sunt; electa sunt autem, quæ scriberentur, quæ Saluti credentium sufficere videbantur.* Alterum verò: *Quidquid Christus de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum Apostolis tanquam suis manibus imperavit.* Utrumque jam supra etiam legitur, quæ tamen hic reponenda fuerunt, ut videatur, num Bellarminus aliquid ea inter melius excogitaverit, quod jactatæ Traditionum authoritati posset inservire. Quod ipsum attinet Johannis oraculum, in ejus vindicatione prolixus non ero, cum id jam non agatur; videndum modò est, an Augustinus rem acu tetigerit, sensum Evangelistæ adsecutus, & an Chemnitius ritè testimonia hæc Traditionibus objecerit. Et quia præter Augustinum ad Cyrilli quoq; consensum Chemnitius in hujus Oraculi adductione provocavit, hinc Bellarminus utriq; conatur respondere, nimirum, *illos Patres de solis Christi dictis & factis loqui, ac propterea dicere eos voluisse, scripta esse sufficienter non omnia absolute, sed omnia dicta & facta Christi; præter quæ dicta & facta adhuc multa alia sint necessaria, alioquin omnes historiæ & documenta Veteris Testamenti, & ipsa Apostolorum acta, & Epistole Pauli, Petri, Iohannis, Jacobi & Iuda supervacanea essent. Adde, quod sine dubio Patres illi ex dictis & factis Christi non intelligunt esse scripta sufficienter omnia absolute necessaria, sed esse scripta sufficienter ea, quæ Apostoli scribenda esse putaverunt.* Cum enim quedam essent scribenda, quedam sine scripto tradenda, ac præcipuè Interpretatio atq; intelligentia Scripturarum; in libris Sacris continentur sufficienter omnia, quæ scriptis erant mandanda, sive ut Augustinus loquitur, quæ Christus legi voluit, alia enim non legi in Divinis literis, sed ab Ecclesiâ accipi voluit, quæ tamen suo etiam modo in Evangelio continentur, non quidem in particulari, sed in universali, quia Evangelium monet, ut de rebus dubiis Ecclesiâ consulamus. Hæc ibi satis prolixè, & adhuc plura, pro more hæctenus observato mala bonis miscens, & iis, quæ utrobique sunt extra dubium, talia, de quibus dici solet, quod sint postulata & principiorum petitiones, & hinc suis opus habent demonstrationibus. In hunc venit census, quod audacter scribit: *Christum aliqua in Divinis literis legi, aliqua verò ab Ecclesiâ accipi voluisse, in specie, Interpretationem atq; intelligentiam Scripturarum.* Quamvis enim Ecclesiâ & in tradendis & in explicandis Scripturis Ministerium non derogent Evangelici, aliquas tamen Ei commissas esse à Christo traditiones non scriptas ad Fidem necessarias, ab expressis in Bibliorum Codice diversas, hæctenus demonstratione caret. Alia autem ratio est eorum, quæ extra Johannis Evangelium in utroque Testamento extant Scripta. Posset quidem ex illo tantum homo Christianus sufficienter ad Salutem instrui, etiam si nihil amplius Scriptorum extaret. Quia verò visum est DEO S. Scripturæ Authori, Scriptis pluribus parallelis fidem æternæ Beatitudinis Candidatorum fulcire, grati id omninò acceptamus, præprimis cum Scripta V. T. Evangelium Johannis antecedentia in Ipso per crebras Vaticiniorum adlegationes accipiant confirmationem, sequentia autem non nisi uberiores exhibeant eorum, quæ à Christo dicta sunt & facta, illustrationem, jucundissimaque ubivis adpareat harmonia, qualis in collatione Traditionum non Scriptarum quammaximè desideratur. Egregium præterea hoc Johannis oraculum sui Evangelii obfignativum ex mente Augustini præbet pro S. Scripturæ omnimodâ perfectione contra Traditiones non scriptas testimonium. Si enim ea, non quæ Apostoli putaverunt, ut Bellarminus perperam scribit, sed quæ juxta Augustini stylum *Christus de suis dictis & factis nos legere voluit, & scribenda Apostolis tanquam suis manibus imperavit,* ita sunt sufficientia, ut credentes, quod Iesus est Filius Dei, vitam habeant in nomine Ejus; quantò magis erit sufficiens totus Bibliorum Codex, cujus pars est Evangelium Johannis, in eum videlicet finem scriptus, ut quæ Johannes in Evangelio habet de Christi factis & dictis, in gratiam verè fidelium utriusq; Testamenti uberius illustrarentur & confirmarentur. De cætero insigniter Augustini Sententiam circa hoc Evangelistæ oraculum exprimunt, quæ *Jacobus Faber Stapulensis* ad illud contra Traditiones non scriptas observavit, scribens: *Signa, quæ dicta sunt, fecit Iesus in conspectu Discipulorum suorum, insuper & multa alia, quæ non sunt in hoc Evangelio, id est, in iis hujus Evangelii, quæ præcesserunt, aut iniis*
qua

qua sequuntur, quorum nonnulla ab aliis etiam Evangelistis memoria sunt prodita. Hac autem, qua scripta sunt, neque propter Apostolos, neque propter eos, qui tunc erant & Apostolos audiebant, isti enim ex auditu vocis credebant, id est, preparabantur ad credendum, id perficiente in auditu interno Spiritu sancto; sed propter posteros & nos ipsos, ut credamus, ut sicut illi per vocem sic & nos per Scripturam prepareremur, ut Spiritus Sanctus in nobis secreta internarum operatione perficiat fidem. Digna etiam sunt notatu, quae ad posteriorem Johannis Evangelistae clausulam Jansenius Gandavensis scripsit: Johannes tali suum conclusit Evangelium sententia, qua non sui tantum Evangelii, sed & omnium aliorum trium, post quos scripsit, conveniens & aptus est finis. Et iterum post aliqua: Scripsit post alios tres Evangelistas Johannes, & ea ferè scripsit, quae alii praetermiserunt. Quare ne vel quis existimaret, eum omnia supplevisse, vel quis post ipsum tentaret reliqua omnia supplere, oportune hanc subiecit concludendo sententiam. Scripsit autem ea maxime ex multis Evangelistis, quae ad religionem ac fidem & Mores utiliora erant magis, necessaria, quibus qui non credit, neque pluribus fidem habiturus esset, qui verò credit, alia non sunt necessaria: quae ultima Verba tam clarè necessitatem Traditionum non Scripturarum excludunt, ut non potuerint clarius vel expressius.

Has ut porrò tueatur Bellarminus, omnesque solvat objectiones, quae contra earum auctoritatem ab Evangelicis solent profertur, à Testimoniis Scripturae ad Examen Patrum progreditur, in quo ante, quàm ad loca Augustini contra Traditiones citari solita perveniat, circa Cypriani Sententiam pro viribus annihilandam Augustini utitur auctoritate. Provocaverat S. Martyr in haereticorum anabaptismo, quem cum non paucis Africae Episcopis argumentis solutu non ita facilibus necessarium statuerat, contra quorumvis objectiones defendendo ad Dominicam & Evangelicam auctoritatem, adque Apostolorum ^{Epist. ad Pomp.} mandata & Epistolas, immotè ac constanter in eo persistens, ea esse faciendae, qua scripta sunt. Bellarminus hanc Cypriani provocationem tali effugio eludere se posse existimavit, si dicat, Cyprianum haec scripsisse, cum errorem suum tueri vellet; & ideo non mirum, si more errantium tunc ratiocinaretur. Quare Augustinum merito hanc Epistolam ^{lib. V. contra Donat. cap. 23.} refellere. De methodo disputandi, quae usus est Cyprianus, ut aliquid hic moneam, opus non est. Id saltem moneo, Augustinum loco per Bellarminum citato non agere contra hanc Cypriani methodum disputandi, sed contra Ejus Sententiam, & quidem ita, ut non tam ad traditiones Ecclesiasticas, quàm & potius quidem ad ipsam S. Scripturam recurrat, expressè scribens, ^{NB,} contra mandatum Dei esse, quod venientes ab haereticis, si jam illic Baptismum Christi acceperunt, baptizantur, quia Scripturarum sacrarum testimoniis non solum ostenditur, sed planè ostenditur, multos Pseudo Christianos, quamvis non habeant eandem cum sanctis charitatem, sine qua nihil profunt, quaecunque sancta habere potuerint, Baptismum tamen communem habere cum sanctis. Sed hæc de re sepius ante jam, & in posterum non semel. Ad ipsa accedamus Augustini testimonia, quae contra Traditionum auctoritatem Evangelici urgere solent, & ad quae Bellarminus respondere est conatus. Adscribamus ea eo ordine, quo Bellarminus exhibet, cum subiecta Ejus responsione & brevi Examine. Et si enim pleaque vel jam leguntur in antecedentibus, vel in subsequenteribus iteratò recurrent, ne tamen quid subterfugere videamur, quod ad rem facit, omninò & hic aliquem desiderant locum. Primum hoc est: In his, quae aperte posita sunt in Scripturis, illa ^{lib. II. de Doctr. christ. cap. 9.} inveniuntur omnia, quae continent fidem moresque vivendi. Secundum: Si quis sive de Christo, sive de ejus Ecclesia, sive de quacunque alia re, qua pertinet ad vitam ^{lib. III. contra lit. Peil. c. 6.} fidem nostram, non dicam, si nos, sed quod Paulus adjecit, si Angelus de Cælo vobis annuntiaverit præter, quàm quod in Scripturis Legalibus & Evangelicis accepistis, anathema sit. Tertium non excerpit Bellarminus, aliqua tamen loca citavit, è quorum numero primus hæc Verba exhibet satis clara: Civitas Dei credit Scripturis Sa- ^{lib. 19. de C. D. cap. 18.} cris & veteribus & novis, quas adpellamus Canonicas, undè Fides ipsa est concepta, ex qua Iustus vivit, per quam sine dubitatione ambulamus, quamdiu peregrinamur à Domino. Alia huic parallela brevitatibus causam omittimus, citatione per Bellarminum facta contenti. Quartum sequitur: Quid amplius te doceam, quàm id, quod apud Apostolum legimus; Sancta enim Scriptura nostra Doctrina regulam figit, ne audeamus sapere ^{de Bono Viduit. cap. 1.} plus, quàm oportet. Non sit ergo aliud mihi te docere, nisi verba tibi Doctoris exponere. Quintum est: Nec Ego Nicænum, nec tu debes Ariminense, tanquam præjudicaturus, ^{lib. III. contra Maxim. cap. 14.} proferre Concilium, nec Ego hujus, nec tu illius auctoritate detineris. Scripturarum auctoritatibus, non quorumcumque propriis, sed communibus utrisque, res cum re ^{causa}

lib. II. de
peccat.
merit. &
remiss.
cap. 36.
de catech.
rudibus,
cap. 3. & 6.

causa cum causâ, ratio cum ratione concertet. Adduntur itidem loca duo parallela ibidem legenda. Sextum succedit: *Vbi de re obscurissimâ disputatur, non adjuvantibus Divinarum Scripturarum certis clarisq; Documentis, cobibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in alteram partem declinando.* Septimum tandem & ultimum est, quo Augustinum docere refert Bellarminus, proponendam Catechumenis brevem Summam *Doctrinam ex Scripturis, quam cum illi credere se dicant & observare velle promittant, baptizandi sint.* Et si autem satis manifesta videri possint hæc Augustini contra Traditiones non scriptas testimonia, omnibus tamen modis ea conatus est obfuscare Bellarminus, ad quavis aliquid reponens, non ejus tamen roboris, ut Veritas Scripturæ, tanquam perfectissima Fidei & Controversiarum regulæ, aliquod inde pati cogatur detrimentum.

Ad primum dicit, *loqui Augustinum de illis Dogmatibus, que omnibus necessaria sunt simpliciter, qualia sunt, que habentur in Symbolo Apostolorum & in Decalogo.* Hanc responsum Bellarmini si admittant Evangelici, ut sine præjudicio possunt admittere, non video, quid inde pro Traditionum necessitate subsumi possit aut concludi. Quin neq; Augustinus nobis est contrarius, verbis ex eo per Bellarminum loco citatis, unde Testimonium contra traditiones ordine sextum modò habuimus, ubi augustus Doctor ita: *Credo, quod etiam hinc Divinorum Eloquentium clarissima auctoritas esset, si homo illud sine dispendio promissa salutis ignorare non posset,* agens, ut ex inspectione patet, de Animæ hominis origine & peccati originalis propagatione. Aliàs cum Bellarminus addit, *præter ea, nimirum, quæ necessaria sunt omnibus simpliciter, multa esse alia, quæ solâ habeantur traditione,* provocans iterùm ad Augustini auctoritatem, si de Ceremoniis & consuetudinibus Ecclesiasticis velit intellectum, Evangelicos sibi & Augustino planè non habet contrarios. Ad secundum reponit, Augustinianum vel potius Apostolicum *præterquam significare contraquam, idque à se supra ex Augustino esse demonstratum, Sed Augustino vim fieri, loco eodem est ostensum.* Ad tertium dicit, *nihil prorsus in eo & parallelis esse contra Traditiones, solum id ibi dicere Augustinum, ex Scripturis Dogmata esse probanda, quando habentur Scripturæ testimonia, & credendum esse Scripturæ, nihilque dicendum contra Scripturas, quæ & similia sint verissima; sed frustra adferri contra traditiones, vel pro Scripturæ sufficientiâ, cum nullo verbo tale aliquid Augustinus indicaverit.* Verùm præterquam quod hæc conditionalis Augustino adstringatur, *Dogmata ex Scripturis esse probanda, quando habeantur Scripturæ testimonia,* cum absolute & sine ullâ restrictione loquatur augustus Doctor; non frustra adducitur hoc Augustini testimonium & ei similia ad probandam Scripturæ contra traditiones non scriptas sufficientiam, & auctoritatem normativam, cum hujus expressam, illarum verò nullam planè fecerit mentionem, ipso hoc silentio eas ab hujus officii statu removens & damnans. Ad quartum monet, *loqui Augustinum non de omni Dogmate, sed solum de professione Viduitatis, quod quale bonum sit, satis exposuerit Apostolus, & ideo dicere Augustinum, satis esse sibi, si exponat Apostoli verba; quod autem generaliter Augustinus ponat, Scripturam nostræ Doctrinæ Regulam figere, ne audeamus sapere plus, quam oportet, contra illos esse dictum, qui ex proprio judicio novas doctrinas fingunt, quæ Scripturis consonæ non sunt.* Prius responsi hujus membrum facile concedimus ac ultrò largimur. Quia verò, ut Bellarminus fateri necessum habuit, generalem immiscuit Augustinus regulam de officio S. Scripturæ normativo, non inique ferendum est, si Evangelici eam in hæc Controversiâ provocent. Quoad posterius membrum itidem non difficiles sumus, quin potius quam maximè urgemus, monitum hoc Augustini observandum esse contra eos omnes, qui ex proprio sive solo, sive per alios adprobato indicio novas & Scripturis non consonas, eoque ipso dissonas fingunt doctrinas. Ad quintum sequentia notat: *Augustinum ibi quidem videri aliquid dicere contra Concilia, sed non contra Traditiones; sed nec contra eorum auctoritatem aliquid dicere.* Certum enim esse, Augustinum non voluisse removeri Concilia ab his disputationibus & solas recipi Scripturas, quòd non crederet, maximam esse legitimorum Conciliorum auctoritatem, sed duplici de causâ, primò, ut expediriis ageret. Si enim voluisset ex Concilio argumentum sumere, debuisset prius probare, Concilia esse recipienda, quòd minus longum erat, & hanc rationem præcipuè locum habuisse contra Arianos, qui Concilium Nicanum nullo admittebant modo. Secundò, quia in illis Questionibus, quæ tunc erant, extabant clarissima in Scripturis testimonia, quæ sine dubio anteponebunda sint omnibus Conciliorum testimoniis, & hanc rationem præcipuè locum habere contra Donatistas in Questione de Ecclesia, alioquin eundem Augustinum sæpè Concilia & Traditiones urgere, imò etiam responsa Pontificum & Impe-

1. Cor. 7.

Imperatorum. Multa adhuc dici possent & fortè deberent, nisi pleraque eò essent reservanda, ubi de Conciliorum autoritate ex eodem Augustini testimonio uberius & ex professo tractandi locus erit. Nunc paucis tantùm & brevissimè videamus, quid Bellarmini responsum vel veri vel falsi habeat. Illud est indubiũ, quod Augustinus contra autoritatem Conciliorum, imprimis Nicæni, scripsit, simul etiam contra autoritatem Traditionum valere, utpotè quæ ut plurimum decretis Conciliorum nituntur. Causa duplex, quæ à Bellarmino adlegatur, cur Augustinus ab his disputationibus removerit Conciliorum & sic quoq; Traditionum non scriptarum autoritatem, pro nobis, non contra nos est. Si enim expeditius agere contra adversarium potuit Augustinus ex solâ Scripturâ remotis Conciliorum decretis, cur non hæc expeditior disputandi methodus Evangelicis quoq; sit libera, præprimis cum circa Conciliorum autoritatem hodiernum, non de nobis Evangelicis dicam, inter ipsos Conciliorum laudatores non una sit nec ita facilis controversia, necdum quidquam certi inter ipsos constat, aliis pro Concilii solius sine Papâ, secundis pro Papæ solius sine Concilio, tertiis pro utriusque conjunctim autoritate stantibus, quod infra pluribus in Sede propriâ indicabitur. Ea præter, si in illis Quæstionibus, in quarum ventilatione clarissima adhiberi possunt Scripturarum testimonia, eaque sine dubio omnibus Conciliorum testimoniis anteponenda sunt, Augustinus licitè ea contra suos usurpavit adversarios; non video, quâ ratione idem hodiè Evangelicis prohibitum esse debeat, in talium Controversiarum tractatione occupatis, quæ tam facilè aperitissimis etiam è sacro Codice oraculis dirimi possunt, quam facilè antehac Augustinus Donatistas repressit, qui augustus Doctor si aliàs hinc inde ad Conciliorum Decreta & Traditiones Ecclesiasticas, quin & ad Pontificum & Imperatorum responsa in hæc vel illâ Quæstione legitur provocasse, non id ab Eo est factum, quasi ex proprio disputaret principio, sed ad hominem & ex principio adversarii, ut eum eò fortius stringeret, vel in rebus non credenda sed facienda, id est, consuetudines Ecclesiasticas hic & ibi observandas respicientibus, quod utrumque non tangit præsentis Controversiæ statum, adeòque impertinenter à Bellarmino productum est. Ad sextum respondet, loqui Augustinum de Quæstionibus obscurissimis, qualem esse putabat Ipse de Animarum origine, ad quas definiendas non suppetant ulla firma testimonia, sed solum aliqua ex Divinis literis conjectura. At nihil hoc pertinere ad Traditiones, quæ totius Ecclesiæ & omni Veterum consensu firmentur, quod argumentum Augustinus passim docet esse gravissimum, alicubi dicens, Scripturæ veritatem à nobis teneri, quando facimus, quod univèrsa placet Ecclesiæ, etiamsi nihil de eâ scriptum legamus. Ipsam de Animarum origine Quæstionem quod attinet, cujus paulò ante ex alio Augustini loco facta est mentio, infra dabitur de eâ ex Augustini Sententiâ aliquid dicendi locus. Nunc illud contra Bellarminum urgeo: Si in iis Quæstionibus obscurissimis, ad quarum definitionem non suppetunt firma ex Divinis literis testimonia, sed aliqua solum conjecturæ, ut Bellarminus scribit, ex sententiâ Augustini cohibere se debet humana præsumptio, nihil faciens in alteram partem declinando; an non multò magis id observandum erit in iis Quæstionibus, ad quarum definitionem clarissima extant Scripturarum testimonia, quæ sine dubio anteponenda esse omnibus Conciliorum Decretis, & hanc disputandi rationem tempore Augustini præcipuè locum habuisse contra Donatistas, Bellarminum proximè agnoscentem vidimus. Augustini testimonium, quod Bellarminus ad confirmandam Traditionum autoritatem iteratò profert, rem suam nihil juvare, sub initium præscripti capitis jam dictum, ac remissio ad superius dicta non semel facta est. Ad septimum & ultimum tandem observat, Sufficere quidem ex Augustini sententiâ, habere brevem Doctrinæ Fidei ex Scripturis summam, ut quis possit baptizari, non autem sufficere Ecclesiæ DEI absolutè, alioquin possemus etiam concludere, sufficere Ecclesiæ Symbolum Apostolorum, & reliqua omnia esse superflua. Verùm ut id concedamus, nondum sequitur tamen, Ecclesiæ opus habere Traditionibus non scriptis, cum præter Symbolum Apostolorum plura adhuc sint in S. Literarum Codice, quæ corpori Ecclesiastico ad firmandam Fidem & mores juxta DEI Voluntatem formandos intervire possunt & debent, ut ad Traditionum non scriptarum necessitatem planè recurrendum non sit.

Unum nunc adhuc restat vindicandum Augustini contra Traditiones testimonium vel argumentum, quod Bellarminus ultimo capite inter Evangelicorum pro S. Literarum perfectione rationes exhibet, quo citatis duobus locis Doctor augustus docet, Literas Divinas esse scriptas, ut habeamus regulam & normam Fidei & morum. Respon-

det Bellarminus dupliciter, cujus tamen responsi pars solum altera Augustinum attinet, idèd; hic reponenda. Dicit, *Scripturam, etsi non sit facta præcipuè, ut sit regula Fidei, esse tamen Fidei regulam, at non totalem, sed partialem; & hoc modo intelligi debere Augustini verba, cum nusquam dicat, Scripturam solam esse regulam, ad quam examinari debeant Scripta Patrum, ut ea recipiamus, quæ Scripturæ consona sunt, illa rejiciamus, quæ Scripturæ adversantur.* Atqui dicere, Scripturam non esse factam præcipuè, ut sit regula Fidei, est contra expressissima ipsius S. Scripturæ testimonia, ac in primis contra illud, quod ex clausula Evangelii Johannis paulò ante Augustini testimoniis vindicatum est, cujus alia accedunt similia pro autoritate regulari Scripturæ testimonia, ea præsertim, quæ ipse Bellarminus iterum suppeditat, quorum prius numero supra tertio exhibetur, posterius verò ita legitur: *Distincta est à posteriorum libris Excellentia autoritatis Canonice Testamenti Veteris & Novi, quæ Apostolorum confirmata temporibus, per Successiones Episcoporum & propagationes Ecclesiarum, tanquam in sede quâdam sublimiter constituta est, cui seruiat omnis pius & fidelis intellectus.* Pertinent huc ea etiam Augustini testimonia, quæ supra ad caput libri antecedentis ultimum circa finem ex Jure Canonico sunt producta, quibus plura ejusdem Sententiæ possunt subungi, illud in specie, quo Augustus hic Doctor

lib. II. contra Faust. cap. 5.

lib. II. contra Crecon. cap. 31.

Vid. D. Calov. Metaph. Div. Tomi I. pag. 661. num. 79.

gravissimè monuit: *Non sine causa tam saluber vigilantia (aliàs, salubri vigilantia) canonice Ecclesiastica est constituta, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum Libri pertineant, quos omninò judicare non audeamus, & secundum quos de cæteris vel fidelium vel infidelium Libris liberè judicemus.* Etsi autem Bellarminus tandem concedere cogatur, *Scripturam esse Fidei regulam*, absurdè tamen limitat & distinguit *inter regulam totalem & partialem*, hoc, non illud, Scripturæ attribuens, contra quod Paradoxon Philosophico-Theologicum aliàs & alibi prolixius agitur. Longè absurdius verò Bellarminus agit, dum Augustinum pro hujus ineptissima distinctionis probabilitate testem citare audeat, idèd, quia nullibi solum esse regulam dicat Scripturam, ad quam examinari debeant Scripta Patrum, cum tamen exclusivè hæc particula expressè legatur in eo Augustini testimonio, quod ex Epistolâ Ejus ad Hieronymum *Gratianus* mox sub initium Juris Canonici eum ipsum in finem legi voluit, majoribus exscribendum literis. Ita enim ibi augustissimus Doctor: *Ego solis eis Scriptorum, (aliàs, Scriptorum libris) qui jam Canonici adpellantur, hunc didici honorem timore meo, deferre, ut nullum eorum (authorem) scribendo errasse audeam credere, ac si aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium Veritati, nihil aliud, quam vel mendosum esse Codicem, vel Interpretem non adsecutum esse, quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam; alios autem lego, ut quantumlibet Sanctitate Doctrinæ, polleant, non idèd verum putem, quia ipsi ita sentiunt, sed quia mihi per alios (rectius, illius) authores, vel Canonicas (aliàs, authores Canonicos) vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Quod Augustini testimonium si solum, nullumq; aliud ex tot Ejus Scriptis pro solitudine regulari S. Scripturæ superesset, omninò ad ejus demonstrationem sufficeret. Ego jam hæc nihil, nisi illud unum adhuc Coronidis loco & pro clausulâ hujus de Verbo DEI, ut vocatur, non scripto Traditionis addo, quod supra legi debuit, ubi Bellarminum vidimus objicientem, plerosque olim hæreticos à Traditionibus non scriptis ad Scripturam pro suis erroribus vindicandis provocasse, cum Augustinus justissimæ retorsionis jus nobis in manus dedit scribens: *Omnes insipientissimi hæretici, qui se Christianos vocari volunt, audacias figmentorum suorum, quas maximè humanus exhorret sensus, occasione Evangelicæ Sententiæ conantur colorare, ubi Dominus ad Apostolos ait; Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò; quasi hæc ipsa sint, quæ tunc Discipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus Sanctus, quæ palam docere atq; prædicare, quantumlibet feratur audacia, Spiritus erubescit immundus.*

Tract. 97. in Johan. Joh. 16.



Controversiæ Secundæ,
DE CHRISTO,
 LIBRI TERTII,
 DE
INCARNATIONE,
 CAPUT OCTAVUM,
 DE
Unione Hypostaticâ.

Rætermittuntur non immeritò libri duo præcedentes de Christo, ut potè de iis Quæstionibus agentes, quarum causâ Bellarmino nihil cum Evangelicis fuit negotii, sed cum Arianis, Eorumq; sectatoribus tam antiquis quam recentioribus, in quorum refutatione etsi fortè hic & ibi aliquid posset notari, quod ad mentem Augustini non est, tamen ne nodum in scirpo quælivisse videar, aut quidquam in hæreticorum ab Ecclesiâ damnatorum gratiam scripsisse, manum à labore hoc abstraheo, quamvis id silentio transiri non possit aut debeat, Bellarminum quidem pro Mysterio Trinitatis, & in specie pro adferendâ Christi & Spiritus S. Divinitate, Illius etiam æternâ Generatione, Hujus autem Processione æternâ contra utriusque adversarios & hostes quasi juratos fortiter disputasse; at D. *Dorscheum*, Argentinensem Theologum de Ecclesiâ Christi & toto orbe Evangelico meritissimum, diversis Tractatibus dudum ostendisse, Scriptores Scholasticos, quin & Bellarminum quoq; non semel, Mysterio huic variis hypothësis, Antiquitati orthodoxæ, & in primis Augustino contrariis partim, partim ignotis non parum iniquos esse, quin & pleraque S. Scripturæ fundamenta, quæ Bellarminus ad probandam Christi Divinitatem ex utroq; Testamento collegit, Glossis impertinentibus contra sensum Ecclesiæ verè Catholicæ, Interpretumq; orthodoxorum, & in primis iterum Augustini mentem labefactasse; ostensurum methode eadem malam eorum fidem circa S. Scripturæ pro Divinitate Spiritus S. testimonia, nisi aliæ intervenissent occupationes ac labores publici, hanc interruptentes telam, nescio, an à quoquam tam feliciter pertexendam. Addo ex recentiori schola Morali, esse non paucos, qui expressè statuant & defendant, *Fidem explicitam de Mysterio SS. Trinitatis & incarnationis Dominicæ non esse medium ad Salutem necessarium*, quam Sententiam *Gvimenius* Laymanno & pluribus opusc. aliis adscribit, testaturq; *Caramuel* in Theologiâ Fundamentali *Romæ* in multis correctâ, pag. 32. eodem Anno, quo Romæ fuit, in thesibus Theologorum Societatis hæc inter alia legi, *Fidem de Dn. Christo & Mysterio Trinitatis explicitam, quamvis ex Divinâ Institutione* pag. 380. *semper fuerit in Ecclesiâ, à minoribus (indoctioribus) sufficienter posse credi in fide majorum* Edit. Lugdun. (doctiorum,) & hanc Sententiam ipse *Caramuel* etiam ex professo ibi, & alibi in Theologiâ *Intentionali* contra aliorum objectionis & exceptiones acerrimè defendit, quod pag. 381. num Augustini de hoc Mysterio Sententiæ consentiat, videant ii, quibus Augustini auctoritas est in æstimo. Is certè quindecim pro hujus Mysterii sensu orthodoxo libris non tantum laborasset, nisi ejus cognitionem omninò necessariam fidelibus in Ecclesiâ agnovisset. Ut plura in hanc rem testimonia jam non adducam, in primis hic legi meretur, quod inter alia ad quendam Medicum, nomine Maximum, ad Ecclesiam noviter conversum, Alipii & suo nomine scripsit: *Charitatem tuam in Domini pace salutantes, Epist. 65. & præcipimus & rogamus, ut eos (alios nondum conversos) quod didicisti, docere non differas, unum scilicet Deum esse solum, cui servitus debetur, quæ Latria Græco nuncupatur vocabulo: Et post aliqua: Procul dubio Dominus Deus noster, cui soli per Latriam serviri debemus, non est Pater solus, nec Filius solus, nec solus Spiritus Sanctus, sed ipsa Trinitas, unus Deus solus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, non ut Pater sit ipse qui Filius, vel Spiritus*

Sanctus ipse sit aut Pater aut Filius, cum sit in illa Trinitate Pater Filii solius, & Filius Patris solius, Spiritus autem Sanctus & Patris & Filii sit Spiritus; sed propter unam eandemque naturam atque inseparabilem vitam ipsa Trinitas, quantum ab homine potest, Fide præcedente, intelligitur unus Dominus Deus noster. Quibus si accedant ea, quæ ad Evodium scriptis, nescio, quid in hac re queat desiderari. Ita autem Doctor augustissimus: *In unum Deum Patrem, & Filium & Spiritum sanctum firmâ pietate credamus, ita ut nec Filius credatur esse, qui Pater est; nec Pater, qui Filius est; nec Pater, nec Filius, qui utriusque Spiritus est. Nihil putetur in hac Trinitate temporibus locisve distare, sed hæc tria æqualia esse, & coeterna, & omnino esse una natura, non à Patre aliam, & à Filio aliam, & à Spiritu Sancto conditam esse aliam creaturam; sed omnia & singula, quæ creata sunt vel creantur, Trinitate creatante subsistere.* De Mysterio Incarnationis Dominicæ non implicite, sed explicitè cognitu necessario paria ex Augustino adduci possent testimonia, nisi res videretur minus necessaria, ac per se cuicumque in S. literis & Augustini Scriptis mediocriter versato satis cognita.

Missis igitur omnibus, quæ vel in se sunt manifestissima, vel ad Scholasticas subtilitates non cuiusvis Lectori acceptas propius accedunt, quarum discussio Augustini Seculo ut plurimum fuit insolita, earumque ventilatio hodiernum inter ipsos Doctores Papæos valde est ambigua, ad ea nunc faciamus accessum, quæ inter Evangelicos & Papistas sunt controversa, & Augustini autoritate vel confirmantur vel confutantur. Quem verò ad modum Bellarminus statim sub initium libri hujus tertii capite primo, agens de erroribus temporis hujus circa Incarnationem Dominicam, in genere omnes ferè Lutheranos in eorum retulit censuram, tanquam ea docentes, ex quibus sequatur, eos esse vel Eutycheianos, vel Nestorianos, vel Monstrum ex utraq; hæresi natum, cujus erroris author esse videatur Jacobus Faber Stapulensis, quod utrumque suam requireret correctionem, si id jam primariò ageretur; Ita ubi post refutatam & Eutycheis & Nestorii hæresin, (quod in labore iterum aliqua indigerent Examine, & quidam satis rigoroso) ad ipsam explanationem Unionis hypostaticæ duarum in Christo naturarum præscripto capite octavo venit, subsistendum est paulisper idè, quia Augustini intercedit autoritas omnino vindicanda. Soliti sunt hætenus Evangelici Doctores in describendâ hac unione, ad qualem qualem ejus illustrationem & meliorem pro simplicibus intellectum, adhibere quædam ex naturalibus similia, & inter alia Unionem animæ & corporis humani, idque exemplo & ad imitationem Ecclesiæ Veteris & orthodoxorum in eâ Doctorum, in specie Augustini, cujus Verba ex loco per Bellarminum citato ad præsens Institutum pertinentia hæc sunt: *Sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit; ita in unitate*

Persona Deus unitur homini, ut Christus sit. Quid ad hæc Bellarminus? *Exemplum hoc valde deficit.* Non dicam, eum & in Sententiæ Augustini exhibitione, & in ejus ad præsentem Controversiam adplicatione à statu Quæstionis & instituto augusti Doctoris aberrare; solum id monebo, neque Augustinum, neque Ejus exemplo Evangelicos hoc simile de Animæ & corporis unione, sicut & cætera, eum in finem adhibere, quasi Mysterium hujus admirandæ Unionis exhauriat, sed utcumque rem explicet, sicut ipse Bellarminus fateri debuit, qui ab hac Augustini castigatione, sicut & aliorum Ecclesiæ Doctorum, omnino abstinere debuisset, nisi & hoc exemplum doceret, reverentiam Patrum apud Doctores Papæos non tantam esse, quantam communiter præ se videntur ferre, cujus rei in posterum plura occurrent documenta, imò in sequentibus statim exhibetur specimen, ubi tertium simile adducit, quod ad hujus Mysterii explanationem Ecclesiæ Doctores scribit adhibere, Augustinum in specie hanc Propositionem, *Deus est mortuus, illi similem statuere, quæ Philosophus dicitur mortuus, quam tamen, etsi Scotus quoque adprober, deficere scribit Bellarminus, me pro censura nihil aliud addente, quam quod in citatâ Augustini Epistolâ satis proluxa hoc simile à me non fuerit inventum & lectum, quamvis si ibidem extaret, quod forsitan me oculatiores videbunt, suam Explanationem orthodoxæ Fidei analogam non adeò difficulter posset obtinere, & multò facilius, quam illud simile, quod Bellarminus remotis omnibus cæteris, etiam quæ Thomas, ejusque coætaneus Bonaventura, (in quo Adamum non peccasse, Præceptor Halensis judicavit, ac Papa Sixtus numero & ordine quartus in Canonizatione Ejus affirmavit, eum ea de rebus Divinis scripsisse, ut Spiritus Sanctus in eo locutus videatur,) in medium adduxerunt, ducibus Bernhardo & Damasceno, quam maximè accomodum existimat, comparans Mysterium Incarnationis cum Mysterio SS. Trinitatis, ut nimirum ex unâ re singulari illustraret aliam æque singularem, quod ita explicat: *Ut enim singulare est,**

quod

vid. Andr.
de Mendo
in Stat.
p. 403.

quod sint in DEO tres perfectæ hypostases cum unâ solâ & simplicissimâ naturâ; Ita singulare est, quod sint in Christo tres nature, DEITAS, anima & caro, cum unâ hypostasi simplicissimâ, pro triade naturarum in Christo, ad depellendam novitatem hujus phraseologie suspectam, Augustini auctoritatem citans, hoc modo & numero naturas in Christo exhibentis. Non ero jam de eo sollicitus, annon aliquâ ratione unio personarum in Mysterio Trinitatis comparari possit cum unione Naturarum in personâ Christi, vel versâ vice hæc cum illâ, & quænam de eâ *Bernhardi & Damasceni* sit Sententia; illud jam hic disquirendum est, num Augustinus Doctor Ecclesiæ tam augustus author sit triadis Naturarum in Christo, id quod Bellarminus Ei tam audacter, sed simul & impudenter sine omni rubore adscripsit, orthodoxum hunc Patrem orbi Ecclesiastico non parum eo ipso faciens de novitate phraseos ab Analogiâ Fidei apertissimè discedentis suspectum, de quo nullus non testabitur, quicumque Augustini verba, ad quæ Bellarminus respicere videtur, penitus & debitâ cum attentione consideraverit, quæ loco per Bellarminum citato hæc leguntur: *Sic Deo conjungi potuit humana Natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona, ac per hoc jam ex tribus, scilicet DEO, Animâ & carne.* Quæ Augustini verba etiam aliquam singularem & inusitatam in Ecclesiâ circa hoc sublime Fidei Mysterium exhibeant loquendi formam, nullam tamen inferunt naturarum in Christi personâ triadem, quam Bellarminus defendendam suscepit. Hinc Sententiarum Magister *Lombardus*, ubi præter alia hæc etiam Augustini Verba citavit, addens, *his aliisq; Autoritatibus se munire, qui dicunt, personam Christi compositam esse vel factam, sive constantem ex duabus Naturis, sive ex tribus Substantiis;* post intelligentiam hujus & similibus Propositionum executus, nunquam trium Naturarum, sed duarum tantum mentionem fecit, scribens: *Variatur intelligentia, cum dicitur, Deus est homo, & homo est DEUS; dicitur enim DEUS esse persona subsistens in duabus & ex duabus naturis, & persona subsistens in duabus & ex duabus naturis dicitur esse DEUS, id est, Verbum vel Natura Divina, potest enim prædicari Persona simplex vel Natura de persona composita.* Indè etiam post plures Scholasticos Auctores, in specie *Svarezius* & *Vasquezium*, de hac loquendi formâ amplissime agentes, noviter de *Lugo*, Cardinalis hanc expressè formavit Conclusionem: *Verbum non solum adsumpsisse Materiam & Formam, seu verum corpus & Animam rationalem, sed has partes unitas, addens, esse hanc Conclusionem contra Sententiam eorum, qui dicunt, Verbum adsumpsisse illas partes, non tamen unitas, de quâ Svarezius dicat, esse hæresin contra id, quod definitum sit in Synodis Ephesinâ & Chalcedonensi aliisque, scilicet, Verbum adsumpsisse carnem animatam Animâ rationali, & carnem animatam esse carnem Animæ unitam, quin & Thomam dicere, oppositum esse hæreticum;* præterea displicuisse hunc loquendi modum de tribus in Christi personâ Naturis *Damasceno*, ad quem tamen Bellarminus provocavit, ut & *Paulino*, Aquilejensi Episcopo, statuentibus, *non dici debere, Christum constare ex tribus Substantiis, sed ex duabus, quarum una, scilicet Humanitas, constet etiam ex duabus, nimirum Animâ & corpore, alioquin si numerandæ essent partes remotæ, posset dici, Christum constare ex sex Substantiis, scilicet divinitate, Animâ & quatuor Elementis, ex quibus constat corpus.* Et quia Concilii cujusdam *Tolerani* meminit, in quo hæc Phrasîs & loquendi modus occurrit, desumptus, ut Ipse existimat, ex Patribus, nominatim Augustino & aliis; ideò addit observationem *Vasquezii*, Patres *Toleranos*, & ante eos Augustinum cum quibusdam aliis, cautè hic dixisse: *esse in Christo duas Naturas & tres Substantias, quia Substantia latius patere videatur quam Natura, & ideò unam humanam Naturam non dici constare ex duabus Naturis, sed ex duabus Substantiis, ut ut ipse non adprobat hoc discrimen, hoc tandem pro ultimâ hujus Quæstionis resolutione de suo addens, negandum non esse, esse magis frequentem & usitatam loquutionem, quâ Christus dicitur constans ex duabus Substantiis seu Naturis, atq; ad eò magis retinendam &c.*

lib. 13. de Trin. cap. 17.

lib. III. distinct. 6. & 7.

de Incarn. Disp. 13. pag. 212.

conf. D. Dorich, ad Concil. Francof. pag. 122.

CAPVT NONVM & DECIMVM,

DE

Communicatione Idiomatum.

AGnoscit quidem Bellarminus & rectè, ex Unione hypostaticâ sequi Communicationem Idiomatum, negat autem, & id malè, hanc Idiomatum communicationem esse realem respectu ipsarum Naturarum, quasi ipsa Divinitas facta sit passibilis, & Humanitas realiter facta sit omnipotens, secundum Lutheranos, quamvis contra Calvinistas *Theodorum Bezam* & *Petrum Martyrem* addat: *nec planè verbalem esse, sed realem esse quidem,*

F 4

verum

lib. I. de
Trin.
cap. 13.

conf.
Barth. ad
Claud. de
statu Ani-
mæ. p. 282
seqq.

Serm. 191
de Temp.

verum respectu hypostaseos utriusque Naturæ, non autem respectu ipsarum Naturarum, provocans iterum præter aliorum Patrum in specie ad Augustini auctoritatem, cujus Verba ex loco per Bellarminum citato hæc sunt: *Nisi ipse idem esset filius hominis propter formam Servi, quam accepit, qui est Filius DEI propter formam DEI, in quâ est, non diceret Apostolus de hujus Seculi Principibus, si cognovissent, Dominum Gloriæ nunquam crucifixissent; ex forma enim Servi crucifixus est, & tamen Dominus Gloriæ crucifixus est, talis enim erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum. Quid tamen propter quid, & quid secundum quid dicatur, adjuvante Domino prudens & diligens & pius Lector intelligit. Nam, ecce, diximus, quia secundum id, quod Deus est, glorificat suos, secundum hoc utique, quod Dominus Gloriæ est, & tamen Dominus Gloriæ crucifixus est, quia rectè dicitur & Deus crucifixus, non ex Virtute Divinitatis, sed ex infirmitate carnis; sicut dicimus, quia secundum id, quod Deus est, judicat, hoc est, ex potestate Divinâ, non humanâ, & tamen ipse homo judicaturus est, sicut Dominus Gloriæ crucifixus est. Hæc Verba Bellarminus studio & datâ quasi operâ omisit, solâ loci citatione contentus, quia prævidit, ea non pro se, sed contra se militare, si ritè & ad Augustini mentem intelligantur. De cætero, quamvis abstractivæ locutiones, ubi subjectum una ex duabus Naturis exhibetur in abstracto, orthodoxis in Antiquitate Ecclesiasticâ Doctoribus, non adeò sint inusitata, nominatim Augustino, si modò author est illarum de Trinitate Quæstionum, quæ tanquam operis de hoc Mysterio compendium Tomo operum tertio exhibentur, inter quas hæc etiam Quæstio paulò ante finem proponitur: *Verum Divinitas cum Carne concepta & nata & passa est, & cætera, quæ Humanitatis propria esse noscuntur?* Et responsio subjungitur: *Vtq; Divinitas suæ Carnis conceptione concepta est, & nativitate nata, sensuq; humani adfectus participatione mortem, quam spontè susceperat, non Natura sua potentiam perdens, per quam cuncta vivificat, & ipse Author, qui spontè natus est, spontè est passus; & idem opus, quia utrumq; unus, licet non alio cogente, solus tamen ipse perpetitur, salvâ Divinitatis impassibilitate.* Neque legimus, Augustinum, vel quicumque harum ex Augustino Quæstionum collector fuit, à quoquam orthodoxorum ob hanc locutionem abstractivam in suspicionem alicujus heterodoxias esse pertractum, id quod de aliis etiam Scriptoribus Ecclesiasticis eadem phrasi innocenter suo tempore utentibus certum est; vix tamen Bellarminus aut aliquis hyperaspistes Ejus ostendere poterit, ullum ex Evangelicis Doctoribus in hæc Controversiâ occupatis hæc phrasi ita nudè & crudè fuisse usum, sicut Bellarminus eis in genere adscribit, ut jure eis ob id ipsum Eutychanismus possit imputari, sicut Ille è contrario Nestorianismus vix effugere poterit, aut ejus foetum, Allæosin Zwinglianam omninò declinare, dum quidem videri vult verbalem *Bezæ & Martyris* Communicationem tanquam insufficientem, repudiare, sed realem non aliter admittit, nisi solo hypostaseos utriusque Naturæ, non autem ipsarum Naturarum respectu, quam subtiliores Zwingliani hodiè non solum libenter admittunt, sed & ipse olim Nestorius dubio sine amplexu fuisse. Sed non satis habuit Bellarminus solâ citatione Augustinum opponere Evangelicis, verum plus ultra sibi duxit eundem. Inde sequenti capite, ubi Quæstionem hanc latius tractat, prolixo satis Augustini testimonio Evangelicos ob realem Idiomatum Communicationem non obscure Eutychanismi reos orbi Christiano stitit, verbis sequentibus: *Illorum execramur blasphemiam, qui novo sensu adserere conantur, à tempore carnis accepta omnia, quæ erant Divinitatis, in hominem demigrasse, & rursus, quæ Humanitatis erant, in Deum esse transfusa, ut quod nulla unquam heresis ausa est dicere, vincatur (aliàs videatur) hæc confusione utraq; exinanita esse Substantia, & deitatis scilicet & Humanitatis, & omisso statu proprio in aliud esse mutata.* Ipsum Sermonem, ex quo testimonium hoc est desumptum, quod attinet, ostendit Eruditissimus hodiè Sorbonista, *Laurojus*, in peculiari Dissertatione, de authore vero Professionis Fidei, quæ Pelagio &c. tribui debet, ante Annos non ita multos iteratò editâ, hanc Fidei Professionem, quæ in citato Sermone exhibetur, & in quâ laudatum legitur testimonium, quasdam tangere hæreses, quarum Augustinus nullam in libro de hæresibus faciat mentionem, cum tamen credibile non sit, Eum in hæc Fidei Professione hæreses damnavisse, quas in libro de hæresibus præterisset; præterea Authorem Professionis certam quandam Joviniani hæresin omninò secus accipere, ac Augustinus in citato de hæresibus libro retulerit, quin & Augustinum aliter ibidem representare hæresin Apollinaristarum, quàm in hæc Fidei Professione repræsentetur. Porro, quod in Sermone citato tribuitur Augustino, ab antiquorum Patrum, ut & ipsius Augustini usu*

ulu penitus abhorretere. Nullum esse et anti illorum multitudine, qui cum ad populum diceret Christianum, peracto Exordio statim adgressus sit Apostolicum, Nicenum vel Constantinopolitanum Symbolum, quod continuo nec ullis distinctum Commentariolis recitaverit, eoque recitato finem dicendi fecerit, quem ad modum hoc in sermone representatur. Aliter le Augustinum gessisse, cum de catechizandis rudibus scripsit; aliter Eum, qui apud Eum ad Catechumenos habuit concionem, & libros quatuor de Fidei Symbolo ad eodem edidit. Aliter alios. Insuper illud addendum, quod nec Possidius in Indiculo, nec diligentissimus operum & Sermonum Augustini lustrator Beda, ullum huic Sermoni præbeant testimonium. Quin & illud accedere, quod hæc Fidei professio, quæ maxima pars illius Sermonis, ex quo citata à Bellarmino Verba sunt desumpta, ante Caroli M. tempora Augustino adscripta non fuerit; imò non facile inveniri, qui ante Seculum tertium supra decimum Augustino eam tribuerit, & quod præprimis observandum, non immeritò dubitari, utrum libellus hic integer & sine ullâ additione ad nos pervenerit, hæc in specie videri inserta, quæ Bellarminus contra Evangelicos, impertinenter quamvis, exindè produxit, nimirum contra Eutychetis opinionem scripta, cujus hæresin post Augustinum esse sparsum, ipse Bellarminus in Epitome Chronologicâ docuit, in quo alii etiam Papistarum Chronologi consentiunt. Hæc & plura his similia & amplissimè quidem tractat citatus Sorbonista *Launojus* in laudatâ Dissertatione, ex quâ excerpte placuit ad præsens Institutum pertinentia, quia fortè in paucorum manibus est, ut & pleraque Eius opuscula, quamvis dignissima, quæ ob non paucos raræ sinceritatis & mentis apertissimæ radios hic & ibi satis clarè transparentes ab omnibus orthodoxæ Veritatis cultoribus studiosè legantur. Posito autem ex superabundanti & indebita liberalitate, esse hæc ipsius Augustini Verba, quæ Bellarminus contra Evangelicos in aciem produxit, tam non nocent aut ullâ ratione obsunt eorum doctrinæ, ut, si Bellarmino id demonstrandum fuisset, aqua Ei ut non semel aliàs hæssisset, seque injuriam Evangelicis intulisse, ac calumniosè alienam eis adfixisse doctrinam, fateri debuisset. Ubi enim, quæso, ulli Evangelicorum in mentem venit aut in chartam excidit, Idiomatica & Proprietates Divinitatis in hominem demigrasse, & versâ vice Idiomatica & Proprietates Humanitatis in Deum esse transfusa & hæc ratione confusa? Nisi id ostendatur, est & manet Bellarminus calumniæ Evangelicis innocenter impactæ reus, & quicumque Bellarmini partes hic etiam defendendas suscipiet.

CAPVT VNDECIMVM & seqq.

DE

Ubiquitate Humanitatis Christi.

Evangelici quidem nec quoad nomen, nec quoad rem agnoscunt Ubiquitatem, cum neque hoc nomine describant Majestatem omnipræsentis vi unionis, quæ dicitur, personalis Christo Homini communicatam, neque etiam, & multò minus quidem, admittant eam distæ ubiquitatis monstruam descriptionem, quam præter alios Papistæ etiam, contra toties iteratas in publico Protestationes & explicationes Symbolicas, per solam calumniandi & innocentes traducendi libidinem, à Christo Majestatis suæ rigoro vindice vindicandam, Evangelicis adtribuere non verentur, eosque ob hoc ipsum tanquam Dogma omni tempore in Ecclesiâ inauditum nemini non facere exosissimos omniq; odio perquam dignos. Verùm si terminus hic ubiquitatis, utpotè Philosophicus ab iis imperfectionibus purgetur, quas abusus ut plurimum Sophisticus eidem solet adfricare, & quæ in sensu crassiorum primo adpectu incurrunt, si modò res ex æquo & sincerè agatur, fortè non adeò incompetens erit ad hoc Mysterium vel impertinens, ut non paucis hætenus inter ipsos etiam (utinam non pseudo-) Evangelicos fuit visum; quamvis, ut omnis occasio iniquius de hoc Dogmate propter nomen tam exosum sentiendi præcindatur, consultius omninò sit, in terminis Omnipræsentis hoc Mysterium tradere, intra quos hætenus plerique & fortè omnes Evangelici Doctores se continuerunt, ac feliciter illud contra quosvis obtrectatores DEI gratiâ defenderunt. His breviter ex necessitate præmissis, ad ipsius Controversiæ ventilationem accedimus, quam Bellarminus insigni prolixitate per integram capitum decadem tractavit, ea exindè repetituri, quæ ad vindicandam Augustini autoritatem inprimis pertinere videbuntur, ut nimirum

vid. D. Dorich. Anti. Co. gent. pag. 236.

vid. D. Calov. Metaph. Div. Tom. I. pag. 176.

in hoc

in hoc etiam puncto tam augustus Doctor sit & maneat Testis & Confessor Evangelicæ Veritatis. Initium verò facit Bellarminus inde, ut demonstret, Ubiquitatem vel Majestatem Omnipræsentis Christo-Homini communicatæ repugnare expressis Scripturæ dictis, & quidem in specie illis, quæ DEUM esse ubiq; vel Omnipræsentem docent, eog; ipso Eum ab omnibus creaturis discernunt, inter quæ recenset illud Davidicum: *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tuâ fugiam?* addens, Patres ex hoc DEI attributo probare, Spiritum Sanctum esse Verum Deum, non creaturam, cæteris Patribus Augustinum subjungendo, pro Spiritus Sancti Divinitate ex Oraculo hoc militantem. Sed nihil hoc contra Evangelicorum doctrinam, qui sicut nulli creaturæ Majestatem omnipræsentis adscribunt, ita dum Christo-Homini per unionem, quæ personalis vocatur, præter alia, hoc etiam Idioma in S. Literis expressissimè legunt adscriptum, nihil omninò putant derogari Divinæ Majestati, quæ humanam in Christo Naturam voluit hoc etiam dono dotatam, neque Augustinus hic contrarius est nobis, ut statim porrò videbimus. Quamvis enim Bellarminus cum quibusdam aliis Patribus Eum nobis opponere conetur, frustra tamen laborat, nosque ad Augustini mentem orthodoxam penitus cognoscendam manu quasi ducit, dum ubiquitatem vel Majestatem Omnipræsentis Christo-Homini communicatam iis etiam repugnare existimat Scripturæ testimoniis, quibus Patres probant, duas esse in Christo Naturas, inter quæ præcipuum esse dicit, quo Christus de se ipso clarissimè testatus legitur: *Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de Cælo, Filius hominis qui est in Cælo: ex quo loco plurimos Patrum, & inter eos Augustinum, deducere observat, Christum esse DEUM & hominem, quia, quando erat corpore solum in terrâ, dicebat tamen se esse in Cælo, nimirum Deitate.* Augustini Verba, quibus ex ore Christi oraculum compendiosè explicat, hæc sunt: *Ecce, hic erat, & in Cælo erat; hic in Carne, & in Cælo erat Divinitate, imò ubiq; Divinitate, natus de Matre, non recedens à Patre.* Nihil omninò contra Evangelicos, si modò Sententia augusti Doctoris ritè capiatur, quam in eadem Expositione Johannæ non semel uberius exposuit, hæc inter alia scribens: *Non dixit, erat, sed Filius hominis, inquit, qui EST in Cælo. In terrâ loquebatur, & in Cælo se esse dicebat, & non, (rectius, cum) ita dixit, quò pertinet, nisi ut intelligamus, unam personam esse Christum, Deum & hominem, non duas, ne Fides nostra non sit trinitas, sed quaternitas.* Et post aliqua: *Sic erat Filius hominis in Cælo, quem admodum Filius Dei erat in terrâ; Filius Dei in terrâ in susceptâ carne, Filius hominis in Cælo in unitate Personæ.* Quæ Verba postrema tam sunt clara, ut non clarius Evangelicorum mentem de hoc Fidei Mysterio exprimere potuerint. Similem ferè in modum alibi etiam hoc Christi oraculum explicavit: *In terrâ erat, & in Cælo se esse dicebat, & quòd est majus, in Cælo Filium hominis, ut unam demonstraret in utrâq; Natura Personam, in eo, quod DEI Filius erat æqualis Patri, Verbum Dei in principio, Deus apud Deum: & in eo, quod Filius hominis erat, adsumentem animam & carnem humanam, & indutus hominem exiens ad homines, quia in hoc utroq; non duo Christi sunt, nec duo Filii Dei, sed una Persona, unus Christus, Dei Filius, idemq; unus Christus, non alius hominis filius, sed Dei Filius secundum Divinitatem, hominis filius secundum carnem.* Et iterum post aliqua ibidem: *Idem Filius hominis, qui Filius est Dei, sedet in Cælo, qui ambulat in terrâ. In Cælo erat, (rectius ex Textu, EST) quia ubique Christus, idemque Christus & Filius DEI & Filius hominis. Propter unitatem personæ in terrâ Filius DEI, propter eandem personæ unitatem esse probamus in Cælo Filium hominis.* Addo alium adhuc locum, ubi hæc Christi Verba porrò ita illustrat augustissimus Doctor: *Quamvis in terrâ factus sit Filius hominis, Divinitatem suam tamen, quâ in Cælo manens descendit in terram, non indignam censuit nomine Filii hominis, sicut carnem suam dignatus est nomine Filii DEI, ne quasi duo Christi istâ accipiantur, unus DEUS & alter homo, sed unus atque idem DEUS & homo; DEUS, quia in principio erat Verbum, & DEUS erat Verbum; homo, quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Ac per hoc, per distantiam Divinitatis & infirmitatis Filius DEI manebat in Cælo, Filius hominis ambulabat in terrâ; per unitatem verò Personæ, quâ utraque Substantia unus est Christus, & Filius DEI ambulabat in terrâ, & idem ipse Filius hominis manebat in Cælo. Adjungantur ibidem sequentia, & manifestum erit, nihil expressius magisque perspicuum ad explicandam Evangelicorum sententiam de Majestate Ubiquitatis vel Omnipræsentis Christo-Homini communicatâ ab Augustino dici & scribi potuisse, utut Dogma hoc à perisque, qui illud undiquaque hostiliter, cæco ut plurimum impetu & zelo minimè laudabili,*

impe-

Pl. 129.

Joh. III.

Tract. 12.
in Joh.Tract. 27.
ibid. conf.
Tract. 31.Serm. 14.
de Verb.
Apost.lib. 1. de
peccat.
merit. &
remiss.
cap. 31.

impetunt, tanquam ipsâ novitate suspectum & in antiquiore Ecclesiâ inauditum pro-
scribatur. Quæ circa ipsum Oraculi hujus de Filii hominis adscensu & descensu sen-
servanda, hic brevitate gratiâ omittuntur; cum satis nunc esse possit & debeat, Au-
gustinum à Bellarmino pro se contra nos citatum in ejus Explicatione Ubiquitatis vel
Omnipræsentia Christo homini post Unionem debitæ non hostem, sed ingenuum
esse confessorem, adeoque Evangelicis in hoc etiam Fidei Mysterio non opponen-
dum, sed quam-maximè componendum & tanquam orthodoxæ Veritatis testem
omnibus commendandum, id quod amplius patebit, ubi duce Bellarmino in vindic-
candâ Christi-Hominis Majestate progrediemur, quamvis ad idem terè nobis sit
redeundum.

Nimirum pergit Bellarminus refellere ubiquitatem vel omnipræsentiam Corpo-
ris Christi ex Symbolo Apostolorum, & inter cæteros ex eo in specie Articulo,
qui agit de Adscensione Christi ad Cælos, circa cujus explicationem sequentia habet:
*Catholici credunt, Christum in verum Cælum corporeum adscendisse, sive maneat intra
ipsum Cælum, ut videtur sentire Augustinus, dicens, Christum esse ubiq; ut DEUM,* Epist. 57.
ad Dard.
& in aliquâ parte Cæli propter veri corporis modum; sive maneat supra & extra omnes
Cælos, ita ut pedibus tangat convexum summæ Cæli, ut Thomas vult. Addit, *Ista non sunt
certa, nec necessariò cognoscenda; Imò Augustinus etiam monet, curiosissimum esse & super-
vacaneum, id querere.* Et post aliqua: *Hæc est sententia omnium Sanctorum, & præcipue
Augustini, ubi monet Dardanum, ut recolat Symbolum & simpliciter credat, Christum homi-
nem post resurrectionem veram verè in Cælum adscendisse, atque ibi in certo nunc esse loco.*
Et quia de corporibus Beatorum gloriosis simul incidit Quæstio, quæ illorum futura sit
ratio in Cælis, subjungit ex Augustino Bellarminus, *sat esse, scire, habituros in Cælo cor-
pora gloriosa statum & motum, prout voluerint, sed omnino decentem.* Mirum est & ver-
satile Ingenium Bellarmini, mox dubitanter, mox autem adsertivè scribentis, adeoque
sibi ipsi non semper constantis. Dubitat de statu Christi post gloriosam ad Cælos ad-
scensionem, num intra an extra Cælum maneat; num a Cælo includatur, an verò
Cælum ambiat, pedibus tangat? Ita enim fuit necessum, ut rationis suæ decempedâ
grande hoc Mysterium dimittatur, & ad normam stulti intellectûs redigat, quod supra
omnem est hominis intellectum. Et tamen, ubi qualitercunque suam de hoc Mysterio
proposuit sententiam, eam dicit omnium esse Sanctorum, & in primis Augustini,
coque ipso sine ulteriori inquisitione amplectendam; quæ tamen discussis omnibus
aliud in se non continet, quàm *Christum verè in Cælum adscendisse.* Atqui id Evange-
lici etiam duce Scripturâ, & prævio, quod dicitur, Apostolorum Symbolo unanimiter
credunt & profitentur, hoc tamen sensu, ut Adscensionem hanc Christi gloriosam Ma-
jestati Omnipræsentia Christo-Homini communicatæ nihil planè existiment dero-
gare. Si enim nullum aliud esset, illud solum & unicum Pauli Oraculum satis evincere
posset, quo Christum idè supra omnes Cælos adscendisse scripsit, *ut omnia implet,* Ephes. 4.
Omnipræsentiam carnis Christi, quæ per laudatam ab Apostolo impletionem omnium
intelligitur, cum juxta Divinam Naturam cum Patre & Spiritu Sancto nunquam non
omnia impleverit, esse ipsius gloriosæ Adscensionis consequens, quæ sicut in termino
Adscensionis cœpit, ita adhucodiè durat, neque respicit omnia solum in Cælo
vel regno gloriæ, sed & in terrâ, ac in primis regno Gratiæ, Ecclesiâ nimirum militante,
quæ de Capite suo sibi intimè unito & nunquam non quamvis invisibiliter omnipræsen-
tissimo inter tot Inferni portarum minas & insultus indubia est, seque sub Eo tanquam
Protectore Summo & Omnipotentissimo tutam fore & conservatum iri constanter
credit. Et his nullo planè modo contraria sunt aut opponenda, quæ Augustinus de
statu corporis Christi post Adscensionem ad Cælos scripsit, *Eum in loco aliquo Cæli pro-
pter veri corporis modum esse,* cum & illud Evangelicis non inficiantur, ita secundum
Augustini monitum, quod in eadem ad Dardanum Epistolâ extat, *Divinitatem
Christi-Hominis adstruentes, ne corporis veritatem auferant,* cumque Eodem ibidem
porro profitentes: *Vna persona DEUS & homo est, & utrumq; est unus IESUS CHRISTUS,
ubiq; per id, quod DEUS est, in Cælo autem per id, quod homo est;* Sed non vident aut
pervidere possunt Evangelicis, quâ ratione impediatur, si dicatur Christi corpus, quâ ve-
rum ut post Resurrectionem & Adscensionem corpus gloriosum, esse in Cælo & in ali-
quâ Cæli parte; quò minus idem dicatur, imò verè sit in Cælo & in Terrâ omni-
præsens, omniaque gloriôsè & gratiosè implens, utpote ei intimè unitum personæ
cui

Conf. D.
König.
Vindic. S.
p. 428, seq.

Epist. 57.
ad Dard.

de Fide &
Symb.
cap. 6.
conf. de
Agone
Christi
cap. 25.
de Civit.
Dei lib.
ult. cap.
ult.

vid. D.
Dorich.
Pentad.
Disp. 14.
num. 59.

cui ab utraq; parte ac sine omni contradictione tanquam singulare Divinitatis attributum Majestas omnipræsentia adscribitur, de qua ipsa Majestatis Divina omnipræsentia idem Augustinus ibidem bene monuit: *In eo ipso, quod dicitur Deus ubique diffusus, carnali resistendum est cogitationi, & mens à corporeis sensibus avocanda.* Perplacet etiam, quod idem Augustinus Doctor loco per Bellarminum citato modestissime censuit: *Vbi & quomodo sit in Cælo corpus Dominicum, curiosissimum & supervacaneum est querere; tantummodo in Cælo esse, credendum est.* Non enim est fragilitatis nostra Cælorum secreta discutere, sed est nostra fidei, de Domini corporis dignitate sublimia & honesta sapere. Dum enim Christum corpore suo in Cælo esse dixit, non exclusit terram, quæ ad omnium impletionem ab Apostolo tam sanctè adsertam omninò requiritur, sed simul inclusit, id quod iterum concludere licet exinde, unde in paulò antecedentibus pro legitimo Adscensus & Descensus Domini intellectu Augustinum testem vidimus, ita porro scribentem: *Si Divina Substantia longè distantiore atq; incomparabili divinitate sublimior potuit propter nos ita suscipere humanam substantiam, ut una fieret persona, atque sic Filius hominis, qui erat in terrâ per carnis infirmitatem, idem ipse esset in Cælo per participatam carni Divinitatem; quanto credibilius alii homines sancti & fideles Ejus sunt cum homine Christo unus Christus, & omnibus per hanc Ejus gratiam Societatemq; adscendentibus, ipse unus ascendit in Cælum Christus, qui de Cælo descendit.* Argumentatur Sanctus Pater à præcellentia hominis regniti & verè fidelis cum Christo capite uniti, ad præcellentiam corporis à Christo adsumti, totque illustribus Donis beati, in primis autem non in terrâ solum, sed & in Cælo simul existentis, per participatam videlicet & communicatam Carni Divinitatem; & tamen Bellarminus persuadere Lectori conatur, Augustinum corpus Dominicum, id est, Christum hominem Cælo localiter adfixisse, Ejusq; præsentiam terricolis denegasse, quam tamen in testimoniis antè citatis iisdemq; luculentissimis tam constanter defendit. Et quamvis alibi de statu corporum post hanc vitam glorioso, id quod Bellarminus insuper urget, dubitanter loqui videatur Augustinus, scribens: *Qui motus illic talium corporum sint futuri, temerè definire non audeo, quod excogitare non valeo; tamen & motus & status, sicut ipsa species, decens erit, quicunq; erit, ubi, quod non decebit, non erit.* Illud tamen notanter addidit, ne lectorem plane dubium à se dimittat: *Certè, ubi volet spiritus, ibi protinus erit corpus, nec volet aliquid spiritus, quod nec spiritum possit decere nec corpus.* Multum hic tribuit Augustinus corpori glorioso meri hominis. Annon putandum est, Eum multò plus adscripsisse corpori glorioso hominis non meri, sed simul DEI, adsumtam gratiosè Naturam post completum Exinanitionis statum eò evehenti, ut omnia impleteret, id est, omnia in Cælo & in terrâ omnipræsentem & omnipotentem gubernaret, inque debito ordine conservaret. Sed adhuc ulterius cum Bellarmino eundem est,

lib. 1. de
peccat.
merit. &
remiss.
cap. 31.

Is ut porro Augustinum Evangelicis in hoc Fidei Puncto opponat, inter alia Patrum testimonia, quibus Ubiquitatem refelli existimat, duo etiam Augustini adducit, quorum prius hoc est: *A quibus homo (nimirum Christus) abscedebat, Deus non recedebat, & idem ipse Christus, homo & Deus.* Ergò ibat per id, quod homo erat, manebat per id, quod ubiq; erat. Explicat ibi Sanctus Pater, quomodo intelligi debeat, quod Christus iteratis non semel vicibus ad Apostolos dixit, se ad Patrem vadere, ob quem sermonem Apostolos non parùm tristes fuisse, seque in posterum à Magistro derelictos existimasse Evangelista memorat, addito consolationis argumento, quò animi eorum ad tranquillitatem compositi fuerant. Præprimis autem illud notandum, loqui Augustinum de eo Christi. Hominis statu, quo etiam si per unionem habuit communicata sibi Idiomatica Divinitatis, ea tamen liberè in illo statu non usurpavit, sed juxta Apostoli informationem se ipsum exinanivit & quasi exiit ad tempus, formam Servi accipiens, de cujus Status profundissimæ Exinanitionis differentiâ Statui insecutæ Exaltationis oppositæ ab Evangelicis Augustinæ Confessioni sincerè addictis quoad Majestatem Omnipræsentia Christo Homini datam doceatur, ex libris Eorum Symbolicis, nominatim Formulâ Concordiæ ac Eiusdem Apologiâ plus satis constat, nec repetitione iteratâ opus est. Posterius Augustini testimonium, quod Bellarminus contra nos producit, hunc in modum legitur: *Non est consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique, ut Deus; nam & de nobis veracissima dicit Scriptura, quod in illo vivimus, movemur & sumus, nec tamen sicut ille ubiq; sumus. Sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine, proprio quodam ac singulari modo.* In quibus verbis Augustinum clarissime dicit adfirmare Bellarminus, non esse consequens, ut si Verbum est ubique, etiam caro illi unita sit ubique. Sed,

Epist. 57.
ad Dardã.

Sed ut quam-mitissime dicam, quod res est, vim facit Augustini Sententiæ Bellarminus, plusque ex adlegatis ejusdem verbis concludit, quam in eis invenitur. Imò sibi iterum ipsi contrarius est Bellarminus, dum in proximè antecedentibus ingenuè est factus, Augustinum in hac Epistolâ ex professo tractare de eo, quod *convenit carni non ex se, sed ex unione cum Verbo*; utpote quo ipso Evangelicorum cum Augustino in hac etiam Quæstione contentum apertissime demonstravit, ut apertius non poterit. Nimirum, non denegat Augustinus carni à Christo susceptæ, præprimis in Statu Exaltationis, Majestatem omnipræsentis, usumque ejus plenarium, sed modum distinguit, aliâ docens ratione Christum ut Dei Filium, aliâ ut Filium hominis esse in Cælo & in terrâ omnibus creaturis præsentem. Indè particulæ illæ distinctivæ probe observandæ, *Ita, sicut &c.* quibus notanter Augustinus utitur addens, *proprio quodam ac singulari modo hæc intelligi debere, id quod in proximè antecedentibus ex articulo de Ascensione gloriosâ in Cælos, & quæ eam sunt insecuta, clarius adhuc significavit, scribens: Noli dubitare, ibi nunc esse hominem Jesum Christum, undè venturus, memoriterque recole & fideliter tene Christianam confessionem, quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in Cælum, sedet ad dextram Patris, nec aliundè, quam inde venturus est ad vivos mortuosque judicandos; & sic venturus est, illa Voce Angelicâ testante, quem ad modum ire visus est in Cælum, id est, in eadem carnis formâ atque substantiâ, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus.* Quæ iterum clarissima est Sententiæ Evangelicorum expositio, quam ex articulo de Sessione Christi hominis ad dextram Patris plurimum confirmari, certum est, quidquid etiam Bellarminus Augustini autoritate munit obgannat, dicens, *per dextram DEI non Potentiam & Majestatem Divinam, sed Beatitudinem æternam à multis intelligi, nominatim Augustino, docente, non solum Christum sedere ad dextris Dei, sed omnes etiam electos, juxta Apostoli oraculum: Con- sedere nos fecit in caelestibus in Christo &c.* Ephel. II. cujus tamen dicti Bellarminus sui immemor in sequentibus contra Augustinum non hunc esse dicit sensum, *omnes nos esse sessuros ad dextram Dei in personis propriis, sed in Christo, ut Paulus expressè dicit, addens: Quia ejusdem speciei & nature sumus cum illo homine, qui est in dextra Dei, omnes dicimur per illum sedere in dextra Dei; alioquin totam Scripturam tribuere Christo soli sedere ad dextram Patris: ubi Bellarminus benè distinguit inter dextram DEI absolute, & dextram Patris relative consideratam, quæ distinctio si observetur, res dijudicatu est facillima, id quod ipse iterum Bellarminus agnovit, secundum hanc Expositionem aliquid videri valere argumentum Evangelicorum, quos iniquissime, more tamen solito, hæreticos dicit, hæc porro contra se ipsum pro nobis scribens: *Ista Sessio ad dextram Patris, qua potentiam significat & Majestatem, Christi data est Humanitati. Quæ cum ita sint, videtur jam negari non posse, quin ipsa Humanitas prædita sit Majestate Divinâ, & proinde sit etiam ubique.* Respondere quidem conatur Bellarminus ad hæc, nobisque hunc eripere clypeum, sed inaniter & in vanum; quin magis semper magisque invitus & nescius arma nobis pro defendendâ Ubiquitate & Omnipræsentia carnis CHRISTI ex Sessione Ejus ad dextram Patris largiter suppeditat, ita enim scribit: *respondeo, datam esse Humanitati istam Sessionem, sed datam non ipsi in se, sed in Supposito; id quod nos Evangelici in gratiam Simpliciorum, quibus termini hi Philosophico-Scholastici non adeò sunt cogniti, exprimere solemus, vi Unionis dictæ Personalis, quâ DEI Filius in upitatem Personæ carnem suscepit humanam, vel ut adhuc clarius cum enucleatissimo Mysterii hujus Interprete Apostolo dicamus, quâ Verbum Caro factum est.* Pergit Bellarminus: *Non enim factum est, ut Humanitas in seipsâ sedeat ad dextram DEI; sicut non factum est per Incarnationem, ut Humanitas sit DEUS, sed ut sit Humanitas Dei, & proinde in concreto dici possit, iste homo est Deus, & sedet ad dextram Patris &c.* Rectè, si rectè voluerit intellectum Bellarminus, quod *Humanitas non in se ipsâ sedeat ad dextram DEI, quia Natura humana hic non in statu simplici & secundum se, sed in statu, ut ita dicam, composito, vel ut iterum phrasi usitatâ mentem orthodoxam clarius explicem, Unionis, quæ dicitur personalis.* Malè è contrario & planè insufficienter, dum proponit *Humanitatem illius personæ, quæ sedet ad dextram DEI, quo ipso verbalem Idiomatum communicationem supra indigitatam innuit, ipsamque communicationis realitatem non obscurè negat.* Et sicut non adprobamus illas locutiones abstractivas, Ex. gr. quam Bellarminus exhibet, *Humanitas est DEVS &c.* Ita ex alterâ parte non*

NB:

De Fide & Symb. cap. 7. & de Agone Christ. cap. 26.

repudiamus prædicationem in concreto factam, *iste homo est Deus, & sedet ad dextram Dei Patris*, præprimis si non tantum concretum personæ, sed & simul naturæ, nimirum in ipso unionis statu intelligatur, sine tamen confusione actuum naturæ & personæ, qui nunquam non diligentissimè distinguui debent. Sed pergit Bellarminus impetere Majestatem Christi-Hominis, utur ictibus plerunque innocuis, ut porrò videbimus.

Joh. V.

Dum enim inter ea scripturæ testimonia, quæ ex Evangelicorum mente sibi ipsi objicit, illud quoque recenset, quo Christus *Patrem sibi tanquam Filio omne Judicium dedisse restatus est*: Ex tribus modis, quibus hoc testimonium intelligi posse cenfer Bellarminus, secundus est, quo intelligi posse existimat *eâ ratione, ut illa omnia significentur data Humanitati non in se, sed in Supposito, idque per gratiam unionis*. Et ita videri accepisse Augustinum undè non sequatur, *Christi humanitatem habere in se formaliter Divina attributa, sed solum esse naturam ejus Suppositi, quod illa habet attributa*. Ictibus inquam innocuis. Quamvis enim Augustini autoritate phrasibus verbalem Idiomaticum Communicationem exprimentibus realiter communicatam homini Christo Majestatem, ut hæcenus non semel, impugnare videatur; fateri tamen debuit, eadem ductus Augustini autoritate, *Attributa Divina data & communicata esse Humanitati vel Christo Homini per Gratiam unionis*, utur non in se vel in statu simplici & separato, sed in Supposito, vel in statu, ut supra explicavi, composito, & quod eodem redit, in Statu Unionis æternum insolubilis. Et sicut nemo Evangelicorum dixit vel scripsit, Christi humanitatem habere in se Divina attributa *formaliter*, termino hoc juxta accurationem philosophicam sumto, sed quæ phrasid recepta est, *personaliter*; ita justominus iterum est & planè insufficiens, quod Bellarminus subjungit, *Christi humanitatem solum esse naturam ejus suppositi, quod illa habet attributa*, quasi non per concessam Unionis gratiam Christo Homini etiam communicata sint. Unum adhuc est super pro vindictis Divinæ Majestatis & in specie ubiunitatis, vel omnipræsentis Christo homini communicatæ, quod nimirum attinet illud Augustini testimonium, quod paulò ante ex Sermonè decimo & quarto de Verbis Apostoli fuit productum, ad cujus enervationem Bellarminus observat, quæ ibi dicuntur, *non de Naturâ humanâ, sed de Personâ intelligi debere*; nec dictum esse ab Augustino, *Humanitatem esse in Cælo, in terrâ Deitatem, sed in Cælo Filium hominis, id est, personam, in terrâ Filium Dei, id est, eandem Personam, quia ubique illa sit persona*. Sed malus est Hermineva Bellarminus. Etsi enim Augustinus, & datâ forsitan operâ, hisce locutionibus abstractivis in hoc negotio abstinent, non tamen illud in præjudicium aut detrimentum Majestatis Christo-homini communicatæ factum est, utpote quam Ei ibidem expressissimè adscripsit. Nec nisi perversissima est Verborum Augustini depravatio, ea, quæ de Concreto Naturæ dicuntur, de concreto Personæ tantum intelligere, actusque personæ omninò naturæ, quæ alterius Idiomaticum particeps est facta, denegare, quod, annon sit Nestorii errorem è cineribus revocare, ii judicent, quibus hæc talia penitus constant. Certè intolerandum est ubi Augustinus expressè Filium hominis vel DEI nominat, adeoque naturas inter se apertissimè distinguit, indicans, quid cuius per gratiam Unionis ab alterâ accedat, & de eâ prædicari possit, imò ob oraculorum perspicuitatem debeat, subterfugium ad denominationem sumere personalem, id est, verbalem solummodò communicationem, quæ in re ipsâ nullum planè habeat fundamentum, & per quam non parum hujus Mysterii sublimitas labefactatur. Absurdissimum est præterea, personæ, vel ut Bellarminus aliàs non semel amat loqui, toti supposito aliquid adscribere, & alterutri Naturæ, ex quâ hæc Persona constat, id negare, cum tamen ipsa Naturarum unio, quæ conjunctissima est, hanc Idiomaticum & operationum mutuum communicationem requirat, eamque non verbalem solummodò, sed omninò realem, ut hæcenus non semel monitum. Quæ ultimo capite exhibet Bellarminus de accessorio quodam argumento, ad defendendam Ubiquitatem vel omnipræsentis Majestatem Christo-homini communicatam, desumpto à summâ Christi-hominis Felicitate, Pulchritudine & Beatitudine, ad cujus refutationem aliquâ Augustini autoritate usus est, quia in eo ipsius Controversiæ & Quæstionis cardo non vertitur, innocuo hæc prætermittuntur silentio.



LIBRI QUARTI,
DE
ANIMA CHRISTI,
CAPUT TERTIUM ET QUINTUM,

DE
Scientiâ Animæ Christi.

Circa cujus descriptionem meminit antiquæ hæreseos *Agnoetarum*, quam Luthero etiam expresse adtribuit, ac contra eam post Scripturarum, ex Patrum quoque testimoniis & doctrinâ agit, utrobique in primis ad Augustini provocans auctoritatem. Quid circa hanc Quæstionem controversam vel de ipso *Agnoetismo*, hæresi non omnibus æqualiter cognitâ, vel de Sententiâ Evangelicorum ab eo plurimum distante, notandum sit necessariò, in Vindiciis Evangelico-Thomisticis pro *D. Dorscheo*, è *D. Dorscheo* Præceptore meritissimo ut plurimum collectis non ita pridem sufficienter ostensum, ut prolixâ repetitione hic supersedere, Lectoremque benevolam labore relegendi liberare nobis sit licitum. Illud hic tantum jure talionis inde venit repetendum, quòd, dum Bellarminus *Lutherum* iniquissimè tanquam hæreseos *Agnoeticæ* defensorem traducit, ii potius patrociniū erroris hujus in se dici debeant suscipere, quicunq; negant, verum & æternum DEI Filium adsumptæ humanæ Naturæ communicasse infinitam Majestatem & Perfectionem Omnisapientiæ Divinæ; adeoque Pontificii in *Agnoetarum* opinione stantibus suis hypothesebus profundissimè & inevitabiliter hæreant, idèò præprimis, quia ipsam Divinam Sapientiam & Scientiam infinitam adsumptæ humanæ Naturæ communicatam esse negant, id quod ibi ex ipsis Scriptoribus Papæis Orbi Evangelico verè orthodoxo est expositum. Nunc porrò videamus, quid Augustinus juxta Sententiam Bellarmini contra nos habeat. Ejus quidem in antecedente secundo capite jam meminit, sed eo usus testimonio, quod in hoc capite tertio recurrit, alio quodam præmissò, quo Augustinus explicasse dicitur illa Lucæ Verba, quibus Christum Sapientiâ etiam profecisse scripsit, hunc in modum: *Quis est, qui audeat dicere, Dominum Christum majoribus tantum, non etiam parvulis esse Iesum, qui venit in similitudine carnis peccati, ut evacuet corpus peccati, in quo infirmissimo nulli usui congruis vel idoneis infantilibus membris anima rationalis miserabili ignorantia prægravatur, quam ignorantiam nullo modo crediderim fuisse in Infante illo, in quo Verbum caro factum est, ut habitaret in nobis, nec illam ipsius animi infirmitatem in Christo parvulo fuerim suspicatus, quam videmus in parvulis. Per hanc enim cum moribus etiam irrationabilibus perturbantur, nulla ratione & imperio, sed dolore aliquando vel doloris terrore cohibentur, ut omninò videas illius inobedientiæ filios, quæ movetur in membris repugnans legi mentis, nec cum vult ratio, conquiescit, verum & ipsa sæpè vel dolore corporis tanquam vapulando compescitur, vel parvalescendo, vel tali aliquo animi motu, non Voluntate tamen præcipiente comprimitur.* Prolixius, quam Bellarminus exhibet, antecedentia & consequentia omit- tendo, hæc Augustini Verba debuerunt exscribi, ut eò melius eorundem sensus & Sancti Patris sententia percipiatur, qui nihil aliud hic significat, quàm in JESU infante non fuisse peccaminosam & miserabilem ignorantiam, qualis est in parvulis inobedientiæ à Protoplastis derivatæ filiiis, vitiosis atque inordinatis moribus sese ostendens, ubi est repugnantia Legis juxta Paulum, qualem ignorantiam Evangelicos Christo infanti adscribere, nemo in Scriptis eorum versatus sine calumniæ notâ dicere audebit. Quod verò Augustinus verbis proximè sequentibus addit: *Quia in Eo erat Similitudo carnis peccati, mutationes atatum perpeti voluit ab ipsâ exorsus infantia, ut ad mortem videatur etiam senescendo pervenire illa Caro potuisse, nisi juvenis fuisset occisus;* malè à Bellarmino intelligitur, imò mens Augustini non parum invertitur, dum Verba Lucæ de incremento Christi ab Augustino existimat explicata, scribens, *Augustinum atate solùm concedere Christum profecisse, & mutationes passum, non autem in dotibus Animæ;* cujus tamen rei nulla planè in verbis Augustini occurrit mentio, ac particula hæc exclusivâ *Solum* Bellarmini sit additamentum.

Lib. II. de
peccat.
merit. &
remiss.
cap. 29.

Vid. D.
Dorsch.
Theol.
Zachar. c.
9. n. 259.

Sequitur nunc alterum Augustini testimonium, ex quo Bellarminus contra Evangelicorum Sententiam de incremento Sapientiæ egit, & repetitâ quidem vice, quo Sanctus Pater scripsit, *Absurdissimum esse, dicere, Christum anno Ætatis trigésimo Spiritum S. accepisse, cum Præcurfor Ejus acceperit in Vero Matris suæ.* At neque hoc contra Evangelicos, quorum in hoc Fidei puncto juxta S. Scripturâ ductum, & ad orthodoxæ Antiquitatis sensum constans doctrinâ hæc est, Christum à primo Unionis momento potestatem & Majestatem Omniscientiæ ex Unione personali secundum Humanam Naturam habuisse quidem, non verò semper, & incessanter, & universaliter eandem usurpasse, de quâ in citatis supra *Vindictis Evangelico-Thomisticis* ex D. Dorscheo observatum fuit, in his terminis contra Agnoetas disputasse Patres orthodoxos, quicunque non ex defectu communicatæ Majestatis Omniscientiæ, sed ex spontaneâ Exinanitione sine peccato ignorantiam quarundam rerum ipsi Christo tribuunt, Vasquezio pro hac sententiâ ex Patribus Græcis citante *Athanasium, Origenem, Cyrillum*, quibus adjungendi, *Theodoretus, Gregorius Nyssenus, Epiphanius*, & ex Latinis *Ambrosius*, cujus Verba etiam ad Oraculum Lucæ ibidem leguntur, adque alia fit remissio, cum pluribus ad Evangelicorum Sententiâ orthodoxam Sinceritatem contra Bellarmini & aliorum accusationes vindicandam pertinentibus. Quia vero præter illud ad susceptam à Christo liberè in Statu exinanitionis ignorantiam porro demonstrandam adhiberi solet, id quod Christus de seipso affirmavit, *quod diem ultimi adventus nesciat*, Bellarminus opponit in hujus Oraculi Explicatione Augustini auctoritatem, cum aliis quibusdam Patribus statuentem, *quod filius dicatur nescire, quia non sciebat ad dicendum aliis, & quia eos faciebat nescientes.* Et hanc Explicationem dicit esse *ad propositum hujus loci, in quo Dominus reddere voluerit causam, cur non manifestet eum diem, & dixerit causam esse, quia non sciat, id est, non didicerit hoc à Patre, ut revelaret aliis, sed ut sibi Secretum hoc servaret.* Non mirum videri debet, Bellarmino hanc Augustini Explicationem præ aliis placuisse, cum tales reservationes mentales, qualis Christo hic adscribitur, utramque in modernâ *Morali Theologiâ* faciant & occupent paginam; de quibus infra fortè aliquid ex occasione erit dicendum. Nunc id circa Verborum Christi sensum notari debet, Bellarminum quatuor diversas eorum numerare Expositiones, omnes Patrum auctoritatibus fultas, primam Gregorii Magni, statuentis, *Christum non in suâ, sed Ecclesiæ personâ diem ultimi Adventus sui nescire, quia multa, quæ dicuntur de Christo, non de eo tanquam capite, sed de corpore Ejus intelligantur*; secundam ejusdem Gregorii, nec non Ambrosii, Nazianzeni, Cyrilli, *quod Christus homo dicatur nescire eum diem, quia non sciverit, ut homo, id est, scientiâ humanâ, sed Divinâ revelatione seu infusione*; tertiam Epiphani, Chrysoctomi, Bernhaldi, *quod dicatur nescire, quia non sciverit præcise; quo modo Adam dicatur ante peccatum non scivisse bonum & malum*; quartam postremò Augustini, ut & Gregorii, Ambrosii, Hieronymi, Chrysoctomi, Theophylacti, Basilii &c. Meum jam non est, quatuor has Patrum Explicationes à Bellarmino adductas inter se conferre, & quænam inter eas quam-maximè sit probabilis ostendere, aut num Bellarminus in earum recensione fidem præstiterit, curiosius inquirere, ut potè quod utrumque prolixioris est operæ & alienioris ab instituto. Sufficiat in præsentem ex D. Dorschei observatione breviter indicasse, *Vasquezium* in discussione hujus Quæstionis fateri, fuisse aliquos Patres in hac Sententiâ, ut Christo aliquam hujus diei ignorantiam tribuerent, in specie *Origenem, Athanasium, Cyrillum Alexandrinum*, quorum testimonia prolixius ibidem adducuntur, id quod monere nos potest, Bellarminum studio quintam omisisse hujus Oraculi Explicationem, ut non planè nullorum Patrum auctoritate munitam, cum præviderit, esse eam in favorem Evangelicorum, quos tamen omnibus modis refellere, ac præsidio Patrum nudare in animum induxit.

CAPUT SEXTUM & seqq.

De

Descensu Christi ad Inferos,

PRolixissimè & per undecim capita hanc Quæstionem tractat Bellarminus, quam nos eò brevius percurrentes, ea tantum & hic sub Examen vocabimus, quousque Augustini auctoritas duce iterum Bellarmino nobis ansam præbebit. A Principio autem monet statim Bellarminus, hunc de Descensu Christi ad Inferos articulum non fuisse in Symbolo, quod dicitur Apostolorum, apud omnes Ecclesias. Nâ præter *Irenæum, Origenes*, Ter-

Tertullianum in explicandâ Fidei regulâ ab Apostolis traditâ nullam hujus Articuli mentionem facientes, Augustinum quoque Symbolum hoc quinque exponentem ejus nunquam meminisse. Verum post alios monuit nuper B. Carpzovius, præter Rufinum, cui Bellarminus *Cyryllum Hierosolymitanum & Chrysostomum* jungit, Aquilegiense Symbolum in specie illum exhibere; hanc verò variationem non probare, ab ætate Apostolorum hanc de Descensu Christi ad Inferos doctrinam non viguisse in Ecclesiâ, sed hoc tantum inde colligi, *Symbolum hoc prioribus Seculis non fuisse uniformiter recitatum*. De cætero dogma hoc de Descensu Christi ad Inferos, tam Passioni, quam Sepulturæ contradistinctum, ab Apostolorum ætate in Ecclesiâ fuisse propositum, ex ipsis Patrum testimoniis posse probari, quorum pleraque Bellarminus etiam infra suo ordine adducit, Augustinum quoque iis adjungens, ut mox porro videbitur. Nunc quoad ipsam hujus Articuli expositionem satis diversam, prætermisâ eâ, quam Brentio per calumniam adtribuit, Eidem ideò Atheismum impingens, de secundâ aliquid breviter dicendum, quia Augustini intercedit autoritas. Adscribit eam Calvino, non uno in loco docenti, *Christum dici ad Inferos descendisse, quia passus sit dolores animarum damnatarum*. Evangelici quidem hanc Calvinii Sententiam non faciunt tuam, Bellarmino consentientes, Patres, qui Descensum Christi ad Inferos describunt, describere ut *Descensum Victoris & Triumphatoris*, non ut alicujus rei, & passionibus adhuc obnoxii. Sed quia & Melancthonis & Brentii iterum facit mentionem, statuentium, *Christum gravissimè luctatum cum tentationibus de abjectione, imò passum esse dolores Inferni*, Augustini & aliorum Patrum opponens autoritatem, ideò tribus quod ajunt verbis ostendendum, quid hæc de re sit sentiendum. Nimirum, quod repetitâ vice indicandum est, nihil Evangelicis rei vel commune est cum hæc Calvinii & sequacium opinione de Descensu Christi ad Inferos, quatenus eum Passionibus adscribit; & tamen leposito hujus Articuli respectu docent præviâ S. Scripturæ autoritate, Christum in Statu profundissimæ Exinanitionis, nominatim in actu (ut ita dicam vel scribam) Passionis gravissimæ constitutum, Inferni etiâ dolores sustinuisse & cum gravissimis de abjectione & desertione à Deo Patre tentationibus luctatum fuisse, leposito, in quâ, hujus Articuli respectu de Descensu ad Inferos, propriè non metaphoricè intellecti. Hoc sensu neque cæteri Patres à Bellarmino citati, neque Augustinus etiam, hunc Descensum ad Victoriam & Triumphum referentes, Evangelicis de distinctis distinctè sentientibus, sunt contrarii. Quia verò Bellarminus Evangelicorum & Calvinii Sententiam confundens, aliquot argumenta ex Sacris pro Passione dolorum infernalium adducit, adque ea respondere conatur, videndum prætereâ, num aliquid ex Augustino habeat subsidii. Scilicet perparum, cum non, nisi ad duo argumenta, armis Augustini militaverit, utrobique tamen infeliciter. Et quidem ad argumentum numero tertium, quod agoniam in Horto exhibet à tribus Evangelistis prioribus descriptam, confert locum, ut ipsi videtur, parallelum, in quo Christus ob mortem Lazari turbatus legitur, Augustino ibi observante, *Christum non animi infirmitate, sed potestate turbatum*. Atqui nulla planè hic intercedit parallelia & comparatio, ibi Christo coram tribunali Patris loco totius humani generis ad æternam mortem devoti stante, & tanquam Agno DEI peccata Mundi ferente; hic autem ob Amici proximè Resuscitandi mortem non æternam sed triduanam turbato, ubi nemo non altius rem perpendens utriusque turbationis & tristitiæ disparitatem videt. Nec quidquam magis ad præsens Institutum pertinens adfert Bellarminus ad argumentum ordine quintum ex Verbis Petri desumptum, quibus Christum *doloribus Inferni solum* testatus est. Hoc oraculum ut Bellarminus iis eripiat, qui dolores Inferni Christum sustinuisse Scripturâ duce docent, duo ex Augustino subsidia accersit, & prius quidem in eo subsistens, quod dolores Inferni seu Mortis non indicium esse putat *Ira, tanquam cause generalis & remota, sed Benevolentia & gratia DEI specialis, tanquam cause particularis & proxima*, aliqua insuper addens Scripturæ testimonia: confundendo iterum mortem primam cum secundâ, temporariam cum æternâ, quod ad oculum patet: Posterius autem in eo fundatum, quod idem Augustinus statuit, *duplicem esse Sensum posse horum Petri verborum, unum, solutus Inferni doloribus, id est, irritis effectis; soluisse enim dolores Inferni Christum, non quibus tenebatur, sed quibus teneretur, quomodo solvi dicantur laquei venantium, non quia tenuerunt, sed ne teneant: Alterum, solutus Inferni doloribus, quibus Ipse teneri non poterat, sed quibus tenebantur alii, quos Ipse noverat liberandos*. Sed quia Augustinus non expressè scribit, ita intelligi hæc verba debere, sed tantum ita intelligi posse, quod

in Sag. p. 45. conf. D. Dannh. Christ. Art. I. pag. 412.

Joh. 11.

Act. II.

Lib. 13. de C. D. c. 6.

Epist. 99. ad Evod.

posteriorem imprimis attinet sententiam, circa illius plenioris intelligentiam notanter addens, esse temerarium definire, quinam sint isti, qui per Christum doloribus Inferni Petro teste sint liberandi vel liberati; ipseque Bellarminus non obscure sententiam priorem tanquam huc impertinentem repudiat. Lector Veritatis studiosus facile videt, parum vel nihil plane Bellarmino ex utroque Augustini testimonio contra Evangelicos accedere.

Ad tertiam hujus articuli de Descensu Christi ad Inferos explicationem ut veniamus, adscribit eam Bucero & Beza, quin ex parte Calvino etiam Bellarminus, sepulturam per hunc Christi descensum intelligentibus; quæ Sententia et si iterum valde diversa sit ab Evangelicorum Sententiâ, aliquid tamen in Ejus ventilatione circa Augustini auctoritatem venit observandum. Ut enim hanc Sententiam eò feliciter refutaret Bellarminus, tria adsumsit à se probanda, & primò quidem illud, *Inferos esse loca subterranea à sepulchris distincta*, idque præter alia ex Patribus etiam nominatim Augustino, ex cujus Retractionum libris sequentia adducit verba: *De Inferis magis mihi videor dicere debuisse, quod sub terris sint, quam reddere rationem, cur sub terris esse credantur sive dicantur, quasi non ita sit.* Retractavit hic loci Augustinus in genere Scriptum, quod vocavit de Genesi ad literam, id est, *non secundum Allegoricas significaciones, sed secundum rerum gestarum proprietatem*; de quo opere id præsertim notavit, *quod in eo plura sint quaesita, quam inventa, pauciora autem firmata, cetera verò ita posita, velut adhuc requirenda sint.* Dum verò in specie ad ultimi in eo opere libri retractationem venit, id de Inferis monuit, quod Bellarminum pro se vidimus citantem, jure an injuriâ, ipsa inspectio docebit. Ita autem ibi Doctor Augustinus: *Vndè sub terris esse dicantur Inferi, si corporalia non sunt loca, aut undè Inferi adpellentur, si sub terris non sunt, meritò queritur.* Proposuit hic quaestionem, ad quam capite demum subsequente respondit: *Ideo sub terris dicuntur Inferi vel creduntur, quia congruenter in Spiritu per illas corporalium rerum similitudines sic demonstrantur, ut quoniam defunctorum animæ inferis dignæ carnis amore pecaverunt, hoc eis per illas corporalium rerum similitudines exhibeatur, quod ipsi mortuæ carni solet, ut sub terram recondatur.* Denique Inferi, eò quod infra sint, Latine adpellantur. Sicut autem secundum corpus, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora omnia sunt graviora; ita secundum Spiritum inferiora omnia sunt tristiora. Vndè & in Græcâ Lingua Origo nominis, quo adpellantur Inferi, ex eo, quod nihil suave habeant, resonare perhibetur. Et eundem in finem eo in loco Augustinus perhibet, *illud me nondum invenisse confiteor, Inferos adpellatos, ubi Inistorum animæ requiescunt.* Et iterum: *Nondum inveni, & adhuc quæro; nec mihi occurrit, Inferos alicubi in bono posuisse Scripturam duntaxat Canonicam.* Addenda fuerunt hæc posteriora id eò, quia in proximè sequentibus suum occupabunt locum, ibi imprimis, ubi Bellarminus contra tertiam Articuli de Descensu ad Inferos Explicationem secundò probandum adsumsit, *animas piorum ante Christi ascensionem non fuisse in Cælo, idque iterum Augustini auctoritate, docentis non solum, animam Samuelis adparentem Sauli de terrâ visam esse ascendere, sed & adfirmantis, Sinum Abrahe in Inferno fuisse, quod utrumque Examini subjiendum est, an verè ita Augustinus statuerit, num fecus?*

Et prius quidem quod attinet, scilicet animam Samuelis adparentem Sauli de terrâ, de quâ ipse Bellarminus testatur, non deesse, qui negent, illam fuisse veram Samuelis animam; si locum ad quem remisit Lectorem Bellarminus, inspiciamus, hæc ibi legenda exhibentur: *Samuel Propheta defunctus vivo Sauli etiam Regi futura prædixit, quamvis non nulli non ipsum fuisse, qui potuisset Magicis artibus evocari, sed aliquem spiritum tam malis operibus congruentem, illius existiment similitudinem figurasse.* Ad quæ verba non melius respondetur, quàm si inquiramus, quid alibi Augustinus hic Doctor circa hanc adparentem scripserit, & quidem multò prolixius, adque præsens Institutum longè accommodatius. Postquam enim ex communi Sententiâ ad hanc Quaestionem respondisset, hæc singulari cum observatione subjunxit: *Quamquam in hoc factò potest esse alius facilior intellectus & expeditior exitus, ut non verè Spiritum Samuelis excitatum à requie suâ credamus, sed aliquod phantasma & imaginariam illusionem Diaboli machinationibus factam, quam Scriptura nomine Samuelis propterea adpellat, quia solent imagines earum rerum nominibus adpellari, quarum sunt imagines; sicut omnia, quæ pinguntur aut finguntur ex aliquâ parte materia, Metallî aut ligni, vel cujuscunque rei apta ad opera hujusmodi, quæque etiam videntur in Somnis, & omnes ferè imagines earum rerum, quarum sunt imagines, adpellari nominibus solent.* Et post aliqua: *Si igitur liquido*

Lib. II.
cap. 24.

Lib. 12.
cap. 33.

de curâ
pro mort.
cap. 15.

ad Sim.
plic. lib. II
Quæst. 3.

constat, nominibus earum rerum, quarum sunt imagines, easdem adpellari imagines; non mirum est, quod Scriptura dicit *Samuelem visum*, etiamsi forte imago *Samuels* visa adparuit, machinamento ejus, qui transfiguratur se velut in angelum lucis, & ministros suos velut ministros *Iustitiae*. Ut plura his familia ex Augustino hic transcribantur loca opus non est, cum ex his post *Serarium* & alios Commentatores non ita pridem *Scherlogus* ingenue agnoverit, *Augustinum non plene is adfensisse, qui verum Samuelem adparuisse existimant*, sed *Questionem in utramque partem disputasse*, eam insuper de circumstantia temporis à larvato *Samuele* præsignati & præsignificati difficultatem proponens, quam omnino tollere non potuit. Addendumque præterea, Eruditissimum nuper *Judaicæ gentis* Scriptorem, *Menasseh Ben Israel*, in de Resurrectione Mortuorum Tractatu, etiam agnovisse, *Augustinum non à Pythonsis Samuelem esse suscitatum, sed Dæmonem seu Spiritum aliquem adparuisse sub personâ Ejus, existimasse*; quam Augustini Sententiam etfi Rabbini ille impugnat, aliamque substituit sibi visam meliorem, nugas tamen agit, more his hominibus non invito: Patet inde, quia Augustinus non solum dubitanter hanc Questionem tractavit, sed & magis in eam propendit Sententiam, quæ Bellarmino est contraria, malè & minùs sincerè Eum egisse, Augustinum cum aliis ad suum trahendo propositum, à quo tamen, ut constat jam, non parum fuit alienus, id quod etiam circa posteriorem Ejus de Sinu *Abrahæ* Sententiam proximè fiet manifestum.

Quamvis enim fateatur Bellarminus, *videri ambigere Augustinum, an sinus Abrahæ, ubi olim animæ Patrum erant, in Inferno esset, an alibi*; alibi tamen adfirmare Eum, in Inferno fuisse, statuit. Respondeo, etfi Augustinus in posteriore loco videatur adfirmare, Sinum *Abrahæ* in Inferno fuisse, Eum alibi tamen non ambigere, sed certo statuere, non fuisse in Inferno. Ne quid Sancto Patri adfingatur, aut ulla Ei inferatur injuria, lubet Ejus utrobique exscribere Verba. Et in posteriore quidem loco ita scribit: *Si non absurdè credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Christi tenuerunt fidem, locis quidem à tormentis impiorum remotissimis, sed apud Inferos fuisse, donec eos inde Christi Sanguis, & ad ea loca Descensus erueret; profectò deinceps boni fideles effuso illo pretio jam redempti prorsus nesciunt Inferos, donec etiam receptis corporibus bona recipiant, que merentur.* Ubi nemo non videt, scripsisse hæc Augustinum ex certâ hypotheci quadam, eaque non omnino indubitata, adeoque nec ita inter Christianos Receptâ, cui nihil contradicere aut scribere licuerit, & hinc non pro infallibili dogmate Augustinum hoc, quidquid est, proposuisse aut adfirmasse, neque id etiam, quod exinde deduxit, ita accipiendum esse, aut accipi voluisse; præprimis cum alibi Eum non dubitanter solum de hoc scripsisse, sed & contrariam planè Sententiam defendisse certum sit. Dubitanter, inquam, ex parte, quamvis ita etiam, ut in ipsâ dubitatione, quorsum præprimis inclinaverit, apertè satis manifestaverit, ita scribens: *Virum Sinus Abrahæ ubi dives impius, cum in tormentis esset Inferni, requiescentem vidit pauperem, vel Paradisi censendus vocabulo, vel ad Inferos pertinere existimandum sit, (non) facile dixerim.* Quamvis, si quod res est, dici debet, Augustinus hic non videatur particulam hanc negativam de suo addidisse, sed eam aliunde, manu non usque adeò fideli insertam esse. Constat illud, si sequentia Ejus verba attendantur: *De illo quippè divite legimus dictum esse, Mortuus est & sepultus in Inferno; in pauperis autem morte vel Requie Inferi non sunt nominati, sed, contigit mori inopem illum, & auferri ab Angelis in Sinum Abrahæ.* Deinde diviti dicit *Abraham, Inter nos & vos magnum chaos firmatum est, tanquam inter Inferos sedesque Beatorum.* Non enim facile alicubi Scripturarum nomen Inferorum in bono invenitur positum. Eteo in loco, ad quem Bellarminus provocavit: *Inferos uspiam Scripturarum in bono adpellatos non potui reperire. Quod si nusquam in Divinis Authoritatibus legitur, non utique Sinus ille Abrahæ, id est, secreta cujusdam quietis habitatio, aliqua pars Inferorum esse credenda est. Quamquam in his ipsis tanti Magistri verbis, ubi ait dixisse Abrahamum, inter vos & nos chaos magnum firmatum est, satis ut opinor appareat, non esse quandam partem & quasi membrum Inferorum tanta illius felicitatis sinum. Chaos enim magnum quid est, nisi hiatus quidam, multum ea separans, inter quæ non solum est, verum etiam firmatus est.* Addo insuper testimonium ex eo loco, unde ad primum Bellarmini observatum, circa tertiam Articuli de Descensu ad Inferos Explicationem, aliqua huc pertinentia in antecessum fuere excepta: *Neque Abraham vel ille pauper in Sinu Ejus, hoc est, in Secreto quietis ejus, in doloribus erat, inter quorum Requiem & alia Inferni tormenta magnum chaos legimus firmatum. Sed nec apud Inferos*

Antiqu.
Ebr. lib. I.
Dissert. 4.
pag. 109.

lib. II. c. 6.
pag. 169.
Conf.
Hacksp.
Syll. Dissert. p. 246

Epist. 89.
ad Evod.
lib. 20. de
C. D. c. 15.

Epist. 57.
ad Dardan.

Epist. 99.
ad Evod.

Lib. 12. de
Gen. ad
lit. c. 33.

Inferos esse dicti sunt. Contigit enim mori inopem illum, & adferri ab Angelis in Sinum Abrahae. Mortuus est autem & dives, & sepultus est; & cum apud Inferos in tormentis esset &c. Videmus itaque, Inferorum mentionem non esse factam in requie pauperis, sed in supplicio divitis. Et post aliqua: Non in bono accipiendum Abrahae sinum & illam requiem, quod ab Angelis pius pauper est ablatu, nescio, utrum quisquam possit audire; & ideo, quomodo eum apud Inferos esse credamus, non video. Omnium clarissime mentem de

hoc suam expressit augustus Doctor, sequentia scribens: Sinus Abrahae Requies & beatorum pauperum, quorum est regnum Caelorum, in quo post hanc Vitam recipiuntur. Quæ cum satis sint manifesta, ut manifestiora vix esse potuerint, modò oculus accedat incorruptus, Iansenium Gandavensem eò adegerunt, ut post alia etiam Augustini testimonia, quæ ibi non parè adducuntur, agnoscere debuerit, Augustinum disputando collegisse, Sinum Abrahae non fuisse aliquam Inferni partem. Quibus si accedant loca, quæ Montacutius longâ serie collegit, adque ea respondere, frustra quamvis, est conatus, quid ad hujus Controversiæ à Bellarmino motæ plenariam ex Augustino decisionem ulterius possit aut debeat requiri, super planè non est. Sufficiant autem hæc ad præsens Institutum, ut constet, non verè Bellarminum scripsisse, Augustinum adfirmare, Sinum Abrahae in Inferno esse vel fuisse, contrario ex non unis Eiusdem testimoniis hæcenus demonstrato, & si fuerit necessum, pluribus adhuc demonstrando.

Ad tertium nunc accedimus, quod circa tertiam Articuli de Descensu ad Inferos Explicationem Bellarminus adsumit probandum, Christum verè ad Inferos descendisse, in quo etiam Evangelicos non habet dissentientes, in eo tamen ab eis discedit, dum secundum Animam solum descendisse Christum defendit, motus Oraculo Regii Psaltis, nomine venturi Messia Patrem rogantis, ne Animam relinquat in Inferno, quod de Animâ & Inferno sine omni Tropo vel Rhetorico vel Grammatico præter alios Ecclesiæ Doctores Augustinum quoque memorat exposuisse, cujus quæ super hæc re fuerit Sententia, optimum erit ex Eius Verbis percipere, quæ loco per Bellarminum citato ad præsens Institutum pertinentia hæc leguntur: Dominum carne mortificatum venisse in Infernum, satis constat. Neque enim contradici potest vel Prophetia, quæ dixit, Quoniam non derelinques Animam meam in Inferno, quod ne aliter quisquam sapere auderet, in Actibus Apostolorum idem Petrus exponit, vel ejusdem Petri illius verbis, quibus Eum adserit solvisse Inferni dolores, in quibus impossibile erat Eum teneri. Hæc verba Augustini si absque conceptu prævio vel præconceptâ opinione expendantur, nullo planè modo, Christum animâ solum ad Inferos descendisse, sed contrarium potius evincunt, utpotè sistentia Christum solutis Inferni (vel juxta Græcum, Mortis) doloribus, atque adeo carne mortificatum ad Inferos descendentem, quo Augustinus pro Evangelicorum Sententiâ hic quidem loci nihil apertius dicere aut scribere potuisset. Et horsum omninò debent referri, quæ sub finem Epistolæ augustus hic Doctor iteratò monuit: Mortificatus carne dictus est, quia secundum solam carnem mortuus est, vivificatus autem Spiritu, quia illo Spiritu operante, in quo, ad quos volebat, veniebat & predicabat. Posito autem, vel hic vel alibi Augustinû statuisse, Christum animâ solum ad Inferos descendisse, ad hanc tamè Augustini Sententiam, cui contrariam citatis modò verbis audivimus, tam non teneremur Evangelici, quam se Bellarminus obligatum non sensit ad adprobendam Eius Explicationem ora-

culi illius Petri, quod Bellarminus dixit obscurissimum, ad hunc Articulum quam maxime pertinentis, utpotè aliquot argumentis à Bellarmino refutatam, quæ tamen ipsa suum adhuc requirunt Examen, ab Aliis jam præoccupatum, adeoque hic prolixius non repetendum. Id quod repetitâ vice intermiscet Bellarminus, Augustinum post hæc

cognovisse, Sinum Abrahae in Inferno fuisse, ex paulò antecedentibus suum accipere potest & debet responsum. De cætero ambabus quod ajunt amplectimur ulnis, quod Bellarminus in recensione testimoniorum de hoc Fidei Articulo à Patribus Græcis & Latinis suo ordine collectorum ex Augustini citatâ sapius Epistolâ adduxit: Quis nisi infidelis negaverit, fuisse apud Inferos Christum? Quod autem ex eodem addit, secundum Animam solum fuisse Eum apud Inferos, Augustino relinquimus eodem jure, quo Bellarminus Eius explicationem oraculi Petri refutandâ sibi sumit, quamvis hanc de Descensu Animæ Sententiam ex ipsius Augustini & S. Scripturæ verbis improbabilem esse sit demonstratum. Quæ præterea circa quartam hujus Articuli de Descensu ad Inferos Explicationem ex Augustini Libro de curâ pro mortuis à Bellarmino inferuntur de possibilitate præsentie in certo quodam loco præter operationem, & ipsius quoque operationis Anima extra corpus suum: item de adpartitionibus Sanctorum post mortem,

Quæst.
Evang. lib.
II. Quæst.
38.
Concord.
Evang. c.
97. P. m.
244.
Adpar. ad
Orig. Ec.
cl. num.
I. pag. 63,
seqq.

Psal. 16.

Epist. 99.
ad Evod.

1. Epist. 3.

Vid. D.
Gerh.
Comment.
h. loc. p.
479. conf.
D. König.
Vind. S.
pag. 235.

mortem, quia præcisè huc non pertinent, sed in specie ad eam Quæstionem, ubi inferius de Cultu Sanctorum agetur, eorsum quoque nunc ea inter discutienda reservantur.

Nunc pauca adhuc restant ex ultimo capite tribus tantum verbis tangenda, ne quid planè prætermisum maneat. Aliquot adpendicis loco Bellarminus proponit dubia, circa quorum ventilationem hic & ibi occurrit mentio Augustini. Et circa primum quidem dubium, *Ad quæ Inferni loca Christus descenderit*, monet Augustinum docuisse, *Christum descendisse ad ea Inferni loca, ubi erant dolores & tormenta*, nulla tamen tormenta, nullosque passum dolores, quod circa secundi dubii tractationem Evangelicis consentientibus defendit Bellarminus. Ad tertium verò, *Quid Descensus Christi contulerit animabus Iustorum*, dum Augustinus scribit, *nondum se invenisse, quod contulerit*, & Bellarminus præmissio Thomæ responsio sibi non sufficienti statuit, *Augustinum ita scribentem nondum cognovisse, ubi fuerit Sinus Abrahæ, inque eam partem fuisse propensum, ut non esset in Inferno, & propterea hoc manente dubio Eum merito dixisse, nondum potuisse se intelligere, quid descensus Christi ad Inferos iustis contulerit*; facilè videt Lector, quam ad incitas redactus fuerit Bellarminus, id de Augustino sentiens, cuius contrarium paulò ante ex aliquot Eius testimoniis ostensum fuit, *Insensio etiam Gandavense id vi Veritatis agnoscente*. Circa quartum, quod superest, dubium, *An præter animas Iustorum, quæ erant in Sinu Abrahæ, aliqua alia sint liberatæ*, etsi apud Evangelicos neque hoc, neque illud in quæstionem veniat, sed utrumque æqualiter repudietur; quia tamen in ejus resolutione Augustini intermixtam voluit auctoritatem Bellarminus, prætermitti omninò non potest aut debet. Distinguit autem inter animas Gehennæ & Purgatorii. De illis monet, *Philastrium & Augustinum in de Hæresibus, hæresin esse dicere, si quis adserat, ullos in Inferno impios Christo prædicante conversos esse & salvatos*, quod hæc tenus contra Evangelicos non est. De his autem dubitanter loqui videtur, ut magis in benigniorem inclinans Sententiam, quam confirmari posse existimat iis Augustini verbis, quæ ex laudatâ sæpius Epistola superius jam fuere proposita, quibus Pater Sanctus verba Petri de solutis Inferni doloribus intelligi posse scripuit etiam *de iis doloribus, quibus Ipse Christus teneri non poterat, sed quibus tenebantur alii, quos Ipse noverat liberandos*: ubi quia Bellarminus putat *Augustinum non loqui de animabus Sanctis*, quæ erant in Sinu Abrahæ; nec de animabus impiis, utpotè quas absurdissimum existimabat fuisse Christo ad Inferos descendente conversas; restare, ut loquatur de animabus, quæ adhuc purgatorias luebant Pœnas, quas tamen pœnas, quia suo infraloco demonstrandum erit, Augustinum constanter non agnovisse, per se cadit, Eum hic eas intelligi voluisse; ut non prolixè repetam, quod supra jam monui, Augustinum hanc verborum Petri explicationem non tanquam omninò certam & indubiam, sed possibilem suâ Sententiâ, & ut hodiè loqui amant, probabilem Lectori exhibuisse, quam si hodiè viveret, certò certius quam-maximè improbabilem haberet, & sine dubio repudiaret.

LIBRI QUINTI,

DE

CHRISTO,

CAPVT TERTIVM & seqq.

DE

Christo Mediatore.

Quæ enim in duobus primis capitibus, nominatim secundo contra errorem *Stancari*, Christo opus & officium Mediationis secundum Humanam solum Naturam adscribentis, habet, quia illius erroris communio Evangelicos planè non attingit, sicco prætereuntur pede, adque eam fit accessus Quæstionem, quæ inter nos & Papistas quam-maximè est controversa, *An videl. Christus sit Mediator secundum Divinam quoque Naturam?* In cujus ventilatione etiam Bellarminus Nestorianismum, ad quem deflectere errorem *Stancari* scripsit, à se procul remotum esse velit, nimis propè tamen

tamen ad eum accedit, sicut utriusque Sententiam diligenter conferenti manifestum erit. Nunc id nobis ratione Instituti incumbit, ut videamus, num Augustinus hic etiam noster sit, an verò ex Sententiâ Bellarmini scripserit, id quod Bellarminus modis omnibus urget, producens Augustinum, non solum Verba Pauli explicantem, *Christum DEI & hominum Mediatorem* expressè *hominem* dicentis, ad exprimendum *Naturam, secundum quam Christus sit Mediator*; sed & in omnibus decem Tomis, adeòque multoties testantem, *Christum esse Mediatorem non secundum Divinam, sed humanam solum Naturam*. Prolixum horum ex Augustino testimoniorum Examen ne Lectori aliquid pariat fastidium, posset breviter fieri provocatio ad alia ejusdem Augustini testimonia, in quibus Divina etiam natura humanæ in officio & opere Mediatorio expressè adjungitur, & ita quidem, ut expressius non possit, ea in specie, quæ ipse Bellarminus capite secundo contra *Stancarum* citavit, ac eomet ipso arma nobis contra seipsum suppeditavit; quin & ea, quæ sub nomine Adversariorum sibi ipsi objecit, sufficienter ex debito ad ea respondere impotens, neque vim eorum distinctione inter Suppositum vel Personam, & Principium formale vel principium Quo eludens; non quasi distinctio hæc in Articulo de Personâ Christi locum non haberet, sed quia in præsentî Quæstione à Bellarmino non benè applicatur. Sed ne Augustinus in gravissimâ hæc Controversiâ inconstanter suam exposuisse mentem, sibi que ipsi contradixisse vel scripsisse videatur, lubet pro concordia locorum adparenter inter se pugnantium audire celeberrimum priori Seculo, ubi hæc Quæstio quam-maximè fuit agitata, Sorbonistam *Espeuceum*, à Bellarmino forsitan idèd omissum, quia fundamentis ab Eo pro Evangelicorum Sententiâ adductis non habuit, quod opponeret. Scripsit Is inter Paralipomenâ Commentariorum in priorem Pauli Epistolam ad Timotheum peculiare de hæc Quæstione opusculum, pro more diligenter e aex antiquitate orthodoxâ colligens, quæ ad Veritatis illustrationem pertinere videbantur. Exinde nunc ea tantum placet excerptere, quæ ad Augustini mentem ritè intelligendam possunt inservire, ut noster & hic maneat. Postquam ergò aliquot ex Eo testimonia adduxit, quæ Christum juxta utramque Naturam exhibent Mediatorem, ea etiam non dissimulavit, sed candidè subjunxit, quæ pro humanâ solum Naturâ videntur militare, his postmodum pro eorum conciliatione additis: *Verum, quid Ego, amice Lector? Actumne ago, an factum potius infectum facere curo? Si, quæ destruxi, ait Apostolus, iterum hæc ædifico, prævaricatorem me constituo. Ego quoque contra, si, quæ construxi, eadem destruo, colludo, an prævaricor? Tantâ ante testimoniorum mole Mediatorem ut DEUM-Hominem ereximus, & nunc tantum ut hominem, non etiam Deum, dejicimus? Et hæc illa est Helena, propter quam mirati sumus, aliquos tam acriter dimicare, esse nimirum, qui Mediatorem DEI & hominum Christum Jesum secundum humanam tantum Naturam esse dicebant, que adeò præfractè & mordicus tueantur, ut tecus sentientes, & Mediatorem juxta utramque simul Naturam, Divinam atque humanam defendentes, Arianismi & id genus in Deum, Filium Dei hæresium infumulent. Sed ita sanè res habet & in aliis quoque Articulis peræquè (si non multò plus) peremptoriis & capitalibus. Qui semel ab aliis recesserunt, non longè post solent à seipsis secedere; homines nimirum ita sibi sapientes, ut reliqui eis desipiant, quotquot non cum illis per omnia & in omnibus sentiunt. Præstabat utique Augustinum Augustino, nedum cæteris, conciliare, quam committere vel collidere. Cum igitur de Mediatione hic loquamur, non patienter tantum, aut ad Mortem usque & mortem Crucis obediens; sed victoriosâ, hoc est, tot victoriarum, nimirum contra Diabolum, peccatum, carnem, mundum, mortem, inferos reportatrice, sic Mediatorem sentimus, non magis hominem sine Deo, quam sine homine Deum esse, fore vel fuisse. Sic inquam sentimus, vel potius cum omnibus totius retrò Ecclesiæ Patribus consentimus, quibuscum nobis sunt communes de hoc Sensu & consensu rationes. In specie Augustinum quod attinet, hæc de Eo post aliâ qua objicit: At videtur Augustinus sic adserere Mediatorem Christum quatenus hominem, ut neget esse quatenus Deum. Respondet. Conciliandus erat sibi Vir tantus, non objectandus, ut sic & aliis quoque Pastoribus atque Doctoribus conveniret; & ex tam multis Ejus locis, quàm multi alterius neminis sunt, pauciores ex pluribus concordandi, non verò à paucioribus contra plures standum, Adserit igitur Augustinus Mediatorem Christum sic quâ hominem, ut non fuerit Mediator futurus, nisi vel priusquam homo. Agnoscimus id & exponimus ut supra, Mediatorem futurum non fuisse, neque talem dicendum aut prædicendum, nisi quâ hominem vel jam factum, vel olim*

1. Ti.
moth. II.

olim promissum; eadem enim est Fides Patrum in venturum, & nostra in eum, qui venit, Mediatorem Christum Jesum. Negat idem Augustinus Mediatorem eundem esse quàm Deum. Et hoc quoque agnoscimus, sed & exponimus, negari ab eo, & sicubi idem alii negare videntur, Mediatorem quàm Deum, purum scilicet ac nudum Deum, nec actu nec respectu hominem factum aut faciendum, sed sic in unâ suâ, hoc est, Divinâ, ac proinde impeccabili, impatibili, immortalî naturâ consideratum, ut alteram, hoc est, humanam Naturam, peccatrici similem, patibilem, mortalem, non vel jam susceptam, necque personaliter habere, vel post suscipiendam uniendamque habiturus, consideraretur. Quæ expositio & conciliatio ἀποκατάστασις & in speciem pugnantium Scriptoris hujus locorum adeò non est violenta, sed de ipsius Mente, ut, præterquam quod in locis posterioribus passim Divinitatis meminit, ut ad Mediatoris rationem concurrentis, uno & eodem loco videatur posuisse, Mediatorem utràque naturâ consistare, & sic tamen Mediatorem quàm hominem, ut non sit quàm Deus. Ita enim Augustinus: *Si omnes homines, quamdiu mortales sunt, etiam miseri sint necesse est, quærendus est, qui non homo solum, verum etiam Deus sit, ut homines ex mortali miseria ad beatam immortalitatem hujus mediæ beatæ mortalitatis interveniendo perducatur, quem neque non fieri mortalem oportebat, nec permanere mortalem. Mortalis quippe factus est, non infirmatâ Verbi Divinitate, sed carnis infirmitate suscepta. Non autem permansit in carne mortalis, quam resuscitavit à mortuis; quoniam ipse fructus est Mediatoris hujus, ut nec ipsi, propter quos liberandos Mediator effectus est, in perpetuâ vel carnis morte permanerent.* Proinde Mediatorem inter nos & Deum & mortalitatem habere oportuit transeuntem, & Beatitatem permanentem, ut per id quod mansit, congrueret morituris, & ad id quod permanet, transferretur ex mortuis. Addit Espencæus: Quid hæcenus hoc loco clarius & expressius pro Mediatore, quatenus Deo-Homine? Sequitur tamen in eodem capite mox, quod specie-tenus, non revera pugnet: *Ad illud unum beatificum ut perducemur, non multis, sed uno Mediatore opus erat, & hoc eo ipso, cujus participatione sumus beati, hoc est, Verbo Dei, non factò, sed per quod facta sunt omnia. Nec tamen ob hoc Mediator est, quia Verbum, quippe quod maxime beatum & immortalè longe sit à mortalibus miseriis, sed Mediator per quod homo, qui beatus & beatificus Deus, factus particeps humanitatis nostræ compendium præbuit Divinitatis suæ; quique, quando in formâ Servi, ut Mediator esset, infra Angelos esse voluit, in formâ Dei super Angelos mansit, idem in inferioribus Vita, qui in superioribus Vita.* Subjungit iterum Espencæus: Quid ergò? Tantulne Vir & ad Miraculum usque pius, diligens, acutus, non in tam multis Voluminibus, quod & homini, & adeò πολυγράφοῦ condonandum esset, sed in tam paucis versibus sibi non constaret? Absit. Quærendus est medius aut Mediator, non solum homo, sed etiam Deus; & uno Mediatore opus erat, Dei Verbo. Ergò de ratione Mediatoris est etiam Divinitas, non duntaxat Humanitas. Sed subjicit, videl. Augustinus: *Non quia Verbum, Mediator, sed quia homo.* Respondet Espencæus: Dixit & hoc quidem, neque tamen vel sibi vel nobis contradicit; sed perinde dixit, ac si ita dixisset, Mediatore opus fuisse, Dei Verbo, non quàm Deo nudo & Spiritu simplice, sed quàm Verbo Dei, Deo carne factò, Deo carne humanâ vestito, incarnato & incorporato. *Hæc omnia eruditissimus pariter & in plerisque sincerissimus Sorbonista pro Augustini & Evangelicorum Sententiâ quam maxime orthodoxâ, quæ si Bellarminus seridè ad animû vocasset, utpotè sibi etiam præscripta, multa in hæc Quæstione aliter scribere potuisset & de jure debuisset, nisi voluisset premere vestigia Vasquezii, inter Scholasticos hodiè subtilissimi, qui, mirum, scribere non erubuit, Espencæum hoc ipso loco, ex quo hæc sunt descripta, ostendisse, Christum non esse Mediatorem secundum Divinam Naturam, quamvis id obscure explicavit; & tamen ex iis, quæ præmonuerat, sequi statuit, Non solum sine errore, sed etiam necessariò secundum Fidem Catholicam ratione Communicationis Idiomatum de utràque Naturâ conerere significatâ prædicari nomen Sacerdotis & Mediatoris, quod satis orthodoxè Scriptum est, modò etiam orthodoxè intelligatur. His si addantur, quæ Gregorius de Valentia, Scholasticorum non ultimus circa hanc Quæstionem & Augustini in Ejus decisione auctoritatem monuit, ad rem nihil super amplius erit. Scribit is de Thomâ, Eum, ut probet, Christum fuisse Mediatorem tantum ut hominem, hoc uti testimonio Augustini, quod ab Espencæo prolixè vindicatum legimus. An perpetua hæc & constans fuerit Thomæ Sententia, nunc dispiciendi locus non est, postquam nuper modò in Vindiciis Evangelico-Thomisticis id fuit expensum. Valentianus autem etsi concedat, uno quodam sensu certissimam esse hanc Thomæ Sententiam, fatetur tamen se non adsequi, quo modo*

lib. 9 de C.
D. c. 15.in III par.
tem, Disp.
83, c. 3.de Christo
redemt. &
Mediat.
Part. II.
cap. 4.

modo probationes, quibus utitur Thomas, id quod vult, satis efficiant. Augustinum in specie eo in loco, non velle, Christum fuisse Mediatorem tantummodo ut hominē, sed etiam ut hominē, NB. non modo ut Deum. Addit post aliqua, esse hanc Sententiam Sanctorum Patrum, qui vel hinc maxime præstantiam Mediatoris Christi commendent, quod naturam utriusque extremi, id est, Dei & hominum Ipse habuerit. Et iterum aliquibus interjectis repetit, ex communi & orthodoxâ Patrum Sententiâ dici debere, Mediatorem Christum fuisse non tantum ut hominem, non tantum ut Deum, sed conjunctim ut Deum & hominem. Insuper & illud post quædam observat, Quod si qui Patres Verbo Divino etiam ante, quam adsumsisset humanam naturam, Mediatoris adpellationem tribuunt, Mediatorem sic vocant, non quia Mediatoris munus obierit ante Naturam adsumtam, sed quoniam aliquando certe Verbum Divinum id muneris in adsumtâ naturâ obiturum erat. Tandem ubi ostendit, quo modo Christus ut Deus & homo conjunctim fuerit Mediator, scilicet, quatenus utraque Natura alio atque alio valuit modo ad ejus functionis efficaciam, denuò subjungit, hanc esse Sententiam Patrum & maxime Augustini, inter alia hunc in modum scribentis: *Idem Christus Mediator Dei & hominum dictus est, inter Deum immortalem & hominem mortalem, Deus & homo, reconcilians hominem Deo.* Adde alium æque illustrem locum, à nullo citatorum, si rectè memini, observatum, ubi Doctor augustus rotundè totum hoc explicat negotium: *Ita inter Deum & homines Mediator apparuit, ut in unitate personæ copulans utramque naturam, & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret.*

Lib. 1. de
Conf. Ev.
ang. 435.

Epist. 3. ad
Voluf.

CAPUT NONUM ET DECIMUM,

De QUÆSTIONE,

An Christus sibi etiam aliquid meruerit?

Scribit quidem audacter Bellarminus, convenire Doctores apud Magistrum inter se, atque uno consensu docere, Christum præter ea bona, quæ suis laboribus peperit nobis, sibi etiam corporis gloriam & Nominis exaltationem meruisse; è Patrum antiquorum choro insuper addens Augustinum, hæc inter alia scribentem: *Humilitas claritatis est Meritum, Claritas humilitatis est premium.* At post alios, Radam in primis, non ita dudum observavit Morandus, Veronensis, Clericus Regularis, non convenire Doctores inter se, nec uno consensu idem docere. Hinc non tantum, ubi agit de potentiâ absolutâ, nimirum an Christus poterit mereri suam Beatitudinem, omnem Gratiam & Habitum omnes supernaturales, expressè nominat Pasqualigum hoc negantem & alios pro se Theologos citantem: *Ragusæo in contrarium adfirmante & scribente, nullum id Theologorum negare, sed & ubi de facto hanc Quæstionem explicat, eamque adfirmando proponit, concedere cogitur, existimari contra communem apud Vasquezium, Svarezium, Tannerum, Becanum, Lugonem, alios, quorum instantiis in contrarium respondere conatur, quo cum successu, aliorum esto judicium.* Quamvis autem de Gloria corporis & proprii Nominis exaltatione, de quâ in specie Bellarminus agit, nullum planè dubium superesse existimet, multum tamen falsus per ea, quæ laudatus Scoti Patronus Rada in hujus Quæstionis tractatione adducit, in primis ad Scotum Doctorem provocans, qui solus opinionem contrariam juxta hodiernam Moralistarum procedendi methodum facere potest probabilem, si non omninò probabilissimam. Augustini auctoritatem à Bellarmino laudatam quod attinet, etsi vocabulum *meriti* ab Eo adhibetur, adpositum tamen *premi* vocabulum ita illud temperat & emollit, ut Augustinus *meritum* propriè & in rigore ita dictum intellexisse, vix ac ne vix quidem dici possit aut debeat, quod inferius porro docebitur, ubi de operum bonorum Meritis erit agendi locus.

Appendicis loco ad Controversiam hanc tertiam non immeritò refertur Quæstio de *Fine incarnationis*, cujus incidenter tantum Bellarminus mentionem facit in ultimo capite, de quâ actum quoque est in *Vindiciis Anti-Thomisticis*, hic ideo non prætermittenda omninò, quia Augustini auctoritas hic in primis vindicanda venit, quâ abutuntur ut plurimum, qui in Scoti castris militant. Eminent inter recentiores hoc singulari studio agentes præ pluribus aliis Matthias Hauerius, ordinis Francisci, qui in Tomi posterioris *Collationum Theologicarum* parte priori sic format & proponit Quæstionem: *Quenam fuerit causa finalis, sine quâ non fuisset Incarnatio Filii Dei?* Ea autem ne videatur purè Scholastica, de quâ in utramque partem securè & absque præjudicio Veritatis orthodoxæ possit disputari, & quasi perindè sit, quam quis amplectatur Sententiam,

pag. 261.
& seqq.

tiam, sic de eâ censet ac scribit: *Hæc Controversia Scholastica tanti est momenti, ut ab eâ dependeat tota series Doctrinæ de Prædestinatione & Gratia Christi seu per Christum*; in quâ Thomas cum suis sustinet, redemptionem generis humani per debitam Satisfactionem fuisse causam finalem sine quâ non Incarnationis, & Scriptura Sacra non solum tribuit illam huic causæ finali, sed etiam soli, exclusivè aliis, prout exponit Augustinus scribens: *Si homo non periisset, filius hominis non venisset.* Et, *Nulla Christo causa fuit veniendi, nisi peccatores facere salvos.* In resolutione ejus mentem suam sic exponit *Collator Scotticus*: Incarnatio Filii Dei fuit absolutè intenta, decreta, prædestinata ante omnem permissionem & prævisionem ullius peccati futuri vel non, ad majorem gloriam Dei & Christi, ex operis tanti perfectione, ut Christus esset caput omnium creaturarum, specialiter rationalium & tandem beatorum; sed ex permissione & prævisione peccatorum hominum fuit modificata, qualificata, ordinata & relata ad eorum redemptionem per condignam satisfactionem in statu passibili & mortali. Hanc Sententiam probaturus è Scripturâ, adducit primò locum è Sapientia libro, ubi dicitur *invidia Diaboli mors introiisse in orbem terrarum*, hæc additâ applicatione: *Quid autem homini potuit invadere, nisi tantam Gratiâ & gloriam unionis hypostaticæ, quam ipse potuit concupiscere ante omnem lapsum, videturque Augustinus id sæpius supponere, citatis aliquibus locis hanc in rem. Deindè provocat ad testimonium ex libro Proverbiorum, ubi Sapientia introducitur loquens sequentibus verbis, Dominus possedit me initio viarum suarum ante &c.* Subjungens, Augustinum sæpè hæc interpretari de *Incarnatione & Christo*. Præter hæc idem demonstrare laborat ex Sanctis Patribus, de quibus observat, quod quamvis, ut tota Scriptura Sacra & omnia Fidei Symbola, commendent & inculcent fidelibus Christi humilitatem & Charitatem, quâ pro peccatoribus concipi, nasci, & Mortem Crucis pati dignatus est, nunquam tamen restringant Incarnationem Christi ad hunc solum finem sine quo non, nisi Augustinus fortè, quem tamen hujus Controversiæ arbitrum ultrò suscipimus suspicimusque. Hujus rei causa ubi quædam ex Augustino adduxit, ita tamen generalia, ex quibus nullis extorqueas fiducias, quod demonstrandum est, hæc porro monuit de Eo, *quod nimis sæpius supponat, Deum providisse & præposuisse huic Universo aliquam rationalem creaturam omni modo possibili impeccabilem, ne hoc quasi cardine hujus universi inverso totus orbis perturbaretur.* Atqui, sic pergit & subsumit *Collator*, convincit recta ratio, nullam creaturam puram potuisse impeccabilem esse, multò minus præponi Christo. Ergò, sic concludit, ex hoc Augustini principio Deus ab æterno providit & præposuit Christum in caput & cardinem totius universi cujus solius impeccabilitate subsisteret, & per quem solum posset restitui, si ab ordine & fine debito deficeret. Idem Augustinus alibi commendat & inculcat summam illam Gratiâ, summeque gratuitam, nec ullis comparabilem Meritis, quâ Natura Christi humana fuit assumpta ad unionem hypostaticam, sine relatione ad ulteriorem effectum & finem. Ergò, inquit iterùm *Collator*, censet Augustinus, tantam fuisse Gratiâ à Deo intentam & decretam propter se, non autem ob solam redemptionem peccatorum. Idem porro in opere contra Julianum & alibi sæpius profertur, *omnia bona opera esse ad Deum referenda*, esseque meliora, quo perfectius referuntur ad Eum. Atqui, quæ itidem *Collatoris* est subsumtio, unio hypostatica est opus omnium optimum atque perfectissimum, Ergò Deus, qui omnia operatur propter semetipsum, non potuit efficaciter illud velle & operari, nisi propter seipsum, quia solus Deus est finis melior unionis hypostatica. Idem præterea sæpè proclamat, Christum esse caput & exemplar omnium electorum, comparans omnes simul, tam Angelos, quam homines uni corpori naturali vel politico, ex pluribus membris vel statibus eidem capiti aut Principi Christo subordinatis, non ut electo ab inferioribus, nec propter illos, sed à solo Deo, &c. Idem in *Retractionibus* expresse supponit, sine originali peccato nascituros fuisse homines usque ad certum numerum Sanctorum, quem Deus prædestinaverit; item alibi supponit aliquam secretam dignitatem eorum, qui vocantur, ex prædestinatione, ante massam peccatorum, ergò etiam supponit, quæ subsumtio & conclusio est *Collatoris*, prædestinationem humanæ Naturæ ad unionem hypostaticam in caput prædestinatorum ante permissionem ac prævisionem originalis peccati. His prolixius deductis, ubi respondendum fuit ad objecta ex Sententia Thomæ & sequacium, præter pauca quædam, quibus Scripturæ dicta eludere conatus est, monuit expresse, *totam difficultatem esse de sensu Augustini*, quasi Christus alia de causâ non venisset, nec venturus fuisset, ita scribens: *Augustinus non negat, Incarnationem fuisse futuram, sed, Christum ut JESUM fuisse*

fuisse venturum in hunc Mundum, nisi ad salvandos peccatores. Nam Christus propriè significat Personam Naturæ Divinæ & humanæ, sed Jesus significat Salvatorem seu officium salvandi peccatores. Aliud est etiam venire in hunc Mundum, quàm incarnari; nam per hunc Mundum significatur status communis hominum mortalium. Non venisset ergò in hunc Mundum, seu ad hunc statum mortalem, nisi ad salvandos peccatores à misero statu culpæ & pœnæ. Nam ex vi unionis hypostaticæ humana Christi natura fuisset semper gloriosa corpore & animo, sed suspendit seu contulit gloriam corporis ad salvandos peccatores. Et quia locus corporum ordinarius est secundùm perfectionem eorum, locus corporis Christi ut hypostaticè uniti proprius erat Cælum potius, quàm hic Mundus inferior, cum ille sit locus, in quo beatificantur à Deo spiritus & animæ in suis corporibus gloriosis. *Et post plura, Itaque singula Pauli, & ex Eo Augustini verba singulas conterunt responsiones. Christus, ergò supponit, futurum fuisse; IESVS, id est, ut Salvator; non venisset, ullatenus ut viator; in hunc Mundum, id est, in hunc statum & locum Mortalitatæ & miseræ, quia nec fuisset (nimirum Jesus,) sicut nec descendisset in infernum, si nulli inde fuissent salvandi, & tamen fuisset incarnatus &c. Quia verò scivit*

cap. 100.

non permittere ullum malum, nisi ad eliciendum majus bonum, undè videtur sequi, Deum ergò non permissurum fuisse ex Augustini Sententia lapsum totius humani generis, nisi ad bonum unionis hypostaticæ, quia non possit esse aliud bonum majus tanto malo; ideò respondit *Collator*, Deum (quidem) non permittere ullum malum, nisi ad majus bonum, sed bonum cujusvis Meriti & satisfactionis Christi majus esse malo culpæ & pœnæ Adami & totius posteritatis ejus. *Atque hætenus Collator ad hanc Questionem quasi ex Augustini Sententia, de cujus labore si candidè licet promere judicium, videtur ludere in re leria, quàm ipse agnovit maximi esse momenti, de quâ fundamentales dependant articuli. Diffidere autem videri possim Lectoris candidi & Veritatis studiosi iudicio, si prolixum harum inanitatum susciperem Examen, cum pleraque ita sint comparata, ut quivis Augustini ex oraculis Scripturæ Sententiã ritè percipiens facile possit animadvertere, quàm perverse omnia hic agantur, & quàm peregrina mens ut plurimum Doctore Sancto adtingatur. Fontes responsionum è Sæctoribus Thomæ largiter post alios nuper suppeditavit *Ioh. Baptista Gonetus*, in quarto *Chypei Theologia Thomistica* contra*

pag. 446.

Sententiæ videtur favere, quem à *Collatore* prætermisum esse miror, additã tamen sufficienti explicatione. Est autem desumptus ex opere de *Nuptiis & Concupiscentia*, ubi docet

L. 1. c. 21.

Augustinus, *Matrimonium in Statu Innocentiæ signum fuisse atque Sacramentum conjunctionis Christi cum Ecclesia.* Ergò, quod sequi videtur, existimavit Augustinus, Christum nullo existente peccato venturum, aliàs Sacramenti significatio tunc vera non fuisset. Ad hoc testimonium dicit, plures è Thomisticis quidem respondere, Augustinum velle, solum in illo statu conjunctionem Viri & femine signum fuisse conjunctionis Christi cum Ecclesia, non actualiter, sed aptitudinaliter, id est, aptitudinem habuisse ad talem significationem. Sed quia hæc interpretatio ei non videtur ad mentem Augustini, ideò subjungit, *melius responderi juxta Augustinum, Matrimonium in statu Innocentiæ fuisse quidem de facto signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, ex eo tamen non sequi, Christum Adamo non peccante venturum, quia licet bonitas prædictæ significationis perfectè conveniret Nuptiis ante peccatum Adami actu perpetratum, non tamen ante præscientiam & decretum illius permissivum. Fuit enim, inquit, Matrimonium à Deo institutum conjunctionis Christi cum Ecclesia signum, in signo posteriori post peccatum prævisum; nam in priori solum fuit institutum in officium naturæ. Num hæc etiam responsio sufficiat, aliorum esto iudicium. Satis autem hoc esse potest, ut Scotistæ Augustini auctoritatem eripuerit Thomista, qui de cætero, ut monui, in hujus Questionis discussione prolixissimã ad communioris Sententiæ defensionem ea adnotavit, quæ ad hominem disputanti quam maximè inserviunt, imò contra eos etiam, qui non præterito tantùm Seculo, sed & hoc ipso inter Scoti tenebras versari, ad minimum dubitare, quàm certi quid adserere, tanquam de Questione problematicã, maluerunt; ut taceam *Socini* & sequacium errores, quibus itidem libuit, has Scholasticorum quorundam subtilitates sibi communes facere, ut habeant quid singulare contra receptam in Ecclesia ex auctoritate Biblicã Sententiã, quod in aliis etiam pluribus Fidei Christianæ capitibus, cum ipsius fundamenti læsione, imò plenaria ejusdem concussione sunt conati.*

Vid. Carol. Harmon pag. 1007. & seqq.

Controversiæ Tertix,
 DE
SUMMO PONTIFICE,
 LIBRI PRIMI,
 DE
MONARCHIA ECCLESIASTICA,
 CAPUT SEPTIMUM,
 DE
Regimine Secularium in Ecclesiâ.

M

Uta quidem Bellarminus habet in primis sex capitibus, de Statu Monarchico in genere, & in specie de Monarchiâ Ecclesiast. vel de Monarchico Ecclesiâ gubernandi modo, examine & quidem rigoro dignissima, quæ tamen idè hic prætermittuntur, quia usque ad hoc septimum caput Augustinus nullibi pro teste legitur citatus, nulla quippè suppeditans arma, quæ causam à Bellarmino susceptam juvare & unâ cum aliis

defendere possent, donec videlicet deventum est ad eam *Quæstionem, An Ecclesiasticum Regimen esse debeat vel possit penes Principes etiam Seculares?* Id sicut præfactè & omni modo negat Bellarminus, ita Augustinum sibi consentientem adducere non dubitavit, qui tamen, ut proximè videbimus, Evangelicorum de hâc Controversiâ Sententiam insigniter explicavit. Videamus tamen, quid Augustinus dixerit vel scripserit, quod sibi in tem suam inservire existimavit Bellarminus. *Primum* est, quod Verba Regii Vatis Ecclesiâ Messæ Spontam in Spiritu præcinentis, Eiusque Beneficia præsignificantis, *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos Principes super omnem terram*, ita interpretatus legatur Augustinus, ut per Patres intelligat Apostolos, per filios autem Episcopos,

tanquam *Principes super omnem terram*. Atqui non video, quid indè Bellarminus pro exclusione Principum Secularium à regimine Ecclesiastico velit concludere; ut non dicam, ipsum postea Bellarminum Comment. h. l. aliter hæc Davidis Vaticinium explicasse, & per Patres quidem intellexisse Patriarchas & Prophetas, per filios autem Discipulos & Apostolos Christi, ad quem modum alii etiam interpretantur. Ubi si Bellarminus vel ex suâ, vel Augustini Sententiâ, à primo Ecclesiæ N. T. statu ad statum Ejus communem & perpetuum velit argumentari, valdè sit dubitandum, an vim habitura sit hæc argumentandi ratio; quamvis, ut jam dixi, hæc sive Apostolorum, sive Episcoporum hic & ibi ab eis institutorum tanquam principum spiritualium positio non sit omnimoda exclusio Principum Secularium, etiam infidelium, ab omni regimine Ecclesiastico, ut inferius ex ipsâ Apostolorum doctrinâ manifestum erit. *Secundum*, quo Bellarminus suum adjuvante Augustino scopum adsequi se posse existimavit, illud est, quod statueretur, *Mosen fuisse Sacerdotem, eâ ratione, quia maximus fuit, & nihil majus sit Sacer-*

dote. Verùm sicut ipse argumentandi modus, quem Bellarminus adscribit Augustino, tam auguste Patre indignus est, ita superius jam ad tertium Tertii de Scripturæ Interpretatione Libri caput ex *Muisio*, Interprete Pontificio fuit ostensum, non Aaronem solum, sed & insuper Samuelem à Davide pariter & Augustino dictos fuisse Prophetas, & in hoc tam Augustino quam Davidi, si idem Vocabuli significatus obrineat, à Bellarmino diversis quatuor rationibus esse contradictum, hæc observatione additâ, etiamsi demonstrari posset, Mosen fuisse Sacerdotem propriè dictum, & quod contendit cum aliis Bellarminus, maximum, non tamen stringens sumi posse argumentum à statu illo publicæ Rei Ecclesiasticæ tum temporis planè extraordinario, & qui unius tantum fuit populi & gentis in unâ tantum Mundi parte degentis, utut circumquaque inter omnes ferè gentes quam notissimæ, ad ordinarium Ecclesiæ N. T. per universum orbem terrarum dispersæ statum, tot intercurrentibus ex omni parte difficultatibus, & tam multis

Psal. 45.

in Psal. 98.
vel 99.

M. Co-
rinth. 4.
Lib. 9.
Confess.
c. ult.

disparitatibus, quæ nullam planè comparationem admittunt, inque unum eundemque nondum redigi potuerunt ordinem. *Tertium* succedit ex Augustino contra Secularium in Ecclesiâ regimen vel dominium, quod Bellarminus responsi loco exhibet ad objectionem, quod Episcopi à Paulo dicantur *Servi Ecclesiæ*, nimirum diverso respectu dici & esse servos & Dominos, Augustino has ad Deum fundente preces: *Inspira Domine servis tuis, fratribus meis, filiis tuis, Dominis meis, quibus voce & corde & literis servio*. Ubi Bellarminus extra omnem controversiam putat esse positum, eosdem hic esse & servos & fratres, & filios pariter & Dominos; cum tamen mens Augustini omninò sit concipienda, Eum per servos DEI quidem & suos fratres intellexisse omnes eos, qui propriè Ministri Ecclesiæ & Dei dicuntur, per filios autem Dei & suos Dominos ad imitationem Styli lacri Principes & Magistratus Seculares, quos exemplo & mandato Pauli suos omni jure dixit Dominos, Divinæque Protectioni debitâ Devotione commendavit. Accedat *quartum*, quo ex Augustino Regimen Ecclesiæ soli Ecclesiastico Statui remotis Secularibus adscribendum esse defendit Bellarminus, quia *Reges & Principes non solum Viri, sed & Fœmina esse possunt, at non solum fœminis, ne publicè doceant, Apostolum prohibere, sed & Augustinum inter hæreticos numerare Pepuzit as vel Pepuzianos, qui fœminis Sacerdotium attribuerint*. Sed abludivit hoc à Statu Controversiæ, cum Evangelicorum nullus ordinarius docendi Ministerium in Ecclesiâ Magistratui Politico competere hætenus scripserit aut docuerit; ordinarium dico, quia id, quod extra ordinem fit, inque casu necessitatis, quæ juxta commune Proverbium legibus caret, hic respici non debeat. *Quintum* superest, quod Bellarminus ad suam thesin defendendam contra Evangelicos ex Augustino adfert, agnoscens, Eum docere quidem, nec uno in loco, *piorum Regum munus esse, Ecclesiâ defendere, severisque Legibus ac penis blasphemos, sacrilegos & hæreticos ab Ecclesiâ damnatos coercere; sed & ibidem reprehendere Donatistas, quod causam Episcopalem non ad Co-Episcopos, sed ad Regem terrenum detulissent judicandum*. Atqui si Regum & Principum secularium munus est, Ecclesiâ defendere, & præter alios inprimis hæreticos ab Ecclesiâ damnatos coercere, nemo non videt, multa hic requiri, quæ ad regimen Ecclesiæ ad minimum indirectè non tantum videntur pertinere, sed omninò & quam maximè pertinent. Ut enim defendant Ecclesiâ inprimis per coercionem hæreticorum, qui ut plurimum non in auditorum, sed Doctorum numero sunt, opus est, ut debitam & in receptione eorum adhibeant diligentiam, ne lupi pastorum loco ovibus Christi merito redemptis præponantur, & in toleratione eorum solliciti sint, ne quod non semel accidisse trilitis testatur Experientia, ipsi Pastores mutantur in Lupos aut turpes Mercenarii fiant, quin & in falsis insipidi remotione ita procedant, ne totum Ecclesiæ systema ullum exinde patiatur damnum, vel si adfectus privati intercedant, gravius aliquod Scandalum. De cætero, non simpliciter reprehendit Donatistas Augustinus, quod Cæcilianum, tunc Ecclesiæ Carthaginensis Episcopum apud Principem Constantinum accusaverint, sed, quod ex Epistolis à Bellarmino citatis, & duobus quidem prioribus, ultimo causam compendiosius exhibente, patet, certis quibusdam de causis, nimirum, quæ ipsissima Augustini sunt verba, quia *innocentè, sicut existimamus, inquit, & sicut ipse judiciorum exitus docuit, calumniosè adpeti verunt, quo quid sceleratius ab eis fieri potuit?* Ea præter idè etiam in Donatistas id reprehendit Augustinus, quia dum in hæc ipsâ Donatistarum causâ Augustinus cum cæteris in Africâ Episcopis necessitate ductus auxilium Imperiale imploravit, Donatistæ id iniquius interpretati tanquam rem malè factam acculaverunt, id quod proximè ibidem sequentia Augustini Verba exhibent: *Si autem, sicut falsò arbitramini, verè criminiosum, scilicet Coecilianum (NB. conditionaliter hæc scripsit Augustinus) terrenis Potestatibus judicandum tradiderunt; quid nobis objicitis, quod vestrorum præsumptio primitus fecit? Quod eos non argueremus, quia fecerunt, inquit porro de Donatistis Augustinus, si non animo invido & noxio, sed emendandi & corrigendi voluntate fecissent. Vos autem indubitanter arguimus, quibus crimen videtur, de inimicis nostræ Communionis Christiano Imperatori aliquid conqueri. Neque hoc satis erat, sed idè etiam insuper Augustinus Donatistas in hoc negotio reprehendisse legitur, & quam maximè quidem, quia, quæ iterum Augustini ibidem verba sunt, apud Imperatorem ultrò Coecilianum accusaverunt, quem prius apud Collegas transmarinos convincere debuerunt, Imperatore ipso longè ordinatus agente, ut Episcoporum causam ad se delatam ad Episcopos mitteret; nec videli Donatistæ pacem cum fratribus habere voluerunt, sed rursus ad eundem venerunt Imperatorem, rursus non Coecilianum tantum, verum etiam datos sibi Episcopos judices apud terrenum Regem accusaverunt, rursus ab alio Episcopali Iudicio ad eundem Imperatorem adpellaverunt,*

nec eo ipso inter partes cognoscente ac judicante vel Veritati vel Paci cedendum esse duxerunt. Satis certè caularum ex his, & quæ ibidem porro prolixius leguntur, Augustino fuit, Donatistas acriter & vehementius reprehendendi, cum tot hic concurrant crimina, quæ rem eorum, et si (quod non erat) bonam, in ipso agendi & eam defendendi processu, non nisi pessimam & omni modo suspectissimam facere potuerunt. Videre autem licet exindè, quam jejunè, imò quam impertinenter, si non simul etiam malitiosè, hanc Augustini reprehensionem Bellarminus adduxerit, ut regimen Seculare ab omni regimine Ecclesiastico tam augusti Doctoris autoritate excludat, cum si rem æquâ lance, ut par & justum est, perpendamus, nihil minus in laudatâ Augustini reprehensione, imò contrarium potius inveniatur, præprimis si cætera etiam accuratius attendantur, quæ in utroque Epistolio Sanctus Pater gravissime & prolixissime monuit, undè ad ejus illustrationem, quod ad primam ex Eo adlegationem à Bellarmino in hac Controversiâ factam, de differentiâ primi & secuti post Ecclesiæ N. T. plantationem temporis monitum est, sequentia quam-accommodatissimè quadrant: *Quod dicunt Donatista, qui contra suas impietates nolunt justas leges constitui, non petiisse à regibus terra Apostolos talia, non considerant, aliud tunc tempus fuisse, & omnia suis agi temporibus. Quis enim in Christum crederet Imperator, qui Ei pro Pietate contra impietatem leges ferendo serviret.* Et post aliqua, explicans illud Davidicum, *Servite Domino in timore*, hæc egregiè scripsit Augustinus: *Quomodo reges serviunt Domino in timore, nisi ea, quæ contra Domini iussa sunt, religiosè severitate prohibendo atque plectendo; aliter enim servit, quia homo est, aliter, quia etiam rex est. Quia homo est, Ei servit vivendo fideliter; quia verò etiam rex est servit, leges iusta precipientes & contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo. Sicut servit Ezechias, Lucas & Tempa Idolorum & illa Excelsa, quæ contra Dei præcepta fuerant constructa, destruendo. Sicut servit Rex Ninivitarum, universam Civitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut servit Darius, Idolum frangendum in potestatem Danielis dando, & inimicos Ejus leonibus ingerendo. Sicut servit Nabuchodonosor, omnes in regno suo positos à blasphemando Deo terribili lege prohibendo. In hoc ergo serviunt Domino Reges, in quantum sunt reges, cum ea faciunt ad serviendum illi, quæ non possunt facere, nisi reges. Est nunc Bellarminus, & quicunque partes Ejus defendendas post Erbermannum suscipere conabitur, atque dicat, Augustinum Principes & Reges seculares ab omni regimine Ecclesiastico exclusisse, Eisque solam defensionem & hæreticorum coercionem reliquisset, cum unicus hic locus, qui in Jure etiam Canonico legitur, satis superque testari possit, Augustinum non alius fuisse opinionis, quam cujus etiam hodiè Evangelici Scripturâ duce sunt Defensores. Non lubet ullam hic sectari prolixitatem, cum integri Tractatus, præter ea, quæ in Systematibus traduntur, de hoc argumento prostent, præprimis, ubi hæc Controversiâ variis animorum motibus inter reformatæ Religionis Doctores ante Annos non ita multos fuit agitata, illis in hanc, aliis in alteram partem inclinantibus, *Positio* in specie, inter suos maximo, post alios Sententiam pro Evangelicis dicente vel scribente, in eâ Dissertatione Epistolicâ, de *Jure Magistratus in rebus Ecclesiasticis*, quæ tanquam opus posthumum & ab Authore, quo ad vixit, datâ operâ suppressum, nuper modò primùm ex Autographo publicatam fuit; cui non sine insigni usu jungi potest posthumus item Grotii de *Imperio Summarum Potestatum circa Sacra* Commentarius, cum aliquo postmodum augmento Blondelli iteratò editus, ex quo illud inter cætera notatū dignum occurrit, quod ex Decretis Regni Hungariæ in rem præsentem Ei placuit adducere, nimirum Anno MDCLI (quo tamen tempore non memini celebrata esse in hoc Regno Comitia, neque inter Articulos Decretales nuper modò cum Indice recusos ulla hujus Anni extat mentio:) peculiari Decreto *vetari Ecclesiasticos contra nobiles Regni Sententiam Excommunicationis promulgare, absque scitu & notitiâ Regiæ Majestatis.* Eidem Grotio in opusculis itidem posthumis adscribitur Dissertatio quædam de *Summo Sacerdotio*, in quâ ad hanc Controversiam pertinere censet *Leges de Ecclesiis Ecclesiasticisque rebus, de Episcopis, Clericis, Monachis &c. in Codice Theodosiano, in Novellis Valentiniâni, in Codice & Novellis Justiniani, in capitulis Caroli Magni Ejusque Filiorum.* Præter Evangelicorum Theologos, qui sine numero ferè hoc argumentum peculiari- bus etiam Scriptis tractarunt, ex Jurisconsultorum ordine non ita dudum Argentinen- sis quondam Universitatis Decus, *Joh. Otto Taber* binàs de *regimine Imperantium Ecclesiastico* edidit Dissertationes, quibus multa ex Jure Civili inseruit huic Instituto quam- maximè infervientia. Sufficere hic potest iteratò indicasse, ejusdem Academiae olim in Facultate Theologicâ Decus, *D. Dorscheum* ostendisse, iisdem argumen- tis,*

Psal. II.

Sic Ecclesia
23. qu. 4.Cap. 9.
pag. 241.

pag. 298.

Conf. D.
Walth.
Quadrage.
Miscell.
p. 569.in Prode:
Anticrif.
tis, p. 38, seqq.

tis, quibus à Bellarmino indirecta Pontificis potestas in temporalia probatur, indirectam Imperatoris & cujuscunque supremi Magistratus in spiritualia potestatem posse probari. Non repeto, quæ in vindiciis Evangelico-Thomisticis ex *Cassino* de Curâ regum & Principum Ecclesiasticâ prolixius adduxi, saltem id dico, si ea addantur, quæ *Saxvedra* in Ideâ Principis Christiano-Politici sub Symbolo supra vigesimum quarto de eadem remouit, multum iuvari posse Evangelicorum Sententiam.

CAPUT NONUM,

De

Regimine Ecclesiastico, præcipuè Monarchico.

AD hujus defensionem suppetias iterum ferre invitus cogitur Augustinus, & non unis quidem rationibus & argumentis. *Primum* à similitudine Monarchiæ Angelorum ducitur, de quâ aucter Bellarminus scribit, *certum esse & exploratum, inter Angelos, præter summum Regem, Deum, unum esse, qui aliis omnibus præsit; & initio quidem hæc dignitate præditum fuisse eum, qui Diabolus nunc dicitur*, quod deducere se posse existimat ex noto Isaïæ oraculo, quo Luciferi de Cælo casus describitur, post *Hieronymum & Cyrillum Alexandrinum* in primis etiam Augustino per Luciferum intelligente Diabolum. Non prolixè examinabo ipsum hujus Bellarminianæ opinionis fundamentum, utpote quod à *Sanctio*, ejusdem cum Bellarmino religionis & ordinis Scriptore præstitum est; sed Augustini mentem tribus tantum verbis iudicabo, utpote à Bellarmino non sincere propositam, nimirum non ita crudè & nudè scribentis, hunc Luciferum ab Isaïâ descriptum esse Diabolum, sed *Prophetam sub figuratâ Principis Babylonie personâ Diabolum notare*. Hinc celebris inter suos post *Sanctium* Isaïæ Interpretes, *Gabriel Alvarez*, variorum recensens & distinguens Explicationes, Augustinum non refert inter eos, qui de solo Diabolo hoc Oraculum interpretati sunt, quos præter alios Patres, & in primis *Origenem, Eusebium & Bernhardum*, fuisse scribit *Liranum*, & è modernis *Leonem Castrum*, additque, *Vasquezium* censuisse, *esse sine fundamento istam Interpretationem*; sed inter eos, qui Sensu quidem literali regem Babylonis intelligi debere, spirituali autem Diabolo hæc accommodari posse statuunt, utpote *Basilium, Cyrillum, Hieronymum*, quos duos Augustino etiam jungit Bellarminus, alios, quorum autoritate tamen non attentâ ipse *Alvarez* eam amplectitur Sententiam, quæ unicum literalem de Rege Babylonis Sententiam admittit, ad Patrum objectam autoritatem respondens, *Eos, cum viderent, hæc Verba præcisè sumi à bene in Diabolum convenire & in Ejus superbiam, quæ causa fuit cadendi, omisâ interim aut non consideratâ personâ, à quâ, sed cui dicerentur, sine ullo literalis Sensus incommodo Sathane accommodasse*, quod ultimum an bene dictum vel scriptum sit, iudicent, qui de Sensu literalis sinceritate ex accuratâ circumstantiarum consideratione sententiam dicere didicerunt. *Secundum* sequitur, quo Augustinum in suas trahere partes studuit Bellarminus, Monarchicum Ecclesiæ regimen ab Analogiâ V. T. nominatim summo Aaronis Sacerdotio & omnium eorum, qui Aaronis in officio Sacerdotali fuere Successores deducens, quos omnes Monarchicâ autoritate olim instructos fuisse, ac Monarchicè Ecclesiâ N. T. gubernasse, typumque gessisse futuri regiminis in Ecclesia N. T. adeòque hodiernum eadem ratione Ecclesiâ esse gubernandam, statuit. Et quia fortassè negaturos quosdam putavit Bellarminus, *Sacrificia Veterum Christi Passionem & simul nostram oblationem designasse*, per quos tamen Evangelicos intelligere non potuit, utpote neutrum ex his sano sensu intellectum negantes; ideò tribus ex Augustino testimoniis id probare satagit, quæ, dum infra circa examen Sacrificii, quod dicitur, Missatici recurrent, quo intelligi debeant & possint modo, ibi explicabuntur. Illud hic tantum ea inter venit notandum, Analogiam Veteris & N. T. quam Bellarminus tam instanter urget, sine tamen Augustini autoritate & consensu, qui ad præsens Institutum quam-maximè pertinet, quin & ipsam Superioritatem Aaronis & cæterorum Sacerdotum summorum Monarchicam, ut de Infallibilitate inferius excutiendâ jam non dicam, nondum esse sufficienter demonstratam, nec à quoquam porrò demonstrandam.

Tertium nunc videamus argumentum, quo Bellarminus ad stabiliendam Ecclesiasticæ gubernationis Monarchiam utitur, desumptum à primordiis Ecclesiæ per Apostolos plantatæ, in specie, quâ facie Augustini temporibus se præbuit conspicendam, de Romanensî Principatu hoc ferentis testimonium: *In Romanâ Ecclesiâ semper Apostolicæ Cathæ-*

Cap. 14.

Lib. II. de
C. D. c. 15.Vid. D.
Franz,
Tarnov,
Glaff.

Cathedra vixit Principatus. Quia locus hic Augustini sapius in hoc negotio objici solet, non plane nullum erit operæ pretium, paucis Lectori Veritatis studioso ostendere, quid de legitimo ejus sensu statuendum, cum non uni hæc scando fuerit, an sãq; plus debito de Cathedrâ Romanensî Monarchicâ autoritate non sine animæ periculo statueri præbuerit. Id ut cognoscatur, observandum est ante omnia, de quânam re ibi Augustinus agat, ubi Romanensî Cathedrâ Principatum legitur commendasse. Nimirum scribit ibi ad aliquos Donatistarum Episcopos, quibus in memoriam revocat iniquitatem damnationis & censuræ rigorosioris in Coecilianum, Ecclesiæ Carthagenensî Episcopum latâ, de quâ ex aliis ejusdem Augustini Epistolis ad caput antecedens occasione eidem per Bellarminum oblatâ jam aliquid notatum est. Iniquitatem hujus censuræ & damnationis eo etiam in primis ostendit argumento, quod inter damnatores Coeciliani numerentur eorum quoque nomina, quos utur confessos *Traditores*, (qui, quales apud Antiquos fuerint, præter alios docet *Cerda* in *Adversariis*.) *Secundus* Tigisitanus, primatum tunc in Numidiâ gerens, (cujus etiam in eadem causâ superius peculiari Epistolio, nomine totius Cleri Hipponensî scripto fecerat mentionem) ipse etiam antehac *Traditor*, adeoque ejusdem criminis reus, & hinc etiam ad illud aliis condonandum facilius, in Episcopalibus manere permisit Sedibus, ut præ se ferebat, Deo relinquens judicandos, atque pacis intuitu, ne eorum damnatione Ecclesia scinderetur ac Schisma aliquod pati cogeretur. Detrahere huic prætextui larvam conatus in gratiam veritatis Augustinus ostendit, non tam pacis intuitu id à Secundo factum esse, sed *Eum sibi timuisse*, ne, si contra Episcopos *Traditores* Sententiam damnationis ferret, se ipsum subiceret eidem censuræ, cum idem crimen sibi etiam à *Purpurio* objectum non ignoraret. Ita autem hoc porro contra Secundum urget Augustinus: *Si in ejus corde* „cogitatio Pacis habitaret, non apud Carthaginem postea cum Traditoribus, quos „præsentes atque confessos Deo dimiserat, damnaret crimine Traditionis, quos ab „sentes apud Eum nemo convicerat; tantò magis enim timere debuit, ne pax unitatis „violaretur, quantò erat Carthago civitas ampla & illustris, undè se per totum Africæ „corpus, malum, quod ibi esset exortum, tanquam à vertice effunderet. Erat etiam „transmarinis vicina regionibus & famâ celeberrimâ nobilis, undè non mediocri uti- „que autoritatis habebat Episcopum, scilicet Coecilianum, qui posset non curare con- „spirantem inimicorum multitudinem, cum se videret & Romanæ Ecclesiæ, in quâ sem- „per *Apostolicæ Cathedræ vixit Principatus*, & cæteris terris, undè Evangelium ad ipsam „venit Africam, per communicatorias literas esse conjunctum, ubi paratus esset suam „dicere causam, si adversarii ab Eo illas alienare conarentur Ecclesias. *Pergit Augustinus* „causam damnati innocenter Coeciliani agere verbis, quæ priora non parùm illustrant & „explicant: Quia ergò Coecilianus venire noluit ad hospitium Collegarum, quos „à suis Inimicis contra veritatem causæ suæ perversos esse sentiebat, vel suspicabatur, „vel, ut ipsi adserunt, simulabat; tantò magis *Secundus* si verè Pacis custos esse vo- „luisset, cavere debuit, ne damnarentur absentes, qui judicio eorum omninò inter- „esse noluerunt. Neque enim de Presbyteris, aut Diaconis, aut inferioris ordinis Cle- „ricis, sed de Collegis agebatur, qui posset aliorum Collegarum judicio, a postolicarum „præsertim Ecclesiarum, causam suam reservare integram, ubi contra eos Sententiæ „in absentes dictæ nullo modo aliquid valerent, quando judicium eorum non primò „aditum postea deseruerunt, sed suspectum semper habitum adire nunquam volue- „runt. Exscribi hæc proluxius debuerunt, quia toti Controversiæ multam fœnerari pos- „sunt Lucem, undè nemini non manifestum est, plane nihil obtinere, quibuscunque ex- „cerpta ex tam longo contextu Augustini Verba Monarchicum Romanensî Cathedræ „principatum evincere videntur, sed videntur tantum, non autem verè evincunt. Ut „enim ipsum Principatûs Elogium ex Grammaticorum Scholis non proluxè exami- „nem, neque etiam pluribus documentis ostendam, non Augustino solum alibi, nec „uno in loco, sed aliis etiam Ecclesiæ Doctoribus orthodoxis, *Hilario, Hieronymo, Gregorio* „itidem Magno, Paulum quoque, quin & cæteros Apostolorum, imò omnes in uni- „versum Episcopos, non solus Petri, sed omnium Apostolorum in officio docendi Suc- „cessores dici & adpellari Principes Ecclesiarum, quibus per ordinariam vocationem „fuerunt præfecti, quæ tamen observatio in hoc negotio non parùm prodesse potest; ipse „saltem Augustini verborum contextus tot exhibet Evangelicæ Veritati contra jacta- „tum regimen in Ecclesiâ Monarchicum Subsidia, ut ea aliunde mutuare, opus pla- „ne non sit. Et si enim illustre meritò videatur illud Elogium, quod Ecclesiæ Roma- „nensî

Epist. 162.
ad Glori-
um &c.Cap. 35.
num. 3.
pag. 32.

NB.

nenſi tum temporis adſcripſit Auguſtinus, tale tamen non eſt, ut principatum aliquem Monarchicum poſt ſe trahat vel præſupponat, neque ex eo, quod tanquam Cathedra commendatur Apoſtolica, concludi debet, ſingularem ei idcirco præ omnibus aliis prærogativam deberi, cum eodem nomine & titulo alias plures Eccleſias venire, è claſſico *Tertulliani* loco ſatis notum ſit, qui duplici ſignificatione id Eccleſiis adſcribi, diſtinctiſſimè in de Præſcriptionibus Hæreticorum expoſuit, & latiori quidem ſenſu hunc in modum: *Ad formam, ſcilicet Doctrinæ Apoſtolicæ, provocabuntur*, (Salmaſius exiſtimat legendum, *probabuntur*.) quæ licet nullum ex Apoſtolis vel Apoſtolicis authoritatem ſuam proferant, ut multò poſteriores, quæ denique quotidie inſtituuntur, tamen in eadem Fide conſpirantes non minus Apoſtolicæ deputantur pro conſanguinitate Doctrinæ. *Et talia non pauca in eodem enucleatiſſimo Tertulliani Scripto occurrunt, qua latiore hanc Apoſtolicæ denominationis ſignificationem aliis pluribus Eccleſiis adſcribunt, ad qua etiam referri debent, quæ ſtrictiorem exhibent ſenſum, cum & ea Romæ nihil ſingulare præ aliis adtribuant, ſed id, in quo Eucomiſta ejus ita irripudiant, cum aliis iterum non paucis habeat commune, Tertulliano id in ſequentibus oſtendente*: Age, qui voles curioſitatem melius exercere in negotio Salutis tuæ, percurte Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc Cathedra Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas ipſæ authenticæ literæ eorum recitantur, ſonantes vocem, repræſentantes faciem. Proxima eſt tibi Achaja? habes Corinthum. Si non longè es à Macedoniâ, habes Philippos. Si poteſ in Aſiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiæ adjiceris, habes Romanam, ſcilicet Eccleſiam, vel potius Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt ſtatuta. *In paulo antecedentibus ita de hac re ſcripſit*: Hoc modo Eccleſiæ apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, ſicut Smyrnezorum Eccleſia Polycarpum ab Johanne conlocatum refert, ſicut Romanorum Eccleſia Clementem à Petro ordinatum. Id proinde utique & cæteræ exhibent, quos ab apoſtolis in Episcopatum conſtitutos apoſtolicæ ſeminiſ traduces habeant. *Et iterum antecedenter latiore hujus Elogii ſenſum deſcribit verbis omnino hic etiam, quæ legantur, digniſſimis*: Apoſtoli, quos hæc adpellatio Prophetiæ, primò per Judæam conſtitatâ Fide in JESUM CHRISTUM, & Eccleſiis inſtitutis, dehinc in orbem profeſti eandem ejusdem Fidei doctrinam Nationibus promulgârunt, & proinde Eccleſias apud unamquamque Civitatem condiderunt, à quibus traducem Fidei & ſemina Doctrinæ cæteræ exinde Eccleſiæ mutuatae ſunt, & quotidie mutantur, ut Eccleſiæ fiant, ac per hoc & ipſæ Apoſtolicæ deputabuntur, ut ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum. Omne genus ad originem ſuam cenſetur. Neceſſe eſt itaque tot ac tantas Eccleſias unam eſſe illam ab apoſtolis primam, ex qua omnes; ſic omnes primæ & omnes Apoſtolicæ, dum unam omnes probant *Unitatem*. Equidem hæc Tertulliani ad Auguſtinum Evangelicis vindicandum propiè non pertinent, duobus nimirum ſeculis ante Auguſtinum ſcripta; quia tamen extra omne videtur eſſe dubium, Auguſtinum in Elogio Eccleſiæ Romanenſi tanquam Apoſtolicæ adſcripto ad hanc Tertulliani explicationem reſpexiſſe, eamque eo ſenſu dixiſſe Apoſtolicam, quo alia etiam Eccleſiæ ab Apoſtolicis Comitibus & ſucceſſoribus plantatæ hoc Elogio fuerunt celebratæ, non omnino præter rem illuſtre hoc Tertulliani testimonium hic legitur, in hac Controverſiâ plurimum inſerviens, ne Roma id ſibi tantum adſcribat, quod aliis etiam Eccleſiis Antiquitas orthodoxa commune fecit, & in ſpecie Auguſtinus iterum, præter laudatas nominatim Tertulliano Eccleſias ſtrictò ſignificatu Apoſtolicas, Eccleſiæ Carthaginenſi, quam dum Romanæ comparavit, & utrique unum idemque adſcripſit prædicatum, inde facillimum eſt colligere, Eum neque hic per Principatum aliquid ſingulare & proprium ei adtribuiſſe. Ita autem Doctor auguſtiſſimus, de controverſiâ inter Cyprianum Carthaginenſis, & Stephanum Romanenſis Eccleſiæ Episcopos, circa hæreticorum anabaptiſmum longo tempore ultrò citròque ventilatâ, ſuperius non ſemel memoratâ agens: *Duo erant eminentiſſimarum Eccleſiarum, Romana ſcilicet & Carthaginenſis Episcopos; Stephanus Baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſebat, & hoc facientibus graviter ſuccenſebat; Cyprianus autè in hæreſi vel Schiſmate baptizatos, tanquam non habentes Baptiſmum Chriſti, baptizandos in Catholica Eccleſiâ exiſtimabat. Multi cum illo, quidam cum iſto etiam ſentiebant, utrique cum eis in Unitate conſiſtentes*. Si tum jam, non Cypriani dico, ſed ipſius etiam Auguſtini tempore, Romanenſis Cathedra Principatum, id eſt, juxta Bellarmini mentem, Monarchicum in cæteras omnes & Occidentis & Orientis Eccleſias obtinuiſſet principatum & regimen, aliter longè & non

Vid. D.
Danh.
Chriſt.
Art. 1.
pag. 162.
Conf. Sal.
maſ. de
Prim. P.
c. V. p. 67.
Adde P.
Marce de
Con. c. Sa.
cerd. &
Imp. lib. 6.
cap. 1. n. 7.

de unico
Bapt. c.
Petil. c. 14.

non ira comparativè Augustinus scribere debuisset, fulmenque Anathematis à Stephano in Cyprianum & ceteros Ecclesiarum in Africà Episcopos, a nabaptismi hereticorum defensores ictum & jactum majoris omninò fuisset æstimii, neque ita viliter contemptum. Adde, aliter etiam omninò concipienda fuissent verba, quibus Cathedra Romanensi principatum adscripsit, quem non intelligi debere super ceteras Ecclesiarum Cathedras Monarchicum & imperativum, eo ipso satis clarè Augustinus ostendit, dum non solam Romanensem Cathedram nominavit, ad quam Coecilianus innocenter & injustè ab Episcopis Traditoribus ac illegitimo eorum Concilio damnatus, ac Episcopatu contra omne æquum privatus, refugium habere potuit, suæque causæ justitiam ibi commendare; sed ceteras Eidem jungit terras, exemplo videlicet *Tertulliani*, de quibus in genere, non Romanâ solùm in specie, notanter monet, quod inde, tanquam Ecclesiis strictiori significatu Apostolicis Evangelium ad ipsam venerit Africam, Apostolicasque latiori sensu, juxta Tertulliani mentem, Ecclesias ibi institutas, quarum in sequentibus etiam verbis Augustinus idèd monuit, ne quid Romanensis sibi proprium & singulare cum cæterarum præjudicio adtribueret, quod tum jam, imò Cypriani etiam tempore, ibi adfectum & maximo conatu adfectatum esse, ex non uno constat documento. Quæ tamen omnia non cum in finem occasione Loci hujus Augustinianæ producuntur, ac si Ecclesiæ Romanensi tempore Augustini omnem præ aliis adimere velimus prærogativam, id quod contra Lucem historicam hocque ipsum Augustini testimonium esset, cujus & plurium aliorum claritate ducti & docti Evangelicæ Fidei Professores non negant, singularem honoris respectum ceteras non solum in Occidente, sed etiam in Oriente tunc Ecclesias erga Romanam habuisse, multumque Eidem in obortis Quæstionibus controversis, earumque decisionibus vel juvandis, vel suo etiam calculo confirmandis, ad majorem Veritatis illustrationem detulisse, sicut non planè nullis de causis aliis, ita in specie idèd etiam, quia tanquam caput orbis Roma ob Sedem Imperatoriam habitavit. Sed quæcunque hic Romæ ex respectu certo præ aliis conceduntur, ipseque Augustinus hic & alibi Eidem adscripsit, nondum sufficientia tamen sunt aut esse possunt ad eliciendum aut quæcunque consequentiarum non illegitimarum vi extorquendum inde Monarchicum in universali Ecclesiâ Principatum, quem ipsum quoque Augustinum (quidquid etiam Monarchicis Defensoribus præ cæco talis Principatus amore videatur, omnibusque iis, quibus Seculi Genius in Ecclesiastico regimine, vel potius Ministerio non hierarchico, sed hierurgico placet) nullo plane modo agnovisse, sed eidem potius jam tum emergere & eminere volenti cum cæteris Ecclesiarum in Africà Episcopis omni modo & ratione contra-ivisse, dixisse & scripsisse, in sequentibus non semel docebitur.

Vid. D.
Dannh.
I. cit.

Nunc cum Bellarmino nobis pergendum & eundem est plus ultra ad quartum ex Augustino argumentum, quo Monarchicum in Ecclesiâ regimen suffulcire studet, & defensivè quidem agendo, sed & illud in vanum. Objici inquit ab Anti-Monarchicis, qui præter Christum Ecclesiæ nullum aliud visibile agnoscunt caput, Ecclesiam nullibi in S. Scripturâ dici corpus Petri aut Papæ, sed Christi. Inter cætera respondet Bellarminus, *in illa prædicatione vocem Christi posse* (at hic non quaritur, quid possit, sed quid debeat) *referri commodè non tam ad Christum, ut caput, quam ad eundem Christum, ut hypostasin ejus* (scribere debebat, sui) *corporis; Christum enim non modò Ecclesiæ caput esse, sed esse ipsum quasi magnum quoddam corpus ex multis & variis constans membris.* Dixit aliquid Bellarminus, quid verò hâc distinctione ad objectionis elusionem evincere voluerit, ipse forsitan non intellexit. Ne tamen frustra id scripsisse videatur, Augustinum distinctionis laudatæ autorem produxit, ad Verba Pauli. *Sicut in uno corpore multa habemus membra, omnia autem membra, cum sint multa, unum est corpus, ita & Christus, sequentia observantis, Non addidit Apostolus, ita & Christi corpus, sed ita & Christus.* Addit Bellarminus: *iam igitur Ecclesiæ corpus est Christi, non Petri, quia Christus tanquam corporis hujus hypostasis omnia sustentat membra, & omnia in omnibus operatur, per oculos videt, per aures audit; Ipse est enim, qui per Doctorem docet, per Ministrum baptizat, per omnes denique omnia facit, quod certè nec in Petrum, nec in ullum alium convenit hominem.* Atqui per hoc responsum manet objectio in suo valore, manet Ecclesiæ caput CHRISTUS, idèd, quia in omnibus operatur, nullo capite vicario visibili subordinato opus habens, sed Solus & unus omnia faciens. Neque alia mens fuit Augustini, metonymicam apostoli locutionem in proximè sequentibus à Bellarmino omiſſis breviter ita explicans:

1. Cor. 12.

Non

Lib. 1. de
peccat.
merit. &
remiss.
cap. 31.

Non dixit, ita & Christi, id est, corpus vel membra Christi; sed ita & Christus, unum Christum adpellans Caput & corpus. Conferat studiosus Veritatis Lector ibidem proximè antecessentia, & Senlus erit eò manifestior. Indè nuperus verborum Pauli Interpres Fromondus idem notavit scribens: Ita & Christus, id est, ita corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia, ex multis compositum est membris, quorum ipse Christus est caput: pro Ecclesia Christum posuit Apostolus, nomine capitis adpellans totum corpus, ut notant Chrysostomus & Theophylactus, quia caput cum cæteris membris unum constituit corpus. Addit pro confirmatione ul-

in Pf. 130.
vid. Urfin.
Anal. 5.
Volum II.
pag. 149.

teriori ejusdem Augustini auctoritatem, alibi in rem præsentem hæc scribentis: Etiam si Dominum nemo tangeret, clamat tamen de Cælo, Saul, Saul, quid me persequeris? caput nempe pro corpore suo, quod in terrâ laborabat. Quæ Esthæus ex hoc Pauli testimonio in contrariū pro obtinendo capite visibili & vicario instanter & prolixè urget, alibi discussa legi possunt.

Unum adhuc superest, idque quintum numero, circa Augustini in hoc negotio auctoritatem, quamvis breviter expediendum, quia non singularis ad eò momenti. Sicit Bellarminus pro ultimâ objectione hoc argumentum: *Si Mundus debet gubernari ab uno in iis, quæ ad religionem pertinent, utile etiam esset, ut regeretur ab uno in iis, quæ ad politicum ordinem spectant. At hoc neque factum est unquam, neque expedit ut fiat. Ut enim docet Augustinus, Feliciores essent res humana, si omnia Regna essent parva, & concordia vicinitate lætania.* Respondet Bellarminus in genere, *Non esse eandem rationem Politici & Ecclesiastici Regiminis.* At meminisse debebat Bellarminus, se supra à Politici & Monarchici Regiminis statu & ratione ad rationem & statum Regiminis Ecclesiastici argumentatum esse, ad quod argumentum ex debito infringendum nulla commodior instantia dari potest, quam neque factum esse unquam, ut totus orbis ab uno gubernaretur Monarchâ, neque etiam expedire, ut unquam fiat; addo insuper, neque facile vel etiam dabile esse, ut omnes in universo orbe omnibusque ejusdem partibus uni se subdant & subjiciant capiti. Quod enim Bellarminus in paulò antecedentibus indirectè hoc argumentum tractans, ad Verba Lucæ de universi orbis descriptione tempore Augusti Romanorum Imperatoris factâ, hoc quasi fundamento utitur: *Cum Deus totum ferè orbem terrarum unius hominis Imperio parere voluerit, nunquam felicius administrato orbe terrarum quam temporibus Augusti, cui regnum à Deo præparatum fuerat, ut facilius Evangelium per totum deferretur orbem; cur non potuit etiam universam Ecclesiam unius hominis prudentia ac sollicitudini commendare, præsertim cum facilius sit gubernatio Ecclesiastica quam Politica, & Reges illi non alia haberent præsidia quam humanam prudentiam & generalem Dei providentiam, Pontifex autem habeat supernaturale Lumen Fidei, Scripturas sacras, cælestia Sacramenta & particularem Divini Spiritus adstantiam; ut plura nunc præteream alia, quæ rigorosiores merentur censuram, alibi forsitan uberius excutienda, eo saltim Lectori erudito rillum debet, quod totum ferè orbem terrarum unius hominis, id est, Augusti imperio paruisse in tantâ Historiarum Luce scripsit. Certè si Lipsium Romæ non vetustioris solum, sed & recentioris admiratorem ad stuporem usque, & tantum non planè ex nimia admiratione stupidum, in describendâ Magnitudine Romanâ ejusdemque Majestate & potentiâ consuluisse, non ita liberaliter de amplitudine Ejus scripsisset. Is citans aliquem Dionysii Halicarnassæi locum, Urbi Romanæ adscribentis, quod toti imperarî orbi, quâ quidem inaccessus non fuerit habitatusque ab hominibus, pro explicatione hæc*

L. 4. de C.
D. cap. 15.

addit: Terras omnes tribuit & maria, sed ut decuit Historicum bona fidei, cum aliquâ restrictione aut exceptione, se jungit que inaccessible & inhabitata loca, itemque maria ignota. Enimverò, si propius inspicias, nec omnia quidem loca habitata sub imperio habuit, non hercules; & multa sub Parthorum jure ad orientem fuere, multa libera, aut sub regibus ad Septentrionem & Meridiem. Hinc celeberrimus hodiè in omni ferè literaturâ Conringius notanter:

L. 1. c. 3.

*Ex illo, quod Imperatores antiqui Dominos se Mundi vocaverint, aut quod in Sacro Luca Evangelio Romani Imperii orbis dicitur voce sit adpellatus, credere cum quibusdam, nihil non terrarum Romanis paruisse, non amplius fore error, sed stupor est. Etsi autem Bellarminus non absolute totum orbem terrarum, sed cum aliqua restrictione totum ferè orbem Augusto paruisse scribit, nemo tamen non videt, Eum quam proximè ad eorum accessisse Sententiam, qui totum orbem Romanis illo tempore subditum fuisse existimârunt. Mirum, quod Alexandrum Virtutibus & vitiis magnam, Augusto non adjunxit Bellarminus, cû de Eo etiâ vulgò statuatur, quod totum terrarum orbem armis subjugarit. Sed missis hisce videamus porro, quid in specie ad laudatû Augustini testimoniû respõdeat Bellarminus: *Quia non videtur posse fieri talis Monarchia universalis, nisi adhibita vi magnâ & multis ac magnis Bellis, ideo Augustinus rectè dicit, feliciores fore res humanas, si parva essent ubiq. regna**

Præf. ad
Tacit. de
Serm. pag.
23. conf.
Dillherr.
Dispp.
Tom. I.
pag 435.

concor di

concordi vicinitate latantia, quam si unusquisque Regum per fas & nefas Imperium suum extendere & propagare contendat. Addit autem præter hæc: Probat quidem Augustinus parva regna, sed non negat, utile futurum, si parvis Regibus istis unus aliquis summus Imperator præsit: quin potius id adfirmare videtur, cum parva illa regna concordi vicinitate latantia esse debere ait, quem ad modum multe domus se habent in Civitate. Verum fallitur Bellarminus, si putat, Augustinum hæc comparatione domuum in Urbe, cum parvis in orbe terrarum regnis, ad universalem aliquam respexisse Monarchiam, ab uno homine dependentem. Quid si enim dicatur, Augustinum hoc voluisse, ut, ad quem modum in unâ Urbe civium plurimæ sunt domus, quæ tamen non semper necessario ab uno Monarchicè, sed sæpè ab optimatibus Aristocraticè, quin & à pluribus civium Democraticè, imò etiam non raro mixtum vel Monarchico-Aristocraticè, vel Aristocratico-Democraticè, ut de aliis jam non dicam speciebus vel nominibus, reguntur; ita etiam parva Mundi regna gubernari ab uno totius Orbis Domino verè Catholico, ipso nimirum Deo, Regum Rege & Dominorum Domino Potentissimo, & quidem, ut Bellarmino supra scribere placuit, per generalem, imò etiam per specialem, & si ita dicere licet vel scribere, specialissimam Providentiam?

Dudum hæc contra Bellarminum erant scripta, ex quo nova quædam lis est orta inter Norisium, Professore primò Patavinum, post Pisenum, ob *Vindicias*, quas non ita pridem edidit *Augustinianas*, & quosdam rigorosiores Dogmatum Sedis Romanæ Promachos, & Defensores, scriptis nimirum acerbis hic & ibi vulgatis, præcedente è posteriorum numero post *Brunonem Neuserum* non ita pridem *Fulgentio* quodam *Risbrochio*, qui ad Antecessoris Exemplum non contentus examinasse dictas modo *Vindicias* quamvis non in omnibus, sed prouti fuit libitum & visum, è cæteris etiam *Norisii* operibus, quæ hisce præmiserat *Vindiciis*, nimirum de *Historia Pelagianâ & Synodo quintâ*, excerptis quædam, quæ suâ putavit censurâ non indigna. Et quidem è posteriore sequentia exhibuit verba rigoroso Examine subji-

enda: *Divus Petrus in omnibus mundi partibus tres Sedes Patriarchales fundavit, Romanam in Europâ, Alexandrinam in Africa, Antiochenam in Asia; ut jam Sacra illa Aristocrata ex integro à D. Petro Christi Vicario fuerit instituta. Harum Præsules in aliquo conveniunt, in aliis vero plurimum discriminantur. Nam licet spectato jure Patriarchali tres illi Antistites equalis sint auctoritatis, ac nullus ab altero dependeat, jure tamen Papali uni Romanae Sedi duas subjiuntur reliquæ.* Quæ contra hanc *Norisii*, Doctoris Augustiniani, Sententiam prolixè *Risbrochius* observavit, Instituti præsentis ratio non requirit, ut adscri-

pag. 171.
conf. Frac.
Hallier, de
Eccles.
Hierarch.
pag. 695.
seqq.

bantur, præter id solum, quod circa ultimum ejus paragraphum ac consequentiam inde faciendam notavit, scribens: *Ius Papale nihil continet novum supra jus Episcopi & Patriarchæ Romani. Quare si illi Episcopi & Patriarchæ, Alexandrinus & Antiochenus, pares sunt Episcopo & Patriarchæ Romano, etiam Pape Romano pares sunt; nomen quippè Papæ commune erat in Ecclesia ante Concilium Chalcedonense aliis (etiam) Episcopis, unde nihil speciale concedebat Episcopo Romano.* Hæc autem uti verè se habent, ita quod priora attinet *Norisii* verba, Aristocratiam Ecclesiæ commendantia, non video, cur huic Dogmati Calvinismum in lemmate præscripserit, addens in ejus refutatione, *proprium hoc fuisse Calviniano, cui demum Brentius ex Evangelicis Doctoribus calculum adjecerit.* Si enim in Scriptis Lutheri verusatus magis fuisset, scio, Lutheranismum vocasset, imò indice Luthe-

pag. seq.

ro Augustinianismum. Ut hoc ostendatur, lubet è prioribus & posterioribus Ejus Scriptis aliqua huc adponere, quatenus videlicet ipsa Augustini auctoritas concurrat. Ex illorum serie sunt, quæ primo Operum *Ienæ* editorum Tomo exhibentur, cui inter alia sunt inserta, quæ Augusti cum *Thomâ Cajetano* sunt gesta, post quorum recensionem occasione datâ de hæc Quæstione sic scripsit Lutherus: *Plus quàm octingentorum annorum Christianos totius orientis & Africa nobis ex Ecclesia Christi ejiciunt, qui nunquam sub Romano Pontifice fuerunt. Nam adhuc Gregorii M. tempore Pontifex Romanus non salutabatur Episcopus uni versalis. Imo ipsemet Gregorium, licet Episcopus Romanus, acerrimè persequitur nomen uni versalis Episcopi & totius Ecclesiæ Pontificis plus fere sex Epistolis, ut non dubitet vocabulum ejusmodi profanum adpellare, quod nostro Seculo & solum vocatur Sanctissimum. Sicut enim Petrus ceteros non creavit Apostolos, (sic enim hodie vocatur Episcopos ordinare,) ita Successor Petri nullum successorem aliorum creavit Apostolorum. Denig, non nisi Fratrem, & Co Episcopum, & Collegâ vocaverunt Pontificem Romanum Episcopi cæteri, ut Cyprianus Corneliû, & Augustinus Bonifacium & alios. In eodem Tomo continentur resolutiones Lutheri non modo universales de Propositionibus suis Lipsiæ cum Ecclesia disputatis, sed resolutio etiâ particularis super Propositione ultimâ de potestate Papæ, in quâ postquâ sufficienter respondit ad*

p. 190. b.
m. fine.

ca ex Jure Canonico loca, quæ ad ejus demonstrationem *Eccius* objecerat, ipse alia ex eodem objecit in contrarium, inter quæ primus est distinctio ante centesimam proximam hunc Concilii cujusdam *Africani*, quod ordine tertium inter *Carthaginensia* tolet recenseri, canonem numero vigesimum & sextum proponit: *Prima Sedis Episcopus non adpellatur Princeps Sacerdotum, vel summus Sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantum prima Sedis Episcopus; & sequitur, Universalis autem nec etiam Romanus Pontifex adpellatur.* Hic Ego, inquit Lutherus, in judicium voco ipsos Canones & Canonistas, doceant me, quæso, quid hic dicam. Iste Canon probatus est. Sed vide, quanto majora committat crimina in Summum Pontificem, quam ego unquam ausus essem cogitare. Primum, non solum frigidus adlerit, sed & negat, & prohibet atque damnat eos Canones & Canonistas, qui Pontificem Romanum adpellant Principem, Caput, Summum & Maximum. Deinde, primatum ei auferens penitus cum reliquis primarum Sedium Episcopis, id est, Patriarchis æquat. Ubi sunt ergo, qui me nova posuisse garrunt, qui superiora dixi frigidissima Decreta; & credo, non inique. *Nam hic Canon Concilii Africani eo plus illis præferendus est, quod longius recedit ab ambitione, & Evangelicam sapit modestiam.* Quid hodie contra hunc Canonem, quem cum cæteris Augustinus huic Concilio præfens subscriptione suâ adprobavit, excipiant Authoritatis Romanæ superciliosi hyperaspi-stæ, non ignotum est; videlicet, *Africanos Præsules Romanis Pontificibus nihil quidquam potuisse per autoritatem præscribere, aut eorum juri derogare, præterquam, quod posteriora, quæ Lutherus citat, verba non Concilii, sed Gratiani tantum sint, adeoque non ejusdem valoris cum prioribus.* At tantum abest, ut Lutherum hoc impediverit, quo minus uteretur hoc Decreto; quin potius existimavit, maximam ei inesse vim ob autoritatem Ecclesiæ tum temporis *Africanae*, & præsertim Concilii illius *Carthaginensis*, quod nullibi legitur repudiatum, accedentibus etiam testimoniis ipsorummet Pontificum Romanorum *Pelagii*, & *Gregorii* cognomento *Magni*, quæ *Gratianus*, in citatâ distinctioe, & ex eadem *Lutherus* adduxit & commendavit in laudatâ resolutione, quæ sufficere possunt, etiamsi verba, *Universalis autem nec etiam Romanus Pontifex adpellatur*, in illo Canone Synodali non legantur, sed à *Gratiano* sint adposita, dum virtualiter in illo generali Decreto contineantur, prout Pontifices dicti suo adprobârunt consentu; ac propter id *Glossa* Juris Canonici sub initium adductæ Distinctionis notanter observavit, ostendere *Gratianum* in eâ, quod *nec Romanus Pontifex debeat universalis adpellari*. Satis hoc esse debet ad Vindicias pro *Luthero*, quo ad hujus Decreti autoritatē, contra recentiorū exceptiones, quod in hac tractatione eò gratus est, quia ad *Augustinum* quoque pertinet, huic Concilio & præfentē, ut dixi, & Ejus Decreta adprobantē. Neque hic substitit opera *Lutheri* in oppugnando Papæ primatu ex autoritate *Augustini*, sed plura adhuc sunt super ad negotium hoc spectantia, è quorum numero quædam porro lubet adscribere. Postquam videlicet ejus nullitatem testimoniis *Hieronimi* evicit, ita continuavit textum: *Huc & Cyprianum voco, quem & Augustinus allegat, dicentem: Nec quisquam nostrum Episcopus se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit; quando habet omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ proprium arbitrium, tanquam ab alio judicari non possit, quomodo nec ipse potest alterum judicare, sed expectemus universi judicium Domini nostri JESU Christi.* *Hic Martyr gloriosus palam confitetur, esse tyrannidem, ab uno Episcopo alios cogi ad obedientiam. At hanc tyrannidem velut Iustitiam penè omnes Decretalium Syllabæ & statunt & servant tanquam autoritatem Divinam.* Deinde mirum est, inquit Lutherus, quod *Augustinus* non redarguit *Cyprianum* à se allegatum, si sensit Eum contra Ius Divinum loqui, sed potius cum Eo sentit, omnes scilicet Episcopos æquales esse. Sic paulò ante finem hujus suæ resolutionis inter alia contra hunc primatum Papæ Monarchicum scripsit: *Numquid Cyprianum & Augustinum, aliosque Africa Episcopos confirmavit Papa, qui tamen de Latina erant Ecclesia? numquid eorum impedivit Concilia, aut Conciliabula fuerunt, quia sine Romani Pontificis autoritate sunt gesta, ut in eorum libris habetur clarè?* Ita Lutherus de Potestate Pontificis Romani in primo operum Tomo. Verum nec aliter de eâ judicavit in postremo, qui inter alia exhibet Ejus *Præfationem in Epistolam Hieronimi ad Evagrium*, quæ de hoc agit argumento, ubi sequentia leguntur huc omninò referenda: *Vides hic, tempore Hieronimi, (sicut & Ambrosii & Augustini,) nullum fuisse ArchiEpiscopum in Ecclesia, nullum Patriarcham, nullum Primatem, nullum Metropolitanum, multò minus Papam seu Pontificem Oecumenicum, sed omnes erant Episcopi inter se æquales. Deinde ipsi iidem Episcopi, qui Presbyteri, (videlicet antehac, ex testimonio Hieronimi) & contra; denique Episcopum Eugubii, non longè à Româ oppiduli, æqualem esse dic-*

Pag. 303.

L. II. c. 2.
de Bapt.

p. 408. b.

cit ipsi Episcopo Romano. Heu, quantus futurus hæreticus, si viveret hodie Vir Sanctus! Et mirum, quod non milles eum damnet ultra Tartara cum omnibus Scriptis ejus. Fuit & vocabulum Papæ nomen Episcoporum commune. Sic Hieronymus vocat *Augustinum* Papam sanctissimum, & Cyprianum vocabant Papam in Ecclesia Carthagenensi. Quare evidens est, totam illam Hierarchiam Papalem esse doctrinas hominum, seu veritas Dæmoniorum, introductas per falsiloquos hypocritas. Et quod mirandum est, eo tempore nec differentia Donorum & Gratiarum spiritualium (quibus tamen maximè debebatur Dignitas præcellentis seu Superioritatis) faciebat Episcopos superiores. Nam *Augustinus* inter Episcopos Africæ doctissimus & facundissimus locum tenuit suum inferiorem veluti junior, & tamen in Synodis cogebatur publicè docere vel orationem habere, quod erat vel Carthagenensis, si loci dignitas aliquid valuisset, vel alicujus Episcopi senioris. Erant isti viri sanctissimi reverà, quod vocabantur, id est, verè Episcopi, non suam quærentes vel gloriam, vel dignitatem, sed *animarum salutem & utilitatem ecclesie*. Hæc & alia adhuc longè plura, si in Scriptis *Lutheri* autoritate *Augustini* confirmata legisset *Anti Norisius*, non *Calvinismum* in statuendâ Ecclesiæ Aristocratiæ suo, quem elegit oppugnandum, objecisset adversario, sed potius agnovisset, ipsissimum esse *Lutheranismum*, imò quod suprâ innui & hætenus ex *Luthero* ostendi, *Augustinianismum*, quod hæc occasione breviter fuit demonstrandum.

CAPVT DECIMVM,

DE

*Petrâ Ecclesiæ,**Matth. 16.*

PER quam intelligi in specie Petrum, id est, illam personam, quæ dicebatur Petrus, non tamen ut persona erat particularis, sed ut Pastor & Ecclesiæ caput, consentire Ecclesiarum & Græcæ & Latinæ Doctores, aucter iterum scribit Bellarminus, hujus tuæ audaciæ nunc solum ex Augustino convincendus, cujus duo testimonia in rem suam producit, & prius quidem ita se habens: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsâ Petri Sede, ipsa est in Psalmo contra partem Donati, oper. Tom. 7.* *Petra, quam non vincunt superbe Inferorum portæ.* Sed ipse Bellarminus responsum nobis suppeditat, circa hoc testimonium observans, *Augustinum non tam Petrum, quam Ejus Sedem vocare Petram: sibi tamen vestigio contradicens, Petrum esse Petram, non ut est particularis homo, sed ut Pontifex,* quod priori planè non convenit observationi, sicut & illud indè absurdum emergit, si standum sit Bellarminianæ huic observationi, Ecclesiam super Ecclesiam esse ædificatam, ac Ecclesiam esse fundamentum Ecclesiæ. Posterius ex Augustino testimonium à Bellarmino pro Petro Ecclesiæ Petrâ laudatum hoc est: *Petrum Ecclesiæ fundamentum Dominus nominavit, & ideo fundamentum hoc Ecclesia dignè colit, supra quod Ecclesiastici ædificii consurgit altitudo.* Quæ circa hoc & antecedens testimonium possent notari, nunc non uberius tango, eo contentus, agnoscere Bellarminum, quod Augustinus alibi non semel per Petram intellexerit Confessionem à Petro editam, quin & retractaverit, ubi antehac scripserat vel docuerat, *super Petrum ædificatam esse Ecclesiam, cum super Christum potius dici debeat ædificata, & ita intelligendum esse hunc locum, id insuper addentem: Augustinum non reprobare quidem Sententiam de Petro Ecclesiæ Petrâ, sed tamen anteponeere aliam.* Verba Augustini, prout à Bellarmino citantur, & huic Controversiæ inserviunt, sequentia in Retractionibus extant: *Dixi in loco quodam de Apostolo petro, quod in eo, tanquam in petrâ, fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur in ore multorum in versibus Beatissimi Ambrosii, ubi de Gallo gallinaceo ait, Hoc, ipsâ Petrâ Ecclesiæ canente culpam diluit. Sed scio me postea sapissimè sic exposuisse, quod à Domino dictum est, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, ut super hanc (vel, super hunc) intelligeretur, quem confessus est petrus, dicens, Tu es Christus, Filius DEI vivi, ac si, (alias, sic) Petrus ab hæc petrâ, adpellatus personam Ecclesiæ figuraret, (vel potius, figurat,) qua super hanc petram ædificatur & accepit claves regni Cælorum. Non enim dictum est illi, tu es petra, sed tu es petrus; petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota confitetur ecclesia, dictus est Petrus.* Addit augustissimus Doctör, ne quem suâ autoritate ad amplectendam hanc posteriorem Sententiam videatur obligare aut compellere: *Harum duarum Sententiarum, que sit probabilior, eligat Lectör.* Non urgebo, aliqua à Bellarmino in hujus testimonii exhibitione aliter citata, ac in ipso leguntur Augustino: *conf. Ca. saub. Exerc. c. Bar. ron. 15. num. 12.*

nec, quod aliqua etiam fuerunt ab Eo omiffa. Illud præprimis observandum hic est, Augustinum ea, quæ primùm de Petro Ecclesiæ Petrâ scripsit, scripsisse Presbyterum, ut cætera quævis priori libro retractata, & quidem semel, uno tantum loco in id citato; cum post Sententiam de Christo Ecclesiæ Petrâ *sapissimè*, Episcopus jam & maturioris Judicii, in aliis Tractatibus proposuerit, rationemq; satis claram indicaverit, cur posteriorem Sententiam priore probabiliorem habeat, ad ipsam Textûs perspicuitatem respiciens. E pluribus locis, quæ Augustinum in hac posteriore Sententiâ non ambiguum amplius, sed satis constantem fuisse, possunt docere, illa duo nunc tantum brevitate ergo videamus, ad quæ Bellarminus ipse digitum intendit, cum sufficientia sint, remque totam sine omnibus aliis in præsentem dare possint confectam. Ita autem Augustinus hanc Petram explicat: *Ecclesia in hoc Seculo diversis Tentationibus velut imbribus, fluminibus (fortè fulminibus) tempestatibusq; quatitur, & non cadit, quoniam fundata est super Petram, unde & Petrus nomen accepit; non enim à Petro petra, sed Petrus à petrâ, sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Idè quippe ait Dominus, super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, quia dixerat Petrus, Tu es Christus, Filius DEI vivi. Super hanc ergo Petram, inquit, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim erat Christus, super quod fundamentum ipse etiam ædificatus est Petrus. Fundamentum quippè aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus IESVS. Quæ & ante & post hæc Verba de potestate Clavium Petro concessâ ibidem leguntur, proximè suum occupabunt locum. Nunc ex hisce satis superq; est manifestum, Augustino per Petram non Petrum, sed Christum, quem Petrus est confessus, fuisse intellectum, id quod in altero etiam loco per Bellarminum citato luculentissimè exponit: *Petrus Domino Jesu Christo requirente, quemnam homines dicerent eum esse, & opiniones varias hominum Discipulis respondentibus, rursusque Domino interrogante & dicente, Vos autem quem me esse dicitis, respondit Petrus, Tu es Christus, Filius DEI vivi. Unus pro multis dedit responsum, unit as in multis. Tunc ei Dominus ait, Beatus es Simon Bar Jona, quia non revelavit tibi Caro & Sanguis, sed Pater meus, qui est in Cælis. Deindè addidit, & Ego dico Tibi, q. d. Quia tu dixisti mihi, Tu es Christus, Filius DEI vivi, & ego tibi, Tu es Petrus, Simon quippè vocabatur ante. Hoc autem ei nomen, ut petrus adpellaretur, à Domino impositum est, & hoc, ut eâ figurâ significaret Ecclesiam. Quia enim Christus petra est, petrus est populus Christianus; petra enim principale nomen est. Idè petrus à petrâ, non petra à petro; quomodo non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur. Tu es ergo petrus, inquit, & super hanc petram, quam confessus es, super hanc petram, quam cognovisti, dicens, Tu es Christus, Filius DEI vivi, ædificabo Ecclesiam meam, id est, super me ipsum, Filium DEI vivi, ædificabo Ecclesiam meam. Super me ædificabo te, non me super te. Plura ut dixi hisce similia ex Augustino possent adduci testimonia, nisi hæc essent sufficientia, adèò nimirum clara & perspicua, ut ex eorum tenore Bellarminus ipse debuerit agnoscere tanquam indubium, Christum esse petram, aliqua tamen adjiciens suæ hypothese, quam suscepit defendendam, inservientia, scilicet, Christum esse primum, (scribere debebat, solum & unicum) Ecclesiæ fundamentum, idque ex hoc loco colligi aliquo modo, cum omni modo id indè colligatur. Quorsum pertinet, quod inverso planè modo ex hoc testimonio argumentatur, Si Petrus est fundamentum Ecclesiæ loco Christi, quod tamen adhuc est demonstrandum, multò magis Christum esse fundamentum. Omnium perverissimè autem agit, quod nihilominus putat sensum horum Christi verborum proprium & sic loquendo immediatum & literalem esse, super Petrum ædificandam esse Ecclesiam, expresse contra constantem & sæpissimè explicatam Augustini Sententiam, contra quem hic, quod exciperet, habuit nihil, quam Eum ex ignorantia Lingue Ebrææ esse deceptum. Nam si advertisset, inquit, Cephæ nihil aliud significare, quam Petram, & Dominum dixisse, Tu es Petra, & super hanc Petram, nihil dubitasset de veritate nostræ Sententiæ. Ad quam illationem ipsis Bellarmini verbis respondere consultissimum erit, Is, ubi infra circa explicationem Verborum Institutionis Eucharisticæ Lutherum ad Idiotismum Ebræi Idiomatis provocare scripsit, hoc responsi loco dedit, Verba Domini Ebraica rectius exposita à Marco & Lucâ & eo, qui Mattheum Græcè fecit, qui sine dubio antiquissimus aut horum fuit, quam ab ullo alio exponi possint. Adde, Latinam Versionem observare idem discrimen, quod Augustinus in Sententiæ suæ Explicatione pro fundamento habuit, cujus acclatio in ejus etiam vergit contentum.**

Tract. ult.
in Joh.

1. Cor. 10.
1. Cor. 3.

Serm. 13.
de Verb.
D.

vid. D.
Gloss.
Rhet. S.
pag. 127.

lib. 1. de
Euchar.
c. 11.

CAPVT DECIMVM,

DE

*Clavibus regni Cælorum.**Matth. ibid.*

AD hujus Capituli, & quæ singulari studio in id congestis pro sua thesi defendenda Bellarminus, non illustrationem, sed obscuracionem potius, plurima insigni labore contulit eruditissimus Sorbonista *Launojus*, in prolixissima ad Hadrianum Vallantium, Parisiensem Theologum, & Ecclesiasten Remensem Epistolâ, quæ quintum in secundâ earundem parte obtinet locum, quibus plerasq; Bellarmini pro autoritate Clavium Petro concessarum monarchicâ rationes & argumenta tanquam impertinentia & ad præsens Institutum minus sufficientia eluduntur & suo deturbantur loco, nobis inde nunc ea tantum excerptibus, quæ Augustini autoritatem respiciunt, ex cujus diversis Tractatibus & Scriptis sex & viginti testimonia ad hujus Controversiæ explicacionem suo ordine verbotenus adlegavit, hæc demum de suo addens: *Hactenus Ecclesiarum Magister Augustinus, apertè, frequenter, perseveranter; & eam ob causam, quæ retulimus, omnia per se ipsa intelliguntur. In quibusdam locis Ecclesiastica potestatis subjectum designat proximum, cum claves Ecclesiæ à Christo datas fuisse dicit; in aliis ejusdem potestatis subjectum significat remotum, cum claves & Petro & cæteris Apostolis à Christo datas fuisse scribit, hoc est, cum illam potestatem per actus suos & usus definit, ac utroq; modo cum Augustinus disputat, Parisiensem, imò & Catholicâ Ecclesiæ Sententiâ adeo confirmat, nihil ut supra esse possit.* Ex tanto testimoniolorum numero lubet nunc unum modò huc exscribere, ex cujus tenore de cæteris omnibus judicari potest. Exhibet illud laudatus Sorbonista numero ferè medio, id est, tertium supra decimum, ex ultimo super Johannem Tractatu delutum, undè ad Caput quoq; antecedens Augustinum habuimus Evangelicæ Veritatis Confessorem augustissimum. Ita autem ibi Sanctus Pater: *Petrus Apostolus Ecclesiæ propter Apostolatus sui primatum gerebat figuratâ generalitate personam. Quod enim ad ipsum proprie pertinet, natura unus homo erat, gratiâ unus Christianus, abundantiore gratiâ unus idemq; primus Apostolus. Sed quando Ei dictum est, Tibi dabo claves regni Cælorum &c. universam significabat Ecclesiâ. Et post ea, quæ paulò supra legimus: Ecclesiâ, quæ fundatur in Christo, claves ab Eo regni Cælorum accepit in Petro, id est, potestatem ligandi solvendiq; peccata. Quod enim est per proprietatem in Christo Ecclesiâ, hoc est per significacionem Petrus in petrâ; qui (rectius, quâ) significacione intelligitur Christus Petra, Petrus Ecclesiâ. Et iterum post aliqua: Omnibus Sanctis ad Christi corpus inseparabiliter pertinentibus, propter hoc vitæ procellosissima gubernaculum, ad liganda & solvenda peccata claves Regni Cælorum primus Apostolorum Petrus accepit, eisdemq; omnibus Sanctis propter Vitæ illius secretissima quietissimum sinum super pectus Christi Iohannes Evangelista discubuit, quoniam nec ille solus, sed universa Ecclesiâ ligat solvitq; peccata, non iste Iohannes &c.* Ex hoc uno testimonio, inquam, de cæteris omnibus judicari potest, nimirum, non esse ad nutum & mentem Bellarmini Augustinum; unde *Launojus* post laudata hujus Ecclesiarum Magistri testimonia satis aperta porrò ita scribit: *Facessant ergò Iohannis Turcremata, Dominici Iacobatii, Thoma Cajetani, Roberti Bellarmini & Sectatorum præstigia, quibus, quod Sole clarius est, inobscurare conantur. Augustini libros non evoluerunt, nec loca cum locis contulerunt, ut veram Sancti Doctoris sententiâ expiscarentur, inquirerent, agnoscerent. Vnum aut alterum locum à reliquo contextu avulsim legerunt, & examinandum sibi sumserunt, ut Beato Augustino de sua, non ut sibi de Eiusdem Sententiâ accommodarent. Hoc vitium in Turcremata, Iacobatio, Cajetano, Bellarmino & Sectatoribus notasse, illos confutasse est; si tamen, cum ita se erga Beatum Augustinum gesserint, digni sunt, qui confutentur. Inter cæteros, quos ante & post Augustini ætatem laudat Scriptores Ecclesiasticos sexaginta novem, quibus etiam non unius Concilii Decreta, in eundem sensum & Sententiâ inferuntur, ultimo terè loco etiam exhibet *Tostatum*, ad hanc Augustini Explicacionem singulari cum observatione provocantem, & plurima in hanc rem similia monentem; Eidem post singulare hoc Elogium adscribens: *Tostato vix ullus Tractator Ecclesiasticus opponi potest, si acre Ingenium, si incomparabilis diligentia, si linguarum plurium cognitio, si Iurisprudencia, si Philosophiâ & Theologiâ intelligentia, si editorum ab Eo librorum multitudo, si tempus vitæ brevioris, si morum probitas simul attendantur. Quod Elogium eò acceptius esse debet**

debet, quò magis consentit cum eo, quod de Eo Antonius à Soto major, supremus non ita pridem in regnis Hispaniarum & Generalis Inquisitor, novissimo librorum prohibitorum & expurgandorum Indice à Genevenses nuper recuso curavit inseri addens, propter monitum Indicis Romani, ne quid in libris Catholicorum (sensu papæo) veterum mutetur, nisi, ubi aut hæreticorum fraude, aut incuriâ typograghorum manifestus error irreplevit, Consilium Sanctæ Generalis Inquisitionis, auditis Fidei censoribus doctissimis, ac inspecto gravi Defensorio, quod pro Eo Collegium Salmanticense D. Bartholomæi obtulit, omnes Notas & cautiones, quas in Indice Expurgatorio antehac edito ad Ejus operæ censuit adhibendas, nunc tandem aboleri mandavisse. Sed ad Launojum, qui tot illustribus Patrum testimonijis contra Bellarmini Sententiam adductis hæc subjungit: *Nunc superest, ut expositionem universalis Ecclesiæ de clarissimo Subjecto traditionem, à parum sinceris Bellarmini imperitionibus defendam, quo nihil est facilius. Nam Authoris hujus verba simpliciter referre, simpliciter confutare est, usq. adeo Veritati & aequitati adversantur.* Et post examinata quædam Bellarmini Verba ex hoc capite duodecimo desumpta, quibus errorem hæreticorum refutare adgreditur, quem tanquam universalis Ecclesiæ traditionem Launojus omni studio defendit, eamque ob rem graviter accusat Bellarminum, quod, ut Doctrina sua novitatem inculcet, & Parisensium Sententiam tacitus infamet, Gorgonei, capitis ad spectu horribiliorem faciat, illam talibus adscribat hominibus, qui seorsim per Religionem sentiunt; post, inquam, aliquorum Bellarmini verborum examen ita pergit: *Bellarminus dissimulat illa omnia Beati Augustini testimonia, quæ suo loco recensuimus, ut & prioribus & posterioribus Ecclesiæ tractatoribus intelligendis, in quorum numero etiam aliqui exhibentur Pontifices Romani sine præjudicio & partium studio judicantes, faciem præferremus. Nonnulla tamen Doctoris sancti refert testimonia, & hæc minus expressa, & sapius truncata, quæ facilius excogitatas in volaticâ Turrecremata & Caritani Academia distinctiones admittant. Cum Augustini loca omnia diligenter leguntur & inter sese conferuntur, sua sponte modus occurrit, quo Pater Sanctissimus intelligit, Petrum gestasse personam Ecclesiæ, cum à Christo claves accepit. Sed Bellarminus collatorum inter sese locorum splendorem ferre non potest, tenebras quarit in duobus adverbis, Historice & Parabolicè, quibus à Petro tantum Ecclesiæ persona gestaretur, & à Petro personam Ecclesiæ gestatam esse recipit, quo nihil est à Beati Augustini & cæterorum Patrum mente alienius. Addenda sunt hic, quæ Launojus porro contra Bellarmini in hoc capite methodum observavit: Bellarminus etiam non parum impingit in Fidei Tridentina Regulam seu professionem, quæ teneatur quisq. Sacram Scripturam juxta unanimum consensum Patrum accipere & interpretari. Sacramentum hoc insuper habet Bellarminus, nec Matthæi locum accipit & interpretatur, sicut pleriq. Patres recensiti accipiunt & interpretantur. Quin etiam è tantâ nube Patrum ne duos quidem adfert, qui locum accipiant, ut in illius opinione accipiendus est. Tum demùm, si quando certâ quædam edit Patrum testimonia, hæc ad Sacrorum Canonum Normam & ad Disciplinæ Ecclesiasticæ Solem exposita diffugiunt, & authori suo vehementer incommodant. Deniq. secum pugnat & inconsequenter disputat. Adhac, si Tridentinum perlegisset Concilium & expendisset, quam oppugnat Sententiam, non oppugnaret; locutiones in eo passim reperisset multas, quæ ad sensum rejecta à se traditionis & Doctrinæ proferuntur, id quod quatuor docet exemplis singularium locutionum, de quibus iteratò monet, quod non in Bellarmini opinione, sed in eâ Patrum Sententiâ probe intelligantur, quam post Augustinum & cæteros Patres Scriptoresq. Ecclesiasticos, in specie etiam Testatus optimè & luculenter exposuerit & Parisenses sequantur. Placuit hæc ex Launojo, id est, teste domestico, eoque magis probato, & fide ob id ipsum digniore, prolixius quamvis adducere, ut adpareat, quid de candore Bellarminiano in citandis Patrum testimoniis, nominatim Augustini sit statuendum, cujus candoris minimè laudandi specimina eodem observatore plura deinceps suis quæque locis sequentur.*

CAPVT DECIMVM QVARTVM & seqq.

DE

Ovis à Petro pascendis,

Job. 21.

ID ita intellectum vult Bellarminus, ut per commendatam hanc ovium curam Petro aliquid singulare collatum existimet ideo, quia ad Petrum in specie dictum est à Christo, *Pasce oves meas.* idque præter alios Patres ab Augustino quoque observatum. Verum

Verum etsi Augustinus non inficias ire poterit, Petro Christum Pastorem antehac ter neganti ter etiam repetitis vicibus dictum esse, *pascere oves meas*, neque à quoquam id negari possit Evangelicorum; Augustino tamen in mentem venit nunquam, ut exinde concluderet, Petro per hoc ipsum universale regimen Ecclesiae, neque ovium modò, sed & cæterorum omnium Pastorum, in specie Apostolorum, à Christo commissum esse, quin potius ex hoc ipso ansam sumsit Augustinus, ut omnes in universum Pastores serió moneret, quâ ratione & modo diligentem ovium à Christo sibi concreditarum curam gerere debeant & habere, de quo sequentia testari possunt verba: *Sit amoris officium, pascere Dominicum gregem: si fuit timoris indicium, negare Pastorem. Qui hoc animo pascunt oves Christi, ut suas velint esse, non Christi, se convincuntur amare, non Christum, vel gloriandi, vel dominandi, vel adquirendi cupiditate, non obediendi, & subveniendi, & DEO placendi charitate. Contra hos ergò vigilat toties inculcata Vox ista Christi, quos Apostolus gemit sua querere, non quæ Iesu Christi. Nam quid est aliud, si diligis me, pascere oves meas; quam si diceretur, si me diligis, non te pascere cogita, sed oves meas; sicut meas pascere, non sicut tuas; gloriam meam in eis quere, non tuam; Dominium meum, non tuum; Lucra mea, non tua.* Et post aliqua: *Meritò dicitur Petro, diligis me, & respondet, amo Te, eique refertur, pascere agnos meos, & hoc iterum, hoc tertio. Hortatur postmodum omnes animarum pastores: Non ergò nos, sed ipsum amemus, & in pascendis ovibus ejus ea, quæ sunt Ejus, non ea, quæ sunt nostra, queramus.* Et iterum post quædam: *Non sint ergò seipsos amantes, qui pascunt oves Christi, nec tanquam suas, sed tanquam ipsius pascant eas &c.* Addantur sequentia, & ne litera quidem comparebit, quæ Instituto Bellarmini ad ostendendum universale & monarchicum Ecclesiae Regimen Petro commendatum interviant. Imò alibi expressè contra hanc Bellarmini Sententiam ita scripsit: *In uno Petro figurabatur unitas omnium Pastorum, sed bonorum, qui sciunt oves Christi pascere Christo, non sibi.* Et iterum alibi: *Non sine causa inter omnes Apostolos Ecclesie Catholice personam sustinet Petrus, huic enim Ecclesie claves regni Cælorum datae sunt, cum Petro datae sunt; & cum Ei dicitur, ad omnes dicitur, Amas me, pascere oves meas.* Infirmare quidem nititur Bellarminus ultimum hoc Augustini testimonium, sed non parùm confirmat, scribens: *Etsi verba hac propriè & principaliter ad solum pertinent Petrum, omnibus tamen Episcopis suo quodam modo convenire, quia videlicet omnes, qui in partem sollicitudinis à Petro (cur non à Christo?) vocantur, Petri formam in pascendo grege imitari debent.* Itaq; quod Summo Pastori (scribere debebat, Pastorum unà Summo Pastore Christo) dicitur, id suo etiam modo minoribus (quibusvis) aliis Pastoribus servatâ proportione dicitur. Neque aliud quid voluit idem Augustinus verbis iterum à Bellarmino citatis, statuens, *Christum Petro oves pascendas, id est, docendas regendasq; commississe*, utpotè ex quibus velle Regimen Ecclesie Monarchicum extorquere nihil est aliud, quàm ex punice aquam. Est insuper insigne documentum, Augustini Sententiam in explicandâ Pastoralis curâ Petro commissâ Bellarminianæ opinioni minimè consentaneam, quod Bellarminus ostendere volens, per oves Petro ad pascendum commendatas univèrsam intelligi debere Ecclesiam, dum ad consensum Ecclesie Doctorem provocavit, nullum ex Augustino testimonium adducere potuit, non intermissurus, si quid in promptu fuisset. Quin nec quidquam ad rem facit, quod ex Augustino responderet ad objectionem quartam de correptione & correctione Petro-Paulinâ, cujus supra quoque ad tertium tertii de Sac. Scripturâ libri Caput aliqua mentio est facta. Ratio objectionis in eo est sita, quod, si juxta Sententiam Bellarmini dicendum sit, Petro universalem ovium curam à Christo esse commissam, perque oves non auditores solum, sed & cæteros Pastores, ad eò que ipsos etiam Apostolos intelligi debere, Statui huic Monarchico incompetens videatur, supremum Pastorem ab unâ ovicularum, & quidem publicè, corrigi & corripì. In responso concedit quidem Bellarminus, *probabiliorem præ Hieronymi esse Sententiam Augustini, quod Petrus serió fuerit à Paulo reprehensus; addit tamen, univèrsali curâ Pastoralis id non esse contrarium, licere enim minori majorem reprehendere, modo res id postulet & debita conservetur reverentia.* Et hunc in finem sequentia citat Augustini Verba, Pauli reprehendentis actionem, & Petri in admittendâ reprehensione passionem inter se comparantis: *Rarius & sanctius exemplum Petrus posteris præbuit, quò non dedignarentur à posterioribus corrigi, quam Paulus, quò confidenter audent minores majoribus pro defendendâ Veritate, salvâ charitate resistere.* Sed hoc Augustini testimonio non sufficienter infirmavit Bellarminus vim objectionis citatæ, quâ incompetens esse Statui Monarchico, & curæ Pastoralis Catholice judicatum est, Supremum

Tract 123
in Joh.

Philip. II;

Serm. 24.
de Sanct.
de Agone,
cap. 30.vid. 1. Pet.
V.Epist. 19.
ad Hieron.

Pastorem ab ove & quidem publicè reprehendi. De cætero etfi Augustinus in comparatione Petrum Paulo præponat magisq; dignum laude existimet, ideò, quia tam feriam & severam reprehensionem à Paulo tam humiliter & patienter sustinuit, quod tamen ad ipsam Quæstionem nihil planè aut parum conducit; nihilominus in proximè sequentibus hanc comparationem ita temperavit, Augustinus, ut utrumq; sua laus maneat debitumque unicuiq; Elogium, scribens: *Est laus justa libertatis in Paulo, & sancta humilitatis in Petro.* Addantur, quæ supra in hanc rem fuere adducta, & non parum Lucis huic etiam Controversiæ accedet. Superpondii loco nunc subungere placet, quæ ad illustrationem hujus reprehensionis Petro-Paulinæ celebri Seculo priore Commentator ex ordine Prædicatorum Catharinus observavit scribens: *DEus in egregium posteris exemplum permisit, ut id in tam magnis Apostolis accideret, & Paulus quidem exemplum præberet Zelè & fiducia etiam ad corrigendum Superiorem; Petrus verò Humilitatis & respicientia ad recipiendum ab Inferioribus factam correctionem & ad mutandum Sententiam.* Hæc ex hypothesi inter suos receptâ scripsit, adeoq; ad mentem Authoris intelligenda; quæ autem subjungit, alii videant, an verè ita scripserit: *Quod si quis objiciat; Non omnes Pontifices sunt Petrus, qui mansuete audiant bona consilia, quum volunt carni complacere & sanguini; Illud cogitare debet, nulli ab officio suo licitum esse desistere, propterea quod aliud non impleat suum. Videant ergo, ne illud va multos maneat, quod Esaias agebat, va mihi, quia tacui; quæ non raro est excusatio declinans in peccata. Multa enim à Pontificibus facta novimus indigniora, quibus si ii, qui videntur Columnæ esse, (de Cardinalibus loquitur) apertas suas Sententias, & nasciturum inde Scandalum, & erroris gravitatem opposuissent, non lugeret pusillorum (imò majorum quoque) scandala pia Mater Ecclesia. Sed omnia ferè præpostero ordine conversa sunt. Paucissimi sunt, qui audeant; plures autem, qui Veritatem DEI in Injustitiâ detinent. Adsentatorum non est numerus. Sed porrabunt iudicium, quicumq; sint illi.* Ex quibus verbis id nunc solùm noto, videri Catharinum majori dignum laude reprehendentis apertum candorem, quam reprehensi humilitatem existimare, quod hætenus quidem satis est.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM & seqq.

DE

Prærogativis Petri,

INTER quas ea hinc inde immiscet Bellarminus, ut mirum sit, non erubuisse purpuratum hunc Scriptorem, tantam rem tam negligenter agere, & primarium Romani Papatus fundamentum tam inanibus fulcris suffulcire. Nobis iterum ad id solùm erit respiciendum, quod Augustinum concernit, citataque ex Eiusdem Scriptis testimonia, quæ tamen non circa omnes, sed aliquas tantum ex majori eorum numero occurrit prærogativas. Et quidem ad secundam quæ recensionem Apostolorum à Matthæo, cæterisq; Evangelistis Marco & Lucâ factam exhibet, inque eâ Petrum ordine primum, existimat Bellarminus, Augustinum eò respexisse, ubi in loco ante laudato & prolixius citato scripsit, *Petrum Ecclesia personam figurat à generalitate propter Apostolatûs sui primatum gessisse.* At nil minus quàm hoc voluit aut intendit Augustinus, sicut nec verbulo hanc esse mentem suam docuit; sed potius ad ipsum munus Apostolicum respexit Doctor augustus, cometi ipso indicans, non è numero Discipulorum, quos præter duodecim Apostolos propius sibi junxerat Christus, sed Apostolorum, utpotè Antecessorum in Ecclesiâ per universum orbem colligendâ elegisse Christum, qui personam Ecclesiæ figuratâ (ut Sanctus Pater loqui amat) generalitate gereret, eo nimirum modo, quem prolixè ibidem descripsit, adedque Apostolatûs vocavit primatum, qui honor postmodum Episcopis tanquam ordinariis Apostolorum Successoribus cessit, à plerisque Ecclesiæ Patribus officio Episcopali in specie attributus, absq; tamen præiudicio cæterorum, qui extra Episcopatum in ordine Presbyterorum vixerunt, ut suo inferius loco uberius demonstrabitur. Quia autem huic Apostolorum recensionem, in quâ Petrus primum occupat locum, non verò monarchicum aliquem primatum & principatum, alia solent opponi loca, in quibus non Petrum, sed alios Apostolorum primus tangit ordo, nominatim ille, quem Bellarminus ipse adducit, ubi Jacobus Petro præponitur; ideò respondet Bellarminus, certum non esse, an Paulus ita dixerit, cum præter alios ex Patribus in primis Augustinus non solùm in Textu, quem tamen Augustinus separatim more Commentatorum non exhibet, sed in Commentario etiam Petrum primo sistat loco; quod

Tract. ult. in Joh. citato scripsit, *Petrum Ecclesia personam figurat à generalitate propter Apostolatûs sui primatum gessisse.* At nil minus quàm hoc voluit aut intendit Augustinus, sicut nec verbulo hanc esse mentem suam docuit; sed potius ad ipsum munus Apostolicum respexit Doctor augustus, cometi ipso indicans, non è numero Discipulorum, quos præter duodecim Apostolos propius sibi junxerat Christus, sed Apostolorum, utpotè Antecessorum in Ecclesiâ per universum orbem colligendâ elegisse Christum, qui personam Ecclesiæ figuratâ (ut Sanctus Pater loqui amat) generalitate gereret, eo nimirum modo, quem prolixè ibidem descripsit, adedque Apostolatûs vocavit primatum, qui honor postmodum Episcopis tanquam ordinariis Apostolorum Successoribus cessit, à plerisque Ecclesiæ Patribus officio Episcopali in specie attributus, absq; tamen præiudicio cæterorum, qui extra Episcopatum in ordine Presbyterorum vixerunt, ut suo inferius loco uberius demonstrabitur. Quia autem huic Apostolorum recensionem, in quâ Petrus primum occupat locum, non verò monarchicum aliquem primatum & principatum, alia solent opponi loca, in quibus non Petrum, sed alios Apostolorum primus tangit ordo, nominatim ille, quem Bellarminus ipse adducit, ubi Jacobus Petro præponitur; ideò respondet Bellarminus, certum non esse, an Paulus ita dixerit, cum præter alios ex Patribus in primis Augustinus non solùm in Textu, quem tamen Augustinus separatim more Commentatorum non exhibet, sed in Commentario etiam Petrum primo sistat loco; quod

Galat. II.

posterius etsi negari non possit, non tamen in eum finem id à Sancto Patre factum esse credi debet, quasi Paulo se opponere, ordinemque ab Eo observatum intervertere voluerit, sed quia illo jam tempore Petro aliquem in ordine Apostolico primatum, non tamen Principatum præcisè monarchicum communiter adscribi non ignoravit, id insuper addens, quo consequentiam indè deductam à Bellarmino prudenter præoccupavit: *Petrus, Iacobus & Iohannes honoratiores in Apostolis erant, quia ipsis tribus se in Monte Dominus ostendit in significatione regni sui &c.* Præoccupavit inquam & præcavit Doctor augustus hanc sequelam, dum ordine non attento idem omnibus Elogium, eundem omnibus honorem adscripsit, minimè id facturus, si soli Petro ordinis ratione adscribi debuisset. *Ad quartam* Petri prærogativam refert Bellarminus, quod soli Petro peculiaris revelatio fuerit facta ejus Confessionis, quam à Magistro & Doctore suo requisitus publicè edidit, Augustino iterum præter alios Patres id agnoscente, dum scripsit: *Petrus divinâ revelatione prior omnium Veritatem meruit confiteri.* Sed fallitur Bellarminus aliosq; secum fallit & deducit, id Subjecto prædicationis adscribens, quod de jure ad ejus pertinet prædicatum. Constare id indè potest, si ex Evangelistarum harmoniâ observaverimus, alias jam Apostolorum de personâ & officio Christi antecessisse confessiones, quas eadem ratione Revelationi Divinæ, quâ hæc Petrina, adscribi debere, nescio, an quis in dubium vocare ausit. *Ad quintam*, quæ eodem nititur fundamento, nimirum promissione ibidem factâ, de non prævalituris Inferorum portis contra Ecclesiam Petræ inædificatam, id repetit Bellarminus ex Augustino testimonium, quo supra jam vidimus ipsam Petri Sedem ab augusto Doctore dictam esse Petram, à superbis Inferorum portis invincibilem & insuperabilem, simul notantes responsum ab ipso suppeditatum Bellarmino, *Sanctum Patrem non tam Petrum, quam Ejus Sedem vocasse Petram*, adscriptâ etiam absurditate illâ, quæ ex ulteriori illatione Bellarmini sequitur, Ecclesiam super Ecclesiam esse ædificatam, & Ecclesiam esse fundamentum Ecclesiæ, quod responsum & hic sufficere potest. *Ad sextam* accedimus Petri prærogativam, quam Bellarminus indè deducit, quia Christus tributum solvi jussit pro se & Petro tantum, non simul pro cæteris etiam Apostolis, Authore Quæstionum utriusque Testamenti apud Augustinum id interpretante, *quia sicut in Christo, ita & in Petro omnes continebantur.* Potuissimus quidem facillè hanc silentio prætermittere Prærogativam, quia non ipse Augustinus, sed Augustinianaster quidam ad ejus adducitur confirmationem. Verum ob id ipsum & hic ostendi debet, quam non candidè rem hanc tractet Bellarminus, qui & capite sequenti supra vigesimum quinto hunc Scriptorem sub Augustini nomine ad demonstrandum Petri primatum eundemque monarchicum inter cæteros viginti quatuor Patres adducit, quos viginti quatuor Senioribus Apocalypticis comparat, de quo tamen non solum in posterioribus Controversiarum libris non semel, sed & in de Scriptoribus Ecclesiasticis opusculo fateretur, *non esse Augustinum, sed aliquem hereticum*, aliqua recensens dogmata Fidei analogiæ minus conformia, inter quæ forsitan & hanc loquendi formulam deposuisset, de quâ in præsentia agitur, nisi ad hypothesin aliquatenus firmandam idonea ipsi fuisset visa, adeòque nullo planè modo prætermittenda, minus tamen sincere, ut dixi, & quo ipso rem suam non parum fecit suspectam. *Ad Septimam* nunc si deveniamus Petri prærogativam, Bellarmini Simpliciter vel potius stuporem satis mirari non licet, quâ ductus exindè monarchicum Petri principatum & Augustini quidem autoritate Lectori studet persvadere, undè Augustino nihil unquam tale in mentem venit, ne per Somnum quoque. Nimirum quia in Evangelistarum harmoniâ duplex Petri piscatio eaq; ex singulari favore Christi miraculosa cum certis quibusdam circumstantiis memoratur, & prior quidem facta mox sub initium publicæ prædicationis Christi, posterior autem post gloriosam Ejus è mortuis Resurrectionem, & Augustinus in Tractatione hujus homileticâ ad auditorum simplicium informationem occupatus, studioq; ductus Allegorico, *priorem designasse militantem, posteriorem verò triumphantem* Ecclesiam scripsit & publicè dixit, hinc Bellarminus ingeniosè, ut videri vult, Petro monarchicum in Ecclesiâ (nescio tamen, num in triumphantem etiam?) principatum adfinxit, cujus scio augustissimum Doctorem puderet, si ex Verbis à se alio planè sensu conceptis & prolatis tale quid expressum videre cogeretur, quod exindè sequi ipse, oculatissimus quamvis, tum videre & prævidere non potuit.

Præmissis nunc duabus Prærogativis sequentibus, utpotè in quibus confirmandis Augustinus est ab intestato, *Decima* succedit, ideò principatum Petro monarchicum adscribens, quia teste Augustino primus fuit Petrus, cui Christus pedes lavit. Augustinum

Serm. 124.
de Temp.in Psalmo
c. part.
Don.vid. R. Co-
cum in
Cens. pag.
345. & D.
Gerh in
Patrol. p.
371.Tract. 122
in Job.

id scripsisse & statuisse, verum quidem est: Sed agnoscit ipse Bellarminus, alios Patres, in specie *Chrysostrum & Theophylactum*, existimasse, Judam Petro hunc honorem abstulisse, Eumque primum fuisse, cui Christus pedes laverit. Alii etiam ex Commentatoribus Papæis, nominatim *Jansenius Gandavensis*, de Origene testantur, quod Petrum fensit ultimum fuisse, cui Christus laverit pedes. Inde *Conzenius* de suis fatetur, multos eorum negare, lotionis à Petro initium fuisse. *Immanuel* etiam de *Saa* in breviusculis Anotationibus suis pro incerto adhuc habet. Et tamen Bellarminus huic etiam incertæ rei, adedque fundamento valdè lubrico, principatum Petri monarchicum superstruit, super quo tanquam Petram nonnisi immobili & firmissima universam Ecclesiæ molem ædificatam esse hætenus defendere est ausus, similis illi Architecto, quem Christus sub finem Concionis Montanæ vivis quasi coloribus depinxit, in Bellarmino hodie redivivum, sed & cum strue suâ omnibusque machinis jam diu recidivum; ad quas suo etiam merito referimus, quod Bellarminus ad prærogativam (post plures non-Augustinum agnoscentes authorem) tertiam & vigesimam ex antiquitate Ecclesiasticâ, nominatim Augustini iterum autoritate refert, adducens victoriam Petri contra Simonem Magum, primum *Hæresiarum & Principem ac Patrem omnium Hæreticorum*, Romæ obtentam, cuius etiam respectu Petro principatum inter & super cæteros omnes Apostolos monarchicum de beri extra omnem putat controversiam. Quamvis enim rem ipsam, id est, actum Petri cum Simone Mago, ob unanimum ferè antiquorum Patrum traditionem, in totum negare vix audeamus, ut non paucæ in circumstantiis variationes, æque non planè de nihilo, accuratos hujus historiæ examinatores in suspensio adhuc habeant; non tamen videre aut penetrare licet vim consequentiæ & argumentationis ex eâ deductæ, nisi omnes eos Doctores & Episcopos, qui Petri & cæterorum ex ordine Apostolorum exemplo vel Scripto vel ore tenus in confutandis & convincendis non unius generis hæreticorum erroribus victoriæ palmam obtinuerunt, pro Ecclesiæ Capibus & monarchicis Principibus agnoscere velimus, quorum numero pauci Romanorum Pontificum ad censentur, utpote quorum plerique, primis Martyribus exceptis, de hoc eodem principatu obtinendo magis, quam de hæresibus iusto erga orthodoxam Veritatem zelo eliminandis solliciti fuere. Una nunc adhuc est super Prærogativa, ordine vel numero post vigesimam septima, quam ex Augustino confirmare nititur Bellarminus. Exhibet ea Festum *Cathedræ Petri*, vetustatem ejus probante non solum Martyrologio *Bede*, sed & Sermone quodam Augustini de Sanctis, quem tamen à Scholâ Lovaniensi in adpendicem esse rejectum, *Baronius* in Noris ad Martyrologium agnovit, insuper responsum suppeditans, quo prærogativæ hujus principatum facili operâ eludere licet & infirmare, dum sequentia ex aliis Antiquioribus Monumentis observat, *laudabilem in Ecclesiâ viguisse usum, ut dies anniversaria ageretur*, (celebraretur) *quâ quis alicui Sedi præfectus esset* *Episcopus. Id eam in occidentali Ecclesiâ, quam in orientali observatum, innumera ferè Exempla docere.* Præter Romanam de aliarum quoque Ecclesiarum usum profert documenta, ut quod *Ambrosius* scribit de Felice, Episcopo Comensi, & Augustinus de die natali Aurelii, Episcopi Carthaginensis, deque lux ipsius etiam ordinationis die anniversaria. Addit, *de consuetudine orientalis Ecclesiæ satis monere Græcorum Menologia, in quibus Basilii, Chrysostrami & aliorum agatur* (celebretur) *Sedis eorum dies natalis.* Et postquam multa in gratiam Cathedræ Petri Solennitatemque Ejus celebrandam concessit, de Cathedrâ etiam Jacobi, ut putat, Apostoli & Episcopi juxta communio rem Sententiam Hierosolymitani ex Eusebio refert, *eam quamvis ligneam, post tot tantaque populi Judæorum naufragia, nihilominus integram esse servatam usque ad tempora Constantini Imperatoris, qui & Episcopus Successores decenti honore custoditam veneratos esse; imò & Alexandria Cathedram Marci, qui Petri fuerit Discipulus, esse conservatam, in qua Successores ob celestem in eâ splendorem Divinitus ostensum sedere in posterum non sint ausi.* Quæ omnia pluribus omissis ex *Baronio* huc ponere libuit, ut loco Instantiarum Bellarmini Syllogisimum infringant, dum, quod Ille de Petri Cathedrâ ad Principatum Ejus Monarchicum manu pedibusque tenendum adtulit, de aliis etiam Cathedris ab Apostolis & Apostolicis Viris olim occupatis & illustratis dici jure meritoque possit. Sed non videtur hodie tanta tantam Festi Cathedralis in Ecclesiâ Romanensi esse æstimatio, cui tamen Bellarminus tantam Principatus Monarchici molem Architectus minimè artificiosus superædificavit. Est enim Platinâ teste Paulus hoc nomine quartus Pontifex Seculo superiori, inter cætera hanc quoque Festivitatem in aliquibus Ecclesiis exolescentem, & planè antiquatam literis, ut vocant Apostolicis pristino restituit honori, optimè de Antecessoris Cathedrâ

vid. D.
Dannh.
Christ.
Act. 1.
P. 1028.

conf. An.
nal. Eccl.
Franc.
Tom. II.
pag. 73.
an. 4. 18.
Jan.

lib. 8 E.
pist. 60.
Serm. 32.
de V. D.
Homil. 24
& 25.

Histor.
Ecclef.
lib. 7, c. 14.

conf. Ca.
saub. Ex.
erc. c. Ba.
ron. 13.
num. 17.

mereri

mereri volens: factum scimus tamen Anno hujus Seculi post quadragesimum secundo, à moderni Papæ Clementis tertio Antecessore Urbano hujus nominis inter tot Pontifices octavo, ut singulari pro observatione Festorum, Constitutione, in ipsâ Festorum futuro tempore in Ecclesiâ observandorum recensione, cum aliquibus aliis hoc quoque Festum Cathedræ Petri omiserit, hocque silentio antiquaverit, quo ipso an pro ratione Statûs sui prudenter egerit, aliorum esto Judicium. Id nunc tantum pro Instituti ratione notandum, si Bellarmini loco aliquis prærogativarum Petri hyperapistes eas noviter recensere, adque defendendum contra Evangelicos suscipere velit, post hujus Festi abolitionem, Apostolicâ ut dicitur autoritate factam, numerum earundem eo ipso immittitur iri, dum ipse Pontifex eam Catalogo cæterarum exclusit, ob causas, quas in pectoris serinio occultatas nobis indagare licitum non est, nisi parodicè imitari velimus *Caramuelem*, causas, cur Festum Immaculatæ Conceptionis Mariæ idem Pontifex, ut scribit, urbanissimus, in eadem Constitutione prætermiserit, hocque ipso etiam abrogaverit, divinantem, prolixissimè ex primâ Theologiæ Fundamentalibus Editione in *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* expostas, unde, si opus & ère videbitur, repetendas. Nunc paralipomena confestantes adpendicis loco ea adhuc loca breviter videamus, quæ in ultimis libri hujus primi capitibus hinc inde ex Augustino producit Bellarminus, & in specie ea, quæ porrò ad confirmandum Petri primatum exhibet, inter quæ etiam Comparatio inter Petrum & Cyprianum ab Augustino instituta, occasione oblatâ à Donatistis, qui errorem suum autoritate Cypriani hæreticos ad Ecclesiâ venientes rebaptizantis defendere satagebant, quibus exemplum Petri opposuit Augustinus; Petri inquam, in cursu Apostolico errantis, & ideo non ad imitationem trahendi. Ne autem hæc comparatione quidquam injuriæ Petro intulisse videatur Augustinus, ea adscripsit pro defensione sui verba, quibus primatum Petri evincere se posse sperat Bellarminus: *Puto, quod sine ulla sui contumeliâ Cyprianus Episcopus Petro Apostolo comparatur, quantum attinet ad Martyrii gloriam. Cæterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. Quis enim nescit, illum Apostolatus principatum cuilibet Episcopatu præferendum? Sed, etsi dispar Cathedrarum gratia, una tamen est Martyrum gloria.* Mirus horum Augustini verborum interpretes est Bellarminus, statuens, *Sedem Petri præ Cypriani Sede esse modo quodam in alio genere, & tamen differre eas, ut totum & partem*, quo nihil absurdius & ab Augustini mente alienius comminisci potuit Bellarminus. De cætero, sicut cum Augustino non negamus, eo tempore Petri cathedram in majori æstimo fuisse, quam particularium Episcoporum cathedras; non tamen Augustinum ad Petri personam, sed officium & Munus Apostolicum hoc Elogio & prærogativâ respexisse, atque adeo Apostolatus primatum cuilibet Episcopatu præferendum non solum ad Petrum, sed omnes in universum Apostolos pertinuisse, id quod sub initium hujus de prærogativis Petri tractationis ad alium quoque Augustini locum fuit observatum. Cui si accedat, quod supra ad nonum caput de Cathedris latiori sensu Apostolicis ex Tertulliano fuit notatum, manifestum erit, Cathedras etiam Episcopales post Apostolorum tempora, quas Episcopi Successores Apostolorum constituerunt, in non multò minori æstimo, quam ipsas fuisse Apostolicas. Cætera duo loca, quæ Bellarminus ad hunc Petri primatum porrò confirmandum adducit, parum juvant, inde nimirum desumpta, ubi non planè nullus est suspitioni locus, supponi Augustino, quæ patrem eum non agnoscunt. Et prior quidem ex illo Sermone, ex quo non adeo dissimilem paulò ante ad quartam Petri prærogativam vidimus, ibi dum Petrus *Fidei fundamentum* dicitur, in verbis proximè sequentibus ea, quæ Bellarminus adlegavit, videant, quorum interest, an id cum Fidei analogiâ & Augustini Doctrinâ alibi traditâ ex æsse conveniat. Posterior autem ex eo *Quæstionum* utriusq; Testamenti opere, quod itidem supra ex ipso etiam Bellarmino ostendimus, non Augustino, sed hæretico cuiusdam Scriptori adtribuendum esse, ob errores non unos. Ut adeo Lector Veritatis orthodoxæ, & candoris Theologici sectator studiosus hoc iterum documento videat, quam minus sincerè Bellarminus in principio Fidei propugnando egerit, non semel hætenus in solis ex Augustino citationibus apertissimæ fraudis convictus, & in posterum porrò convincendus. Quamvis id etiam non nisi debitâ cum gratiarum actione agnoscendum sit, quod non raro ea ex Augustino exhibuerit testimonia, quæ Evangelicorum Sententiam sæpè non parum confirmant. Exempli loco inservire potest illud, quod, ubi de comparatione Petri cum Paulo agit, de Apostolicæ denominationis Elogio, quod Paulo communiter adscribitur, ex Augustino adducit: *Apostolus cum dicitur si non exprimat, quis Apostolus, non intelligitur, nisi Paulus*

P 648. &
649.de Bapt. &
Donat.
lib II.
cap. 1.Conf. Ann.
nal. Eccl.
Franc. ad
Annum
162. n. 10.lib. III. ad
Bonif.
cap. 3.

quia

quia pluribus est Epistolis notior, & plus omnibus aliis laboravit. Certè si hæc Augustinus de Petro scripisset, nullum planè est dubium, quin numerum Prærogativarum auxisset Bellarminus, imò aliis omnibus prærogativis fortè præposuisset. Eiusdem derogativas jam, quod tandem attinet, sive potius peccata, quæ Petro communiter obijci solent, & à quorum reatu Bellarminus eum liberare conatur, inter ea sibi ipsi obijcit numero & ordine septimum, quo Petrus Domino & Magistro suo se opposuit, quando ejus & cæterorum omnium Apostolorum pedes lavare voluit, quod quamvis magni ad eò momenti non esse videatur, quia tamen excusare illud Augustini autoritate studet Bellarminus, scribens, *Petrum id fecisse se excusando, quod quilibet alius Apostolorum fecisset*; id tantum responsi loco subungere placet, tam non excusare ipsum hoc factum, quam non excusat, quod simili modo circa lapsum decimum & secundum de fugâ Petri scribit; *Eum non solum, sed omnes simul Discipulos fugisse*, cum numerus & multitudo errantium apud prudentes rerum æstimatores errori nunquam facere soleat patrociniū. Ad decimum & quintum Petri lapsum, ob quem supra Eum à Paulo publicè reprehensum vidimus, id notasse sufficit, quod Bellarminus ipse agnoscit, etsi hoc Petri factum Patres Græci peccato omni vacare velint, plerosq; tamen Latinorum, & inter eos Augustinum, *aliquid in eo peccatum agnoscere*.

LIBRI SECUNDI,

DE

ROMANO PONTIFICE,

CAPVT TERTIVM & QVARTVM,

DE

Petro Romæ mortuo, & ibidem Episcopo.

His præmisit Bellarminus demonstrationem, quod Petrus Romæ fuerit, oppositam *Veleno* cuidam, quem Lutheranaum dicit, octodecim argumentis contrarium sub initium Reformationis Lutheri operâ ceptæ demonstranti, in quorum examine varia quidem notari possent, imbecillitatem virium Bellarminianarum testantia, si id jam ageretur; verum, quamvis ex clarâ S. Scripturæ literâ id manifestum non sit, quia tamen tot Patrum testimonia unanimiter ferè id confirmant, nec, si Petrum Romæ fuisse certum sit, ullum exindè Veritati Evangelicæ accedat præjudiciū, quia & Augustini autoritas datâ forsitan operâ, quasi minus necessaria à Bellarmino fuit omissa, ideò ad ea statim descendimus, quæ Bellarminus porrò suscepit demonstranda, utur ea etiam, si concedamus, id quod impetratu à nobis est facillimum, nihil ad ipsam rem faciant, cujus gratiâ Bellarminus hæc quasi in antecessum præmisit. Nihil omninò, etsi ultrò largiamur, Petrum Romæ mortuum esse: Præprimis si id attendamus Augustini testimonium, quo *merita Petri & Pauli propter eundem passionis diem celebrius & solemnius Romanam commendare* scripsit, utpote quod Paulum Petro componit, nihilque huic præ illo concedit prærogativæ, sed potius idem honor Romæ dicitur obtigisse ob mortem vel Martyrium Paulo, qui ob mortem vel Martyrium Petro, nullo planè indicato discrimine. Nihil etiam, si id quoque largiamur, Petrum in Ecclesiæ Romanensis Cathedrâ sedisse ut Episcopum, significatu ampliore & minus restricto, quo omnis Apostolus, quocunque venit, ubicunque ad tempus aliquod mansit, vel phrasi Augustinianâ sedis, Episcopus ratione officii fuit & verè dici potuit, indeq; Episcopi Apostolorum Successores dicuntur; unde tamen nullo planè modo sequitur, Petrum Romæ ad tempus aliquod Episcopatu Apostolico functum, Monarchico quodam principatu non ei solum, sed univèrsæ per totum orbem Ecclesiæ, vel omnibus ubicunque Ecclesiis præfuisse & præsedisse. Placet hic, quod eruditissimus sed inconstans Reipublicæ Ecclesiasticæ Scriptor vel potius descriptor, Antonius de Dominis in rem præsentem observavit: *Poruit contingere, & ita de facto contigisse mihi non est dubium, ut Petrus, qui poterat Apostolicum munus per totum orbem, ubicung, placuisset, suo accessu exercere, visò fructu magno, qui ex culturâ Ecclesiæ Romanæ sperabatur, sese eidem Ecclesiæ spontè tandem, occasione debellandi Simonis Magi manciparet, ita ut voluerit Apostolicam exercendo auctoritatem in illâ*

lib. 1. de
Conf. Ev-
ang. c. 10.

lib. 4. cap.
1, num. 8.

Eccle.

Ecclesiâ exactius & diutius laborare. Idem prorsus puto etiam Paulo Romam à DEO similiter destinato contigisse, idem Iohanni, qui sese pariratione Ecclesiâ Ephesinâ applicavit, cum tamen & ipse non minus quam Petrus esset habitu totius orbis Episcopus. Sic ceteros Apostolos inter se Provincias divisisse adserunt multi & merito. Mundus enim magnus est, & unus non potest ubiq; supplere; ideoque non unus, sed duodecim Apostoli fuerunt à Christo electi. Et quia omnibus dictum est à Christo, Euntes in uniuersum Mundum predicare Evangelium omni creature; ideo quilibet eorum erat habitu Episcopus uniuersi orbis, actu autem non nisi illius loci, in quo predicabat & Ecclesiastica administrabat. Notatu insuper digna est observatio Eiusdem, indicantis causam, cur Spiritus S. silentio prætermiserit Romanum hunc Petri Episcopatum: Præviderat profecto, ut mihi videtur, Spiritus Sanctus, ex Petri nomine ac laboribus eiusdem, si qui fuerunt, Romæ exantlatis occasione aliquando iri arreptum, ut Romanensis Ecclesiâ ad indebitam consurgere Monarchiam, & alias sibi Ecclesias gravissimo cum scandalo & schismate intolerabili subdere niteretur; ac propterea noluit, ut Canonica Scriptura quidquam de Petri Romam adventu commemoraret, sed profundo silentio posteriores Eius peregrinationes obvolvitur, adeoque de Romanensi Cathedra ne verbum quidem, cum tamen, si fide Divinâ credendum sit, eundem ibi Sedem fixisse, in primis necessarium fuerit, ut Divinis Oraculis Dogma huiusmodi primarium fundaretur. Hæc ille ibidem notanter, quæ observasse ad præsentem Controversiam non erit inutile. Adde jam, nihil etiam juvare enumerationem Episcoporum vel Pontificum Romanorum à Petro usque ad Anastasium, tempore Augustini Romanensis Ecclesiæ Episcopum ab ipso Augustino factam, id quod infra uberius circa Examen hujus Successionis, tanquam Notæ singularis demonstrabitur, ubi & illud erit expendendum, quod ipsam seriem quatuor primorum Pontificum Petri Successorum ab Augustino observatam attinet, utpotè ab aliorum recessionibus diversam.

ibid. num.
16.

CAPVT SEXTVM & DECIMVM,

DE

Romano Pontifice, Petri Successore in Ecclesiasticâ Monarchiâ.

Quamvis enim Bellarminus Petrum in Ecclesiâ principatum obtinuisse Monarchiam hætenus non demonstrârit nec demonstrare potuerit, nihilo tamen minus, quali res esset in salvo, ac nullâ amplius probatione opus haberet, huic tanquam fundamento omni ex parte solidissimo Ecclesiasticam Romani Pontificis Monarchiam superædificat, lapidibus ad hanc struem congestis ex Jure Divino, Conciliorum Decretis, ipsorum Pontificum testimoniis, Patrum quoque & Græcorum & Latinorum Scriptis, inter quos cum & Augustinus se præsentem sistat, vel vi potius ad dicendam trahatur Sententiam contra mentem suam, quid de eâ statuendum sit, pro ratione Instituti breviter videamus. Ex quatuor autem testimoniis duo priora superius jam vindicata fuerunt, & primum quidem ad nonum primi de Pontifice Romano, secundum verò ad tertium tertii de Iudice Controversiarum libri caput, unde responsum huc repeti potest & debet. Sequitur ergò tertium, quo Augustinus se ad Concilium Cæsareæ celebratum in iunctâ à Zosimo Apostolica Sedis Episcopo, necessitate Ecclesiasticâ profectum esse testatur, & quo ipso Bellarminus putat agnovisse Augustinum, se ex mandato Romani Pontificis, tanquam supremi in Ecclesiâ Monarchæ, illi Concilio interfuisse; eâ necessitate in iunctâ, quam evitare nullo planè modo potuerit. At si mentem horum Augustini verborum ex sensu aliorum, in specie eorum, quæ supra jam dixi vindicata, ritè attendamus, non tam intelligi voluit Augustus Doctor necessitatem mandati, quam ipsius rei, ob quam Cæsareæ Synodus illa fuit celebrata, necessitatem videlicet Ecclesiæ vel Ecclesiasticam, cujus respectu Augustinus non adeò difficulter negotium illud à Zosimo, Pontifice Romano, sibi passus est injungi & imponi, quem Apostolica Sedis Episcopum dixit, non quia Petrus Monarchicum ibi Regimen exercuit, cujus nulla apud antiquos Ecclesiæ Doctores vestigia vel documenta extant, sed quia cum Paulo ibidem ad tempus Episcopatu apostolico functus à plerisque tunc fuit creditus, quo sensu cæteras quoque Ecclesias ab Apostolis vel apostolicis Viris plantatas & aliquo tempore gubernatas à Tertulliano dictas fuisse Apostolicas, supra quoque indicatum fuit. Superest nunc quartum Augustini testimonium, ex quo Bellarminus Monarchiam Petri & Successorum Eius Pontificum Romanorum Ecclesiasticam extorquere conatus est, frustra quamvis iterum & aulicito. Scripserat Doctor augustissimus ad Bonifacium, Eccle-

Epist. 177.
ad Oprat.
mox ab
init.

hæ

liz Romanensis suo tempore Pontificem & Episcopum : *Non dedignaris, qui non alta
 sapis, quamvis altius præsideas, esse amicum humilium.* Et iterum: *Communis est nobis omni-
 bus, qui fungimur Episcopatus officio, quamvis Ipse in eo præmineas celsiore fastigio Specula Pa-
 storalis.* Addit Bellarminus, singulare quid te obtinuisse existimans: *Vides hic ab Augu-
 stino omnes Episcopos subijci fastigio celsiori Romani Pontificis.* Atqui plus iterum est in
 conclusione Bellarmini, quam in præmissis Augustini, qui nihil de subjectione omni-
 um Episcoporum Pontifici Romano tanquam Monarchæ Supremo debitâ habet, quin
 potius in ipsâ hisce à Bellarmino citatis verbis *communem omnibus Episcopatum* describit,
 & in paulò antecedentibus speciatim & singulari cum observatione eam *Episcopalem cu-
 ram* Bonifacio Pontifici commendat, quâ seipsum tanquam *stimulo recentiori sollicita-
 tum ad vigilantiam pro grege Dominico* monet, sui etiam *Muneris particulam* verbis proxi-
 mè sequentibus sistens, comet ipso testatus, ejusdem se esse Sententiæ, quam illo tem-
 pore vivens Hieronymus, & ante eum Cyprianus, uterque ab Augustino maximi habitus,
 satis clarè expresserunt. Et Hieronymus quidem in ad Evagrium Epistolâ, quam Gra-
 tianus ferè integram Corpori Juris, quod Canonicum vulgò dicitur, inseruit, hæc notat
 dignissima de Episcoporum paritate scripsit: *Vbi cumq; fuerit Episcopus, sive Romæ, sive
 Eugubii; sive Constantinopoli, sive Rhegi; sive Alexandria, sive Tanis; ejusdem meriti,
 ejusdem est & Sacerdotii. Potentia divitiarum & paupertatis humilitas vel sublimiorum
 vel inferiorum Episcopum non facit. Caterum omnes Apostolorum sunt Successores.* Erasmus
 acutioris nasi in hisce talibus Censor hoc adjecit Scholion, dignum quod & hic legatur:
*Oppidorum nomina sunt di versis dissita locis. Eugubium in Italia est, Constantinopoli in
 Thracia, prius dicta Byzantium; Rhegium in Bruttia, sive in agro Brutorum, adhaerens Italiae;
 Alexandria & Tanis in Aegypto. Sed ita videtur conjunxisse, ut semper urbi celebriori
 frigidum aliquod opponat oppidulum; Eugubium Romæ, Constantinopoli Rhegio (vel po-
 tius Rhegium Constantinopoli;) quibus hoc commune est, quod utraq; est littoralis, Alexan-
 driam Tanis, vel Tanim Alexandriæ. Colligit enim, Episcopi dignitatem non aestimari ma-
 gnitudine ditionis, sed merito Vita; officio omnes esse æquales.* Idem ante Hieronymum,
 sine tamen nomenclaturâ Sedium Episcopaliû, scripsit Cyprianus: *Etsi Pastores multi
 simus, unum tamen pascimus gregem; & oves universas, quas Christus Sanguine suo & Passi-
 one qua servit, colligere & fovere debemus.* Quamvis enim Launojus, Sorbonista singula-
 ris Judicii, hanc Epistolam Cypriano pluribus argumentis abjudicare conetur, id quod
 in antecessum hic notasse juvabit, si fortè in posterum aliqua ejus occurrat mentio, ea
 tamen, quæ de curæ Pastoralis communi Societate hic scripsisse legitur, aliàs & alibi
 non semel ferè eodem verborum tenore scripsit, & quidem ad Pontificem Romanum:
*Singulis pastoribus portio Gregis est adscripta, quam regat unusquisq; & gubernet, rationem
 sui actus (non uni alicui homini, sed) Domino redditurus.* Et adhuc apertius sub initium
 libri de *Unitate Ecclesie*, ad quem aliàs Monarchici Scriptores maximis clamoribus lo-
 lent provocare: *Hoc erant utique & ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi
 & honoris & potestatis.* Et post pauca: *Pastores sunt omnes, sed grex unus ostenditur,
 qui ab Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur.* Et iterum post aliqua: *Unitatem
 firmiter tenere & vindicare debemus, maxime Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut Episco-
 patum quoque ipsum unum atque indivisum probemus.* Et adhuc semel: *Episcopatus est
 unus, cujus à singulis in solidum pars tenetur.* Quæ verba ita clarè Augustini Sententiam
 expriment, ut post Augustinum, non ante Augustinum scripsisse videatur, nisi dicere
 malimus, Augustinum Cypriani Sententiam expressisse. Quidquid horum sit, constat
 utriusq; & ex utriusq; Sententiâ, communem esse omnibus Episcopatum. Ad cujus ul-
 teriorem confirmationem inservire etiam possunt Verba Cypriani, quibus Collegas suos
 & Co-Episcopos in Concilio *Carthaginensi* congregatos ipse tanquam Primas Africae
 adlocutus legitur, & quæ Augustinus tuis de Baptismo contra Donatistas libris inseruit:
*Nemo nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendum
 necessitatem Collegas suos adigit, quando habet omnis Episcopus pro licentiâ Libertatis & pote-
 statis suæ arbitrium proprium, tanquam judicari ab alio non possit, quomodo nec ipse potest
 alterum judicare; sed expectemus universi Iudicium Domini nostri Iesu Christi, qui unus &
 solus est potestatem habens & præponendi nos in Ecclesia suâ gubernatione, & de actu nostro
 judicandi.* Quæ verba etli in pravum detorquere sensum hoc eodem capite conatur
 Bellarminus, Cyprianum loqui statuens de *is, qui in Concilio Carthaginensi erant, nec in-
 cludendâ Sententiâ Romanum Pontificem, qui verè sit Episcopus Episcoporum & Pater Patrum,*
 benè tamen monuit laudatus paulò ante Antonius de Dominis, *Propositionem hanc esse*
 univers-

universalem idèd, quia Ratio, quam Cyprianus adsignat, universalis est, & concludit de universali, scilicet, liberum esse quemcumque Episcopum ad suam Ecclesiam regendam & docendam pro suo arbitrio, independentèr à quocumque, exclusis tamen falsitatibus, qua eliquarissimè dicitur, cussione essent jam ab Ecclesià abjecta, ut Augustinus ait. Lib. III. c. 1. 0. 24.

CAPVT VIGESIMVM QVAR, TVM ET QVINTVM,

DE

Jure Adpellationum.

Id ut tanquam insigne argumentum pro Romani Pontificis primatu Monarchico Bellarminus exponat, non tantum ea profert ex antiquitate documenta, quibus hoc Adpellationum Jus probari posse existimat, sed & insuper ad ea respondere conatur, quæ è contrario huic Adpellationum Juri prætenso ex eadem Antiquitate opponuntur. Ea inter dum occurrit Canon quidam Concilii Milevitani, cui Augustinus quoque interfuit, ex Augustino responsum parat Bellarminus, quo successu, nunc videamus. Canon illius Concilii secundus post vicesimum, ut vulgò citatur, sic habet: *Placuit, ut Presbyteri, Diaconi vel ceteri inferiores Clerici in causis, quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicinos Episcopi eos audiant, & inter eos, quidquid est, finiant, adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si & ab eis provocandum putaverint, non provocetur, nisi ad Africana Concilia, vel ad primates Provinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putaverit adpellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur.* In Codice Gratiani hæc quidem adjiciuntur verba, aliquam exhibentia limitationem, nisi fortè Romanam Sedem adpellaverint. Sed in Notâ ibidem adjectâ monetur, hæc in antiquis Codicibus scribi tanquam Gratiani verba; & iple etiam Bellarminus ingenuè agnovit, hæc Gratiani exceptionem non videri quadrare, cum præcipuè propter Romanam Ecclesiam Africani staterent, ut adpellare non liceret ultra mare, nec consuetum fuerit unquam adpellari ab Africanis ultra mare, nisi ad Sedem Romanam. Benè hæc ex parte scripsit Bellarminus, & satis ingenuè. Sed quæ sequuntur, non satis benè cum eis conveniunt. Dicit, quæstionem non esse de adpellationibus Presbyterorum & minorum Clericorum, sed Episcoporum, provocans ad Concilium Sardicense & autoritatem Augustini, hæc inculcantis differentiam. Illo nunc prætermisso, utpote quod præter Instituti rationem est, nisi quod Zonara Commentarius ad Concilii Sardicenses Canonem pro Adpellationis Episcopalis jure citari solitum laudari hic omninò mereatur, universalitatem ejus notanter restringens; quid de Augustini in hæc rem Sententiâ habendum sit, ut exponatur, operæ videtur pretium. De eâ hunc in modum scribit Bellarminus: *Augustinum, qui huic Concilio Milevitano interfuerit, scribere, licere Episcopis Africanis adpellare ultra mare, Clericis Minoribus non item.* Ante omnia autem hic observari meretur, quod totam rem hæc sine ullis ambagibus conficere potest, hunc Concilii Milevitani Canonem communiter truncatum citari, coronide ejusdem omisâ, id quod Chamierus, præprimis observavit, notans, in Græcis Codicibus addi, *ὅς καὶ τῶν Ἐπισκόπων τοῦδαυτῶν ἐπίστωι, ut etiam de Episcopis sæpè sancitum est.* Id si sit, per se cadit Responsio Bellarmini & discrimen inter Adpellationes Presbyterorum & Episcoporum, cum & horum & illorum Synodus Milevitana prohibuerit, nimirum ultramarinas, in specie Romanam quam hic præcipuè respici, Bellarminum audivimus fatentem. Quoad Augustini verò autoritatem, lectori fucum facere voluit Bellarminus, Eum Synodi hujus partem faciendo. Etsi enim id verum sit, nunquam tamen Bellarminus probabit, Eum hoc discrimen inter Adpellationes Episcoporum & Presbyterorum adprobasse, illis concedendo, his autem denegando; cum Augustinus in Epistolâ, quam Bellarminus citavit, de licentiâ & libertate Adpellationum ne verbum quidem habeat, sed historicè tantum agat de iis adpellationibus, quibus Donatistæ primum à Constantino Imperatore Judices Episcopos in causâ Cæciliani petierunt, & Melchisedem Romanæ Urbis Episcopum cum aliis quibusdam Episcopis obtinuerunt, post aliud ab eodem Imperatore impetrantes Judicium, Concilium videlicet Anelarense, donec tandem ab utroque tanquam sibi minus favente ad ipsam Imperatorem provocârunt & adpellârunt. Hanc ex Augustino reversionem historicam quia non parùm Tractationi suæ adversariam vidit & prævidit Bellarminus, idèd quâ eidem ratione obviam ire oporteat, non sine causâ fuit sollicitus.

Epist. 162. ad Glorium &c.

Panstr. Tom. II. lib 14. c. 2. num. 33

Si enim Pontifex Romanus jure Divino est Summus Judex, cur non motu proprio, sed jubente demum Imperatore in hac causâ judicavit? Item si ab eo appellari non potest, cur appellari passus est à se ad aliud Judicium, Synodum videlicet *Arelatensem*? Imò cur ad tribunal quoque Imperatoris? Bellarminus quidem ad hæc omnia promptè responderet, sed non æquè pertinenter, & ad rem aptè. Dicit, *Pontificem non judicasse, nisi quando Imperator injunxerit, quia Donatista causam non primò detulerint ad Pontificem, ut debebant, sed ad Imperatorem, in quo malè eos fecisse doceat ibidem Augustinus, scribens, Constantinum Imperatorem longè ordinatius egisse, qui causam ad se delatam non ausus fuerit judicare, sed eam miserit ad Pontificem. Præterea, post Pontificem judicasse Episcopum Arelatensem & postea Imperatorem, non quia oportebat, scribens ibidem Augustino, sed ut omnino obstrueretur os Donatarum; adeoque Imperatorem, teste eodem Augustino, veniam petiturum ab Episcopis causam illam cognovisse invitum.* Atqui præterea, quæ supra jam ad nonum primi de principatu Papæ Monarchico, & tertium tertii de Judice Controversiarum libri caput de hujus Epistolæ Augustini argumento observata fuerunt, notandum hic imprimis est, non id culpæ Augustinum in Donatistis, quod ad hoc vel illud provocaverint Judicium, sed quod nullo stare voluerint, ab omnibus ob causam non bonam adeò non injustè condemnati. Nec sincerè agit Bellarminus, scribens, *Constantinum non fuisse ausum judicare causam ad se delatam, sed misisse eam ad Pontificem; cum Augustinus expressè habeat, Donatistas primum à Constantino petiisse judices Episcopos, non ut ipse judicaret. Deinde concedit quidem, non necessum fuisse, ut Constantinus aliud eis daret Judicium, scilicet Arelatense Concilium; sed Imperatorum impietati eorum cessisse, & omni modo cupivisse tantam cohibere impudentiam.* Non addit Augustinus, factum id bonâ cum Romani Pontificis veniâ, sine quâ fieri non potuisset, si jam tum Jus Appellationum ad eum pertinuisset solum, à que ejus Judicio ad aliud provocare illicitum fuisset, ut hodiè Monarchicis Defensoribus persuatum esse solet. Tandem ubi post contemta à Donatistis Judicia Romanum & *Arelatense* ad ipsum Imperatoris Tribunal fuit provocatum, meminit quidem Augustinus, id *Eum suscepisse invitum, & non nisi veniâ prius ab Episcopis petiâ*; Verùm notanter scribit Augustinus, ab Episcopis, non ab Episcopo, adeòque nec in speciem à Romano, quod omnino factu opus fuisset, si Imperator verè Christianissimus de hoc Appellationum Jure tantum ad Sedem Romanam spectante quidquam vel ex Jure Divino, quod planè hic nullum est, vel ex Concilii alicujus Oecumenici, si ullum verè oecumenicum fuit unquam, Decreto, vel etiam usu Ecclesiarum recepto certi cognitum habuisset.

Et quia Bellarminus ad eripiendum nobis Canonem *Milevitanum*, Augustini auctoritate utitur vel potius abutitur, idque præprimis idèò, quia Augustinus Synodi illius pars fuit: hinc jure, imò majori, ad Augustini auctoritatem contra Appellationes solum Romanas provocamus, eum respiciendo tanquam partem & præcipuam quidam subsecutæ Synodi *Carthaginensis*, de cujus contra Romanam Sedem Decretis supra aliquid in antecessum ad Libri de S. Scripturâ primi caput decimum notavimus, huc quammaximè pertinens. Adhuc nunc illud, cujus sub initium hujus capituli aliqua est mentio facta, Commentarium scilicet *Zonaræ* ad Canonem Synodi Sardicensis, quem ad explicandum Canonem *Milevitanum* Bellarminus adduxerat idèò, quia Appellationes Episcoporum ad Sedem Romanam adprobare & confirmare videtur. Ita autem Zonaras ibi: *Hujus Canonis Decreto summi Sacerdotes antiquæ Romæ in quâcunque causâ ab Episcopis provocationem ad ipsos dari jactant, ac eundem in primâ Synodo Nicenâ Oecumenicâ conditum fuisse falsò adfirmant; quod quidem cum in Synodo Carthaginensi propositum fuisset, minime cum veritate probatum est consentire, ut satis que ante Canonum Expositionem ab ipsâ Synodo sunt scripta, testantur.* Addit, *Neque igitur hic Canon à Nicenâ Synodo editus fuit, neque ad ipsum Romanum Pontificem provocationes ab omnibus Episcopis, sed ab eis tantummodo, qui eidem subjecti erant, dari oportere decrevit.* Quia verò ad ea provocavit, quæ ante Canonum Expositionem ab ipsâ Synodo sunt scripta, hinc in eorum recensione, post repetitum Concilii Sardicensis canonem, hæc Augustini verba memorat: *Et hoc nos servaturos profiteamur, salvâ (vel præservatâ) diligentiore Concilii Niceni Inquisitione.* Ad quæ & alia subsequentiâ Zonaras hæc addit: *Commemoratum canonem, quasi in Nicenâ Synodo Oecumenicâ editum promulgavere, scil. Patres in illâ Synodo congregati. Quare illum & Augustinus Episcopus, non omisâ interim diligentiori in Nicenam Synodum Inquisitione, siquidem ab eâ Synodo conditum fuisse constat, servandum proposuit. Tum Reliqui Patres Synodi, quacunque in Nicenâ Synodo fuerant definita, omnibus acceptâ esse*

esse significarunt. Possent hæc videri intervere Juri Adpellationum Episcopaliū confirmando, nisi idem Zonaras ante jam ad canonem Concilii Sardicenis observasset, falso summos antiquæ Romæ Sacerdotes adfirmasse, eum in primâ Synodo Nicenâ conditum fuisse, cum subsequuta diligentior Inquisitio ostenderit, cum à Nicenâ Synodo editum non esse. Patet indè, ipsam quoque acceptationem hujus Canonis ab Augustino & cæteris ibidem Episcopis factam, utpotè conditionatam, si nimirum inter genuinos Synodi Nicenæ Canones inveniretur, nullam fuisse & invalidam. Undè & in Canonum collectione, quæ tum ex antecedentibus Afrorum Conciliis facta est, non solum in genere Canon post vigesimum sextus prohibet, ut Episcopi trans mare non peregrinentur, nisi cum decreto (consensu) primæ Cathedræ proprii uniuscujusq. Regionis Episcopi, hoc est, nisi ab ipso Primate præcipue acceperit eam, quæ dicitur dimissoriam, formatam sive expositionem, sed in specie etiam ille Canon Synodi Milevitanae repetitus est, de quo ante ex Chamieri observatione monuimus, quod non Presbyteros solum & minores Clericos, sed & ipsos Episcopos ab Adpellationibus transmarinis, id est, ipso teste Bellarmino, Romanis prohibuerit & abstinere sub penâ denegandæ Communionis iusserit. Ad quem Canonem Zonaras idem optimè notavit: *Hic certè ventosa Romanorum Ecclesia superbia, ab aliis omnibus Ecclesiis ad illam provocaciones dari jactantium, subsidat necesse est. Si enim ab Africanis Ecclesiis non datur, (est quidem certè Roma trans mare, si ad Africam comparetur) multò minus in Regionem magis adhuc sepositas Jus ejusmodi obtinebit.* Accedit observatum idem dignissimum in eadem collectione Canon post quadragesimum secundus, ut prima Cathedræ Episcopus non dicatur Sacerdotum Exarchus vel summus Sacerdos, vel ullo alio tali modo, sed solum primæ Cathedræ Episcopus. Quo Canone annon Patres Africani & inter eos Augustinus, Episcopo Sedis Romanæ præter alia, ipsum quoque hoc Adpellationum transmarinarum Jus & privilegium voluerint abrogatum, judicet, qui judicare potest. Zonaras id quoque sequentibus observavit verbis: *Hic Canon cum aliis nominibus hoc quoque (scil. Exarchi) repudiat, non aliam opinor ob causam, quam ut arrogantiam elationemq. comprimeret, fastumq. & communi vitâ tolleret omnino & deleret.* Quod enim hic in genere notavit, paulò ante Eum in specie ad Romanæ Sedis Episcopos adplicasse satis clarè vidimus. Plura ex eadem Canonum Carthaginensium collectione in rem præsentem adducere nunc quidem superfedeo, cum ex his manifestum sit, Augustinum & Synodi Milevitanae, & post Carthaginensis partem non infimam, sed ferè primariam Jus Adpellationum Romanarum juxta Decretum Synodi Nicenæ, quod nullum fuit, non agnovisse. Et si enim in ipsâ Synodo Carthaginensi, ubi tale audivit à Legatis Pontificiis recitari, neque crimen aliquod falsi, quâ fuit ingenua Simplicitate, credidit intercedere, se cum cæteris ibi Episcopis, in honorem illius Synodi, quæ maximi tum temporis æstimabatur, illud servaturum promiserit, ut modò ex Actis Synodi legimus, ipseque Bellarminus hæc Augustini Professione multum se lucraturum putavit; quia tamen expressa reservatio fuit adjuncta diligentioris circa hujus Decreti vel veritatem vel falsitatem inquisitionis, neque ejusdem documenta sine suppositionis suspitione proferri potuerunt, nemo non videt, obligationem hanc conditione non impletâ per se fuisse sublatam, accedentibus insuper Decretis & Canonibus ibi confirmatis, quibus infirmendis nulla hæctenus Glossa fuit sufficiens. Bellarminus quidem illud in primis urget, quod et si Decretum illud pro Jure Adpellationum Romanarum in Actis Synodi Nicenæ tum inveniri non potuerit, neque etiam hodiè inter eos legatur Canones, qui utrobique pro indubitatis suscipiuntur, inque Conciliorum Tomis & Summis communiter recensentur; plura tamen hinc indè à Scriptoribus Ecclesiasticis citari in illâ Synodo tractata, quæ ibi quoque non inveniuntur. Ex eorum numero ad præsens pertinet Institutum, quod ex Augustino citat, adferente, in hæc Synodo Nicenâ prohibi- Epist. 110 tum fuisse, *ne duo Episcopi simul sedeant in eadem Ecclesiâ*, de quâ tamen Constitutione monet Bellarminus, Eam nullibi inter canones viginti hæctenus ubique & ab omnibus receptos adparere. Nescio, quis stupor, aut ignorantia (vix enim malitiæ illud audeo adscribere,) Bellarminum occupârît, id in Synodi Nicenæ Canonibus non videntis aut videre volentis, quod in iis tamen Conciliorum Editionibus legitur, quæ ante Bellarmini Polemarchiam publicè jam extiterunt.

Quamvis enim Gratianus in Corpore Juris Canonici, vel in Concordiâ, ut inscribitur, Canonum discordantium, illud Synodi Nicenæ Decretum, quo hæc Constitutio Si qui, r. exhibetur, priore tantum sui parte legi voluerit, posteriore omisâ, utpote ad Institutum 9^m. 7.

non pertinente; in cæteris tamen plerisque Editionibus, etiam antiquissimis, videre potuit & legere Bellarminus id, quod ibi non adparere scripsit. Hinc & qui post Bellarminum Canones Conciliorum ediderunt, hanc de uno tantum Episcopo in quavis Ecclesiâ Constitutionem non prætermiserunt. *Pisanus*, qui Seculo adhuc priore Acta & Canones hujus Synodi non tantum ex Græcorum & Latinorum, sed & ut gloriatur, Arabum monumentis, non tamen undiquaque authenticis, Volumine speciali collegit, Decretum illud, cui hæc Constitutio inferitur, numero & ordine, quem sibi delegit, tertium fecit, simile post numero & ordine quadragesimum exhibens; addidit tamen, inter vulgatos, id est, communiter receptos esse numero & ordine octavum, quo etiam loco plerumque citatur à novissimis etiam, *Sylvio*, *Bailio*, & qui post omnes alios huic studio operam impendit, *Cabassutio*. Addo, aliquos eorum ingenuè fateri, Augustinum hujus Constitutionis mentione ad laudatum Canonem octavum respexisse. *Coriolanus* certe in suâ ad hunc Canonem Notatione horum Augustini verborum cum aliquâ meminuit emendatione. Verba Augustini ex citatâ per Bellarminum Epistolâ hæc sunt: *Adhuc in corpore posito beata memoria Patre & Episcopo meo Senæ Valerio Episcopus ordinatus sum & sedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam.* *Coriolanus* addit: *Quod autem subjungit ibidem Augustinus, Valerium eandem prohibitionem ignorasse, his, quæ in Vitâ Augustini refert Possidius vel Possidonius, planè repugnat. Ille enim scribit, Valerium corpore & ætate infirmum, ne sua Ecclesiâ Sacerdos, Episcopali munere & officio propter admirabilem Doctrinam & Pietatem dignissimus, ab aliis Civitatibus Episcopo carentibus eriperetur, secretis literis apud Primate[m] Episcopum Sedis Carthaginensis egisse, imbecillitatem corporis sui ætatisque gravitatem allegasse & obsecrasset, ut Hipponensi Ecclesiâ ordinaretur Episcopus, qui sua Cathedra non jam succederet, sed Consecrator accederet Augustinus.* Justè an secus Augustini verba hic emendet *Coriolanus*, Lector judicet. Ego illud tantum observo, eundem *Coriolanum*, qui hunc Canonem Nicænum exhibet, ad quem Augustinum respexisse nullum planè est dubium, in prænotatis ad hujus Synodi historiam inter cæteros Canones; qui hodiè desiderantur, hunc quoque ex Augustino numerare, eoque sibi ipsi contradicere & scribere. Indubiam verò hujus octavi Canonis esse autoritatem ante Annos non ita multos docuerunt Reformatorum eruditissimi *Blondellus* & *Hammondus*, Gallus ille, hic Anglus, in eadem Controversiâ de Singularitate vel unitate Episcopi Ecclesiæ cujusvis ad hunc Canonem octavum provocantes, id non facturi, si aliam eâ de re Constitutionem judicassent necessariam, Viri in Ecclesiasticis antiquitatibus eruendis undiquaque versatissimi. Sed nec dum ad quiete potest Bellarminus, verum ulterius sollicitari debuit Augustinus, ne videlicet Juri adpellationum Romanarum videretur contrarius, amicissimus nimirum Pontificibus suo tempore Romanis, quos non solum impensè laudaverit, sed & eorum primatum in Africam, imò in universum orbem Christianum, aperte prædicaverit, imò Papæ Bonifacio in specie subjectus. Laudes, quas Episcopis Romanæ Sedis Augustinus adscripsit, quod attinet, doctrinam sine dubio respiciunt, quæ tum, quam hodiè purior longè fuit & magis orthodoxa, non parum adhuc residui habens de Sinceritate apostolicâ, quorum studio Romæ Ecclesiâ fuisse plantatam non improbabiler adeo credidit, Sedis Apostolicæ non semel in Epistolis & cæteris Tractatibus suis memor; de cætero Typum (vel potius typhum) Præulum Romanensium non ita dissimulans, ut non sæpius hinc inde, nomine etiam publico, acius cum perstringeret, ut Augustini Scripta legentibus ignotum esse non potest. Adscripsit quidem literas *Beatissimo & Honorandissimo Fratri Innocentio*, nomine utriusque Concilii & Carthaginensis & Milevitani, ut supra jam dictum est; sed & alias adscripsit literas *dilectissimis & merito prædicandis fratribus Donatistarum Episcopis*, quos si non planè hæreticos, ad minimum schismaticos fuisse tum habitos, constat. Videas hodiè id etiam observare, qui modestius cum falsis Doctoribus & magis politicè, ut vocant, versari consultius ducunt, ut tales eis honorum titulos & Elogia adscribant, qui solis fidelibus & orthodoxis Ecclesiæ Doctoribus de jure & merito adscribi debent, quos tamen ob id accusare tanquam intimius cum illis conjunctos & in omnibus convenientes, nescio an absque eorum fieri posset protestatione, quos tamen magis fortè deceret Scapham dicere & scribere Scapham, quam palpum iis obtudere, quibus ob vim orthodoxæ Veritati factam non nisi duriora debentur. De cætero Augustinum Romani Pontificis primatum in Africam, imò in universum orbem Christianum aperte prædicasse, facilius dicitur & scribitur à Bellarmino, quam ut documentis sufficientibus demonstrare possit, cum neque hoc neque illud verum esse ex proximè antecedentibus clarum

Apol. pro
Hier. pag.
189. Dif.
fert. V.
p. 279.

clarum sit. Non illud. Etsi enim Augustinus scribit, se & alios quosdam in Africâ Episcopos in iunctâ à Venerabili Papâ Zosimo, Apostolica Sedis Episcopo, necessitate Ecclesiasticâ Casarcam attractos fuisse, ad caput tamen proximè antecedens jam fuit ostensum, quid de illâ necessitate Ecclesiasticâ statuendum sit, ne aliquis inde primatus Romani Pontificis monarchicus emergat, utpotè quem Patres Africani nunquam & nullo planè modo agnoverunt. Neque hoc etiam, & multò quidem minus. Fraudem hic iterum commisit Bellarminus, dum suæ opinionis testem citare aulus est Augustinum, scribentem, *heresin Pelagianam ab Innocentio & Zosimo toto orbe esse damnatam*; cum tamen ipsa loci inspectio ostendat, Augustinum id non solis Pontificibus Romanis, sed simul & antecederent Conciliis Episcopalibus, nimirum, quod ex contextu patet, Africanis adtribuisse, quorum vigilantia ibidem laudatæ Bellarminus in gratiam Sedis Romanæ id tractum præter omne jus & meritum voluit. Omnium minimè autem veritati congruum est, Augustinum Bonifacio Papæ subjectum fuisse, ipso contradicente loco, quo Bellarminus ad ejus confirmationem usus est, utpotè ex quo itidem ad caput proximè antecedens ostensum fuit, Augustinum provocasse ad *communem Episcopatum*, qui nullum planè locum obtinisset, si principatum aliquem Monarchicum Sedi Romanæ ex Jure vel Divino vel humano utrinque recepto deberi Augustinus cognitum habuisset. Nec quidquam juvat causam Bellarmini, quod Augustinus alicubi humiliter, vel humaniter potius, & fraternè in causâ Episcopi cujusdam Afri, ad Papam Cœlestinum scripisse legitur, Eidemque rem illam commendasse verbis, quæ primâ quidem facie aliquid habere in recessu videntur, in ipso autem contextu & antecedentium & consequentium lecta, nihil planè scopo Bellarmini inserviunt, præprimis si ea demantur, quæ Bellarminus de suo ex indebitâ liberalitate adjecit. Ita autem Episcopus Hipponensis ad Romanum: *Collabora, obsecro, nobiscum, Pietate Venerabilis Domine, Beatissime & Charitate debita Venerande Papæ, & jube, Tibi, quæ directæ sunt, omnia recitari*. Nullus in his verbis primatus, nullus principatus vel suprematus, quem Augustinus Pontifici Romano detulisse videri potuerit. Sed & ne sequentia tale quid habent, modò absque Bellarmini additamento, ut par est & justum, legantur, dum post aliqua Augustinus hunc in modum scribit: *Existat exemplo, ipsâ Sede Apostolicâ* (Bellarminus interserit, judicante, vel aliorum) *Judicia firmante &c.* præprimis si ex sequentibus observetur, quid Augustinum moverit, ut hanc causam ad Pontificem Romanum existimaverit deferendam, nimirum, quia cognovit, adversam partem illud Tribunal jam præoccupasse, victoriamque ex eo obtinendam sibi promississe aliisque minatam fuisse. Ita enim porrò quibusdam intercedentibus ad Pontificem scribit: *Judicia & publicas potestates, & militares impetus, tanquam executuros Apostolica Sedis sententiam, creberrimi rumores minantur, ut miseri homines Christiani-Catholici graviora formident à Catholico Episcopo, quam cum essent heretici, à Catholicorum Imperatorum legibus formidabant*. Pergit augustissimus simul & mansuetissimus Doctor: *Non sinas ista fieri, obsecro Te, per Christi Sanguinem, per Apostoli Petri memoriam, qui Christianorum populorum Præpositos monuit, ne violenter dominentur inter Fratres*. Inter fratres, inquam, quales non dicerentur, si Petri Successor principatum in eos obtineret Monarchicum, Dominus eorum potius & Pater, quam confrater dicendus.

Observatis hisce contra Bellarminum de Jure vel injuria Adpellationum ad Sedem Romanam addere lubet pauca, quæ recentior controversia inter Norisium & Risbrochium de hoc eodem negotio luppeditat, ne quid pertinens ad hoc argumentum studiosè videatur prætermisum. Impingit nimirum Risbrochius Dogmatistæ Norisio Dominicianum, id est, Dogma à Marco Antonio de Dominis, quem altutum & verisipellem vocat hæreticum, mutuo sumtum, ut ut ipsum sibi proposuerit refutandum, in cujus tamen postea errorem miserabiliter sit lapsus, Marcus nempe Antonius de Dominis, in opere de Republica Ecclesiastica hanc Quæstionem tractans, de Africanis textæ Synodi Carthaginensis Patribus ita scripsit inter alia: *Africana Ecclesia vehementer resistit Papati Romano tempore Augustini, Augustino etiam ipso cum reliquis adversus Papatum reclamante*. Hanc ArchiEpiscopi Spalatensis, quo gaudebat titulo ante transitum ad anglos, Sententiam rejiciens Norisius non ingratus fuit visus Risbrochio, de eo sic scribenti: *reprehendit graviter Antonium, quod inter cæteros Augustinum numeraverit, & Schisma videtur negare propter honorem Augustini; sed postea immemor sui admittit Schisma, & Augustinum numerat inter schismaticos, & qui defensorem egerat, agit prævaricatorem*. Ut Norisii partes nunc agam, à me non possum impetrare; sufficit ob-

servasse, *Norifum*, utut conatum liberare Augustinum à contradictione Romanâ, vi tamen Veritatis coactum post plura in eam rem tentata agnovisse, ex observatione *Baronii*, fictitias esse literas, quæ sub *Bonifacii* Papæ secundi nomine ab Epistolarum Pontificalium Editoribus, *Binio* nominatim exhibentur, ac *scædis illas scætere mendacis*, in quibus sequentia leguntur: *Aurelius*, Ecclesiæ Carthaginensis olim Episcopus, cum *Collegis suis*, (inter quos non postremus erat Augustinus) *instigante Diabolo, superbire temporibus Prædecessorum nostrorum*, Bonifacii atque Cœlestini, contra Ecclesiam Romanam cepit; ac indicatis suæ hujus Censuræ rationibus subjunxisse, Augustinum, cæterosque Collegas cum Aurelio Primate *adpellationibus transmarinis* sese non instigante Diabolo opposuisse, sed *antiquissimâ Ecclesiarum Africanarum consuetudine* motos, quam ægrè rulerint Apiarii, hominis scelestissimi conatibus primùm infringi. *Nora bene*, Lector optimè, *Norifum* hanc Præsulum Africanorum protestationem contra *adpellationes transmarinas* adscribere consuetudini non novitiæ, non heri demum aut nudius tertius natæ aut receptæ, sed *antiquissimæ*, nec unius vel alterius tantùm in Africâ Ecclesiæ, verùm in numero plurali *Ecclesiarum*, nullâ cum ullius in illâ regione à cæteris omnibus exceptione, & quod non parvi nec nullius videri debet momenti, hanc consuetudinem *antiquissimam* & in Africâ universalem Augustini primum tempore infringi cepisse, & quidem conatu hominis *scelestissimi*, qui in nullum omnino censum jure debebat venire, sed ab illis, ad quos Adpellatio est facta, cognitâ ejus causâ sine omni morâ repudiari. Hoc præterea meretur notari, quod *Risbrochius* hanc de Adpellationibus ab Ecclesia Africanâ per Episcopale Concilium repudiatis & annihilatis Sententiam vocat *Dominicisum*, quasi *Marcus Antonius de Dominis* primus Author ejus fuisset, & ante ipsum, qui vestigia Lutheri, Reformatoris animosissimi, Zelo ferventi præserunt, ac Papatus Romani tribunal, ad quod solum ex omni terrarum orbe adpellandum esset, viribus è Cælo largiter concessis oppugnârunt, hanc Quæstionem historicam non parum Instituto, quod urgebant, utilem prætermisissent, nominatim *Centuriatores Magdeburgici*, & laboriosissimus inter illos, *Matthias Flacius*, Author etiam *Catalogi Testium Veritatis*, cujus nuperâ Editioni peculiaris de hæc *Synodo Carthaginiensi*, in qua hæc contra Adpellationes Romanas protestatio facta est, Tractatus cum aliis lectu dignissimis est adjunctus, qui *Risbrochio* ignotus esse non potuit, certè non debuit, utpote quem Bellarminus hanc tractans Controversiam sumit examinandum, in plerisque verò partibus reliquit inconcussam. Ut ad eò primus non fuerit *Marcus Antonius de Dominis*, qui hanc Patrum Africanorum oppositionem contra quæsitum à Pontificibus Romanis Jus adpellationum ad tribunal suum observaverit, *Norifio* vi Veritatis adaçto, ut, quod semel benè factum vidit, à graviori accusatione liberaret. Quæ in hoc eodem argumenta non ita pridem contra *Lupum*, Professore Lovaniensem, Ejusque Notas in Canones Synodicos, qui *Norifio* prælusisse videtur, prolixissimè post alios scripsit in altera Commentatione Polemica, *Veronæ* primum edita, *Franciscus Macedo*, ex ante dictis sufficiens habent responsum.

Quia sub initium hujus Quæstionis facta est mentio Concilii illius *Milevitani*, cui interfuit Augustinus, & Decreti ex eodem contra Adpellationem ad Judicia, ut vocabant Atri, *transmarina*, addita observatione, ut plurimum illud citari mutilum, quasi Presbyteros tantùm respiceret, non item Episcopos, *Chamiero* autem ad Græcos Codices provocante, Episcopis idem jus cum Presbyteris ex antiquâ constitutione præscribentes juvat addere, quæ *Petrus de Marca*, Archiepiscopus Parisiensis in laudato non semel opere de *libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, seu de *Concordia Sacerdotii & Imperii* de hac adpendice notavit verbis sequentibus: *Diaglantur hic Scriptores*, Cardinales enim *Baronius & Perronius* contendunt, eam clausulam esse delendam, pluribus argumentis. *Primum ajunt*, eam non extare in canonibus Concilii Milevitani. *Verum id quidem*, addita enim fuit de industria, quo primum tempore adornata est collectio canonum Africana. *Deinde ajunt*, eo imprimis argumento evinci delendam esse hanc clausulam, quod prohibitio illa nusquam extet in Conciliis Africanis, quod tamen ut rem certam tradit collector. *Gravis sanè accusatio*, inquit *Marca*, si extarent omnium Conciliorum Africæ Canones, nec quidquam simile in eis reperiretur. Verum caremus multis Conciliis Africanis, quibus, si extarent, major fides esset habenda, quàm iis, qui eorum contradicunt Scripserunt. Nam præterea Concilium Africanum Anni post quadringentesimum & decimum octavi pronuntiavit apertè, non toleraturos se Adpellationes ad Sedem Apostolicam, si constiterit, Jus illud Sedi Romanæ tributum non fuisse à Synodo Nicenâ. Prohibitio autem

L. 7. c. 16.
n. 5. p. 254.
& seqq.

autem illa antecedit tempora Collectionis Canonum Africanorum, quamvis Concilium Milevitanum, in quo addita est hæc clausula, sit antiquius illa prohibitione. Constat ergo in ea Sententia fuisse Afros, ut existimaverint, ad Apostolicam Sedem provocari non posse à Judicibus electis, neque etiam à Concilio Africae universali. *Addit Marca*, hoc præjudicio usos esse Gallos ætate Hincmari, quam in sequentibus exponit historiam. Neque etiam dissimulat opinionem *Perronii*, existimantis, Adpellationes Episcoporum Africanorum recipi solitas ab Apostolica Sede ante habita hæc Concilia Africana, indicans, Eum hujus rei probationem petere ex Augustini Epistola ad Glorium, cujus supra etiam est facta mentio, in qua loquens Augustinus de Cæciliano, Carthaginensi Episcopo, & de Episcopis, qui partes Cæciliani fovebant, adversus quos, licet absentes, Synodus Donatistarum sententiam damnationis protulerat, ait, eos posse causam suam reservare judicio aliorum Collegarum, præsertim Ecclesiarum Apostolicarum, & ostendere, Sententias latas adversus absentes nullius esse roboris; non enim, inquit, agebatur de Presbyteris aut Diaconis, sed de Collegis. Tum addit, nullius momenti apud Cæcilianum esse debere multitudinem inimicorum ipsi insidiantium, quandoquidem communiōne junctus erat Ecclesiæ Romanæ & aliis Ecclesiis, undè Fides Evangelii fluxerat. *Verum*, sic respondet *Marca*, id non probat, provocatum fuisse ad summum Pontificem, sed tantum ex postulatum apud omnes Ecclesias de injuria Cæciliano irrogatâ. Nam Augustinus eam cognitionem aliis Collegis reservat indefinitè, præsertim verò Ecclesiis Apostolicis, inter quas Romana erat prima, non unica tamen; Sapienter porro hic Augustinus mentionem facit Ecclesiarum Apostolicarum in Controversia, quæ turbabat Africam, divisam in Donatistas Schismaticos, & in Coecilianum ac Ecclesias Catholicas eidem adhærentes. Nam ad ostendendum, quinam ex illis facerent schisma, ratio habenda non erat damnationum, quæ ab utràque parte in adversarios decernebantur, neque ex eis peti poterat præjudicium bonæ causæ, sed inspiciendum erat, quinam communiōne confociati essent Ecclesiæ Romanæ & cæteris Ecclesiis Apostolicis; nam Regula illa constans est & certa, Unitatem consistere in communiōne Ecclesiarum Apostolicarum, contra, fieri Schisma, si quis se ab eis separaret. Quapropter Justinianus Imperator, in usum revocans Regulam ab Augustino propositam, decernit in *Novellâ Constitutione* post centesimam nonâ, eos esse hæreticos, qui neque communicant, neque consentiunt Professioni Fidei, quæ summo consensu prædicatur à Patriarchis Romæ & Occidentis, (item) Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno & Hierosolymitano, & ab Episcopis, qui sunt sub eorum potestate. Optimè igitur agebat Augustinus posse Coecilianum in hæc Schismatis causâ spernere hostes suos, cum communiōne junctus esset Ecclesiæ Romanæ & cæteris Ecclesiis, undè fluxerat Evangelium; ac posse illum reservare causam integram judicio aliorum Collegarum, præsertim Ecclesiarum Apostolicarum. Ostendit autem id quidem, scribit porro *Marca*, auctoritatem illarum Ecclesiarum, ac præsertim Romanæ, pro conservatione Unitatis & communiōnis, sed non probat adpellari posse à judicio Episcoporum Africanorum ad Sedem Romanam, vel ad alias Ecclesias Apostolicas, in causâ Disciplinæ, quando Episcopi sunt Catholici. *Hæc omnia Archiepiscopus Parisiensis*. Eadem ferè nuper repetiit *Guilielmus Beveregius*, Synodici Oxoniensis vel *Pandectarum Juris Canonici Ecclesiæ Græcæ* Editor, in suis ad Canonem Concilii Carthaginensis trigésimum & primum Notis, ita ut à *Marca* mutuo accepisse videatur.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM & seqq.

DE

Summo Pontifice à nemine judicando.

AD dum Bellarminus, ommissis Scripturæ testimoniis, quæ in rem suam nulla habuit, præmissis tamen Conciliorum Decretis ut plurimum minus authenticis, additis Pontificum in re propriâ Judicium Decisionibus eomet ipso suspectis, quin & subjunctis aliquibus Imperatorum confessionibus per se insufficientibus planè, etiam Ecclesiæ Doctorum suffragio demonstrare conatur, inter eos autem silentio Augustinum præterit, nihil ex Eo auxilii sperandum esse docuit, quod, si juxta quorundam hodiè opinionem Sententia esset dicenda, nobis quidem Evangelicis posset esse satis. Quia verò in solutione argumentorum contra Papæ ab omni aliorum Judicio & Censurâ exemptionem aliquoties Augustini mentio occurrit, idèd paulisper & hic erit subsistendum. Et quia ex *Nili*, Thessalonicensis olim Archiepiscopi rationibus prima Paulum Petri Antinachum sistit, ex cujus facto sequi vide-

K 4

tur,

tur, neque Papam Romanum Petri, ut videri vult, Successorem in Cathedrâ omnium Judicio majorem & superiorem esse, ut nulli mortalium de factis vitæque suâ rationem reddere teneatur; idèò respondet Bellarminus ex Augustino & Gregorio, *Paulum non reprehendisse Petrum, quomodo majores de minoribus ex auctoritate judicant, sed quomodo minores interdum majores suos ex charitate corripiunt.* Si sepositâ Augustini auctoritate responderi deberet, dicerem, neque illo respectu Petrum à Paulo reprehensum esse, id est, neque ut minorem, neque ut majorem, datur enim adhuc tertium, id est, ut parem & in officio Apostolatûs sibi similem. Sed &, si ipsa Augustini Verba circa hanc Corceptionem Paulo-Petrinam ex loco per Bellarminum citato accuratius ponderemus, singularem aliquam disparitatem & dissimilitudinem observare licebit; quæ ut ut supra jam fuerint adducta, meritò tamen & hic leguntur, ut Bellar-

Epist. 19.
ad Hieron.

mini fraus eò manifestior evadat. Ita autem Doctor hic etiam augustinus: *Ipsè Petrus, quod à Paulo fiebat utiliter libertate charitatis, sanctâ ac benignâ pietate Humilitatis accepit, atque ita Rarius & Sanctius Exemplum posteris præbuit, quo non dedignarentur, seculi fortè recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi; quàm Paulus, quo confidenter auderent & minores majoribus pro defendendâ Veritate Evangelicâ, salvâ charitate fraternâ resistere.* Ipsam hanc Controversiam Petro-Paulinam quòd attinet, de eâ jam ante non semel aliquid fuit pro Instituti ratione observatum, inprimis ad caput tertii de Sacrà Scripturâ libri tertium. Nunc id tantum contra Bellarminum notetur, Augustinum non dixisse, quod Paulus reprehenderit Petrum, quomodo minores interdum majores suos ex charitate corripiunt, sed quâ ratione posteriores corrigere solent eos, qui in officio priores sunt, temporis nimirum ratione, quamvis in applicatione addat, quia Petrus communiter primus Apostolorum fuit habitus, Paulum utpote posterioriorem vocatione ad Apostolatam, hâc liberâ correptione præbuisse Exemplum, quò & minores aliorum judicio & quocunque etiam respectu confidenter auderent majoribus pro defendendâ Veritate Evangelicâ resistere, *salvâ Charitate fraternâ*, quæ ipsa restrictio ab Augustino notanter adjecta principatum inter fratres ad eoque hâc etiam ratione pares Monarchicum omninò tollit & aufert, id quod supra observatis hic addendum fuit. Sequitur ex *Nili* contra Papæ Romani ab omni aliorum jurisdictione exemptionem rationibus *quarta*, quæ in specie id etiam objicit, *quod sexta Synodus generalis Canone peculiari reprehenderit Ecclesiam Romanensem, quod in Quadragesima etiam Sabbatho jejunes, ac præceperit, ne id amplius fiat.* Bellarminus ut contra auctoritatem hujus Concilii defendat auctoritatem Pontificis Romani, inter alia provocat ad Hieronymi & Augustini testimonia, utpote statuentium, *jejunium Sabbathi rem esse indifferentem, & quamvis Regionem servare posse morem suum*, addens, *Concilium illud Græcorum nec debuisse nec potuisse Legem hâc de re Latinis ponere.* Quia autem de utroque, auctoritate videlicet Conciliorum, & ipso Sabbathi Jejunio infra suis agetur locis, utrumque etiam eorum reservamus.

Joh. 19,

Ad alia igitur contra hanc Exemptionem accessus fiat argumenta, quæ ex *Turrecremata* & aliis quibusdam colligit Bellarminus, adque ea respondere studet, inter quæ *primum* occupat locum, quod ex Verbis Christi desumitur, qui tempore Passionis Pilato, Præsidi Romano, potestatem in se desuper datam & concessam agnovit: *desuper*, inquam, id est, à Deo, juxta Augustini explicationem, undè sequitur, *multò magis Pontificem Romanum, qui se Christi Vicarium nominat, potestati Imperatorie subjici debere.* Bellarminus in responsione opponit Cyrilli, *Alexandrini & Chrysostomi* Sententiam, statuentium, *Christum loqui de permissione Divinâ.* Quasi verò hæc Permissio, quam hi duo Patres Græci hic intelligunt, & ipsa potestas Jurisdictionis, de quâ Augustinus & post Eum *Bernhardus* hæc Christi verba explicant, sint opposita & non potius subordinata, ita ut permissio Divina humanam præcedat potestatem, hæc verò illam præsupponat & sequatur. agnoscere id ipsum ex parte coactus fuit Bellarminus, concedens, *Expositionem Patrum Græcorum videri quidem magis literalem, sed & Augustini Sententiam nihil habere adversus Papæ à Jurisdictione omnimoda exemptionem;* quod tamen ita miserabiliter ostendit, ut miseratione dignus videatur. Dicit, *Pilatam habuisse revera potestatem in Christum, verum non per se, sed per accidens. Habuisse Eum per se potestatem in omnes Judæos, qui Romanorum Imperio subjecti erant. Porro Christum Ei fuisse oblatum ut unum aliquem de numero privatorum, & propterea in ipsum ut sic oblatum habuisse potestatem.* addit, *Etsi enim suspicabatur Pilatus, Christum Dei Filium esse, non tamen ut Dei Filium, sed*

ut privatum iudicavit Iudæum, quem ad modum si hoc tempore Clericus quispiam mutato habitu offerretur Pratori iudicandus, posset Prator ex auctoritate in eum animadvertere, & à culpa excusaretur, si ignorantia verè esset probabilis. Egregium in abstractendo & comparando artificem Bellarminum! Paucis, Christus Dei ab æterno, sed & Mariæ in tempore Filii, verè fuit Iudæus, è Matre Iudæa natus, Legi etiam & Potestati tam Divinæ quam humanæ ex liberrimæ Voluntatis arbitrio subjectus, verè fuit etiam Pilato, Romanorum in Iudæa Præfide Vicario subditus, id quod ultro erga Pilatum tempore Passionis agnovit, ut ambagibus Bellarmini abstractivis & comparativis non sit opus, verbis ex ore Veritatis plus quam perspicuis.

Succedat nunc argumentum ordine & numero quartum, contra Pontificis Romani à Jurisdictione politicâ exemptionem, cui Bellarminus partim ex Augustino satisfacere studet. Est id defumtum ex Veteri Testamento & Lege, utpotè quâ durante Rex non solum iudicabat, sed etiam deponebat Sacerdotem, cuius exemplum Salomo præbuit, deponens Abjatharem, & Sadocum constituens in locum Ejus; undè sequitur, paritate in Novo etiam Testamento Imperatoris Christiani esse, Christianum Pontificem iudicare. Inter cætera, quæ Bellarmino hic reponere fuit visum, præminet negatio similitudinis & comparationis. Ita autem scribit: *Cum in Veteri Testamento promissiones tantum fuerint temporales, & in Novo Spirituales & æternæ*, docente id præter Hieronymum Augustino, mirum non esset, si in Testamento Veteri Summa Potestas fuisset temporalis, in Novo autem spiritualis. De nullitate inanis consequentiæ non dicam, quamvis nondum memoriâ exciderit, quid supra pro statu Monarchico in Ecclesiasticis adstruendo ex comparatione Veteris Testamenti cum Novo Bellarminus in medium produxerit; sed Augustinum modò ab errore, quem in Socinianis hodiè & Remonstrantibus tanquam Fidei analogiæ contrarium damnamus, pro ratione Instituti vindicabimus, quod iterum commodius fieri non potest, quam si Augustinum Doctorem ipsum locis à Bellarmino citatis evolvamus. Duo autem sunt, ad quæ Bellarminus provocavit, in quorum priorè quidem expressè hæc leguntur, quod difficillimè reperiat in libris Testamenti Veteris aliquid evidentiùs de Vita Animæ post mortem fuisse conscriptum; sed in antecedentibus clarè satis explicata: *Eadem sunt in Veteri & Novo; ibi obumbrata, hic revelata; ibi præfigurata, hic manifestata. Nam non solum Sacramenta sunt diversa, verum etiam promissa ibi videntur temporalia proponi, quibus Spirituale præmium occultè significetur; hic autem manifestissimè spiritualia promittuntur & æterna. Ubi nemo non videt, Augustinum non negasse ipsam Bonorum Spiritualium & æternorum in Veteri Testamento promissionem, sed id tantum adfirmasse, clarius ea & evidentiùs multò in Novo proponi, adedòque modum promissionis saltem variare. Magis apertè id indicat posterior locus à Bellarmino citatus, in quo etsi itidem nescire se scripserit Sanctus Pater, utrum aliquis in libris Testamenti Veteris in venerit nomen Regni Cælorum, statim illud tamen pro orthodoxæ mentis explicatione subiungit: Ipsa Vita æterna si non illic in manifesto prædicaretur, non diceret Dominus malis etiam Iudæis, Scrutamini Scripturas, in quibus putatis, vos vitam habere æternam, ipsæ testimonium perhibent de me. Et postquam aliquot de eâ Promissiones satis perspicuas citasset, ita porro scripsit: Hæc & alia multa sive apertissima, sive obscura inveniuntur illic Vita æternæ testimonia. Et de ipsâ corporum resurrectione non tacuerunt Prophetæ, undè Pharisei adversum Sadduceos eam non credentes acerrimè confutabant. Et iterum post aliqua: Proinde testimonium Vita æternæ & Resurrectionis mortuorum abundat illa Scriptura, sed hoc nomen (NB.) id est, Regnum Cælorum de nullo inde loco mihi occurrit, hoc enim propriè pertinet ad Revelationem Novi Testamenti, quod ori etiam Ejus nominandum servabatur, quem Regem ad regendos, & Sacerdotem ad sanctificandos fideles suos universus ille apparatus Veteris Instrumenti in Generationibus factis, dictis, Sacrificiis, observationibus, Festivitatibus, omnibusque Eloquentiarum præconiis, & rebus gestis & rerum figuris pariuriebat esse venturum.* Mirum, si hæc tam manifesta Augustini verba Bellarminus apertis & suis in loco legit oculis, quod facere omnino debuit, Augustinum Doctorem hunc in tuas trahens partes; quâ ratione, si quæ superest, & modo ex mente Ejus scribere ausus fuerit, in Veteri Testamento promissiones tantum fuisse temporarias; dum ex utroque loco per Bellarminum citato contrarium sit manifestissimum. Id quamvis ad præsentem non propriè pertineat controversiam, quia tamen ipse Bellarminus vi attraxit, vindicari omnino debuit, quia tam facile potuit, Augustinus ab errore inter orthodoxos hodiè nullatenus tolerando, quidquid etiam iis videatur, quibus non nisi singularia quævis placent, & è contrario

Super Numeros, Quæst. 33.

Lib. 19. contra Faust. cap. 31.

NB.

com-

communiter ab Evangelicis recepta tanquam simpliciora fordent. Nunc nihil ad hanc Questionem restat, quam quod ipse Bellarminus ad ultimum argumentum contra Papam ab omni aliâ Jurisdictione exemptionem observat, *an nimirum Pontifex in casu hæreticos possit ab Ecclesiâ judicari & deponi*, ex Augustino citans, *hæreticum manifestum non esse Christianum sed extra Ecclesiam, quin ipso etiam facto carere omni Jurisdictione & dignitate Ecclesiastica, id est, claves Regni Cælorum habere non posse, nec solvere aut ligare*; quæ itidem Bellarminus contra Cajetani & aliorum exceptiones constantissimè tuctur, suam post alios Sententiam his verbis exprimendo, *Papam hæreticum manifestum per se definire esse Papam & caput, sicut per se definit esse Christianus & membrum corporis Ecclesiæ, quare ab Ecclesiâ posse judicari & puniri*, addens, *hanc esse Sententiam omnium Veterum Patrum & Ecclesiæ Doctorum, adeoque Augustini etiam, quem ante binis vicibus testem adduxit*; in cujus Sententiæ Expositione illud Sorbonista *Launojus* notavit, quod Bellarminus sibi ipsi repugnare videatur, dum Papam hæreticum per se Christianum, & Papam definire ex Augustini & aliorum Ecclesiæ Doctorum Sententiâ scripsit, & tum demum ab Ecclesiâ judicari & puniri posse putavit, de quo tamen alii videant.

Tom. III.
Epist. ult.
pag. 138.

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM,

DE

Nominibus Romani Pontificis.

INter quæ numero post decimum quarto refert, quod *Apostolica Sedes Præsul* audit, de quo nomine etsi negare non possit, sed agnoscere cogatur, quod supra jam non semel fuit observatum, *interdum ab Antiquis vocari Sedes Apostolicas non solum Romanam, sed & Antiochenam, Hierosolymitanam, Ephesinam & alias, quas Apostoli fundarunt, & in quibus tanquam Episcopi sederunt*, post Tertullianum quoque ad Augustinum provocans, quorum testimonia ad caput primi de Romano Pontifice libri nonum prolixissimè citata leguntur; addit tamen, ut Elogium hoc Romanæ Sedi in specie proprium maneat, in tribus quoad hoc nomen excellere Romanum Pontificem, quorum duo priora Augustini testimoniis firmare nititur, unum, *quia cum dicitur absolute Sedes Apostolica, & non additur Antiochena, vel Ephesina, vel Romana &c. semper intelligitur Romana, quæ per antonomasiam dicitur Apostolica, ut patet ex Augustini testimonio, quod supra itidem ad tertium tertii de Sacra Scripturâ libri caput vindicatum est; alterum verò, quia Romanus Pontifex non solum dicitur Sedem Apostolicam, ut Antiochenus & Ephesinus, sed principatum Apostolicæ Sedis tenere, ut patet ex ejusdem Augustini testimonio, cui itidem supra jam satis est factum & ostensum, principatum hunc non ad locum, sed ad officium referri debere, omnibus Apostolis & Eorum Successoribus Episcopis commune. Ego ex superabundanti nunc duo tantum addo, quorum prius laudatam à Bellarmino Antonomasiâ concernit, qualem supra Paulo etiam concedere fuit coactus, hæc in laudem Ejus verba ex Augustino nobis suppeditans, quæ & hic iteratò legi merentur: *Apostolus cum dicitur, si non exprimat, quis Apostolus, non intelligitur, nisi Paulus, quia pluribus est Epistolis notior, & plus omnibus aliis laboravit. Repeto, quod supra huic testimonio adscripti: Si Bellarminus tale quid de Petro scriptum ab Augustino invenisset, aureis existimasset literis describendum. At de paribus idem esto judicium. Si enim hæc Antonomasiâ Paulum non facit Ecclesiæ Principem vel Monarcham, non video, unde Petrum hic honor præ Paulo maneat; præprimis si accedat, quod posterius est adhuc observatione dignum, scilicet, de hoc nomine idem dici posse & debere, quod circa Sextum nomen à Bellarmino adductum laudatus modò Sorbonista *Launojus* noravit, non solum Petrum dici ab antiquis Patribus *Christi vicarium* vel *Christi vices gerere*, sed omnem Episcopum in Ecclesiâ &c.**

Lib. III. ad
Bonif. c. 3.

Tom. eod.
Epist. II.
num. 21.
seqq.



LIBRI TERTII,
DE
ROMANO PONTIFICE,
CAPUT SECUNDUM,

DE
Antichristo, homine individuali.

TAlem cum Bellarminus defendere in se suspiciat, ut Pontifices Romanos eo facilius ab hac accusatione gravissima liberare possit, omnia studiosè colligit, quæcunque ullâ ratione Scopio intervirere videntur, Augustino etiam hic & ibi in testimonium adducto, de cuius, ut & cæterorum Patrum autoritate in hac Controversiâ quamvis indubium sit, eam non semper neque ab ipsis Romanensibus sine omni exceptione ratam haberi, ideo, quia iis plerique vixerunt temporibus, quibus *Mysterium Iniquitatis* nondum ita fuit revelatum, adeoque ante Vaticiniorum impletionem de eo non ita evidenter statuere potuerunt, multa de Antichristo vel Antichristis hinc inde docentes, quæ manifestissimè postmodum minus liquida esse fuerunt deprehensa, id quod hic in antecessum monuisse, posthac non semel erit usui; nihilo tamen minus conabimur, quantum licebit, Augustinum vindicare ab eorum errorum societate, ad quam non rarò invitissimus & præter mentem trahitur à Bellarmino, cuius aliquod specimen mox sub initium exhibetur. Ut enim Antichristi in S. Literis præsignificati unitatem individuum, & ut ita dicam vel scribam, Solarem demonstrat primo statim loco provocat ad ipsius Christi verba: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*, quibus de magno, qui in Quæstionem hic venit, Antichristo vaticinium exhiberi putat, præter alios Patres Augustinum quoque testem citans, hæc Verba Christi de uno aliquo individuali Antichristo intelligentem. Videamus, an id dixerit vel scriperit Augustus Doctor, qui hunc in modum de Christi Sententiâ suam expressit: *Qui à semetipso gloriatur, gloriam querit propriam. Hoc erit ille, qui vocatur Antichristus, extollens se, sicut Apostolus ait, supra omne, quod dicitur Deus, & quod colitur. Ipsum quippè, id est, Antichristum, annuntians Dominus, gloriam suam, non Patris quæsiturum, ait ad Iudeos, Ego veni in nomine &c. Significavit eos Antichristum suscepturos, qui gloriam nominis sui quæsiturus est, inflatus, non solidus, & ideo non stabilis, sed utique ruinofus*. Explicat quidem Augustinus hæc Christi verba de Antichristo in singulari, sed Sensu non aliò, quam quo Christus ipse locutus est indefinitè de quocunque alio in nomine suo veniente, quem necessariò de uno aliquo individuali Antichristo *Solipso* intelligi debere, ipsi Interpretes Papistæ non pauci negarunt, nominatim *Salmero, Pererius, Tolerus, Maldonatus, Iansenius Gandavensis, Didacus Stella*, ipse etiam, *Malvenda*, quorum verba prolixè *Gerhardus* noster in Confessione Catholica exhibet, hic cum tædio non iteranda. ad aliud progredimur oraculum, numero & ordine *quartum*, quo Bellarminus individualement Antichristum porro sistit, Danielem Prophetam ad partes suas trahens, ex Revelatione angelicâ docentem, *unum fore non regnum, sed regem quendam, qui ex decem regibus tres omninò tollet è medio, & alios septem sibi subjiciet*, id de Antichristo præter alios iterum Patres agnoscente Augustino, quod quidem ultrò neque inviti largimur & concedimus. At qui aliud & hic est, loqui Augustinum de Antichristo in singulari, aliud in individuo, cum sub illo singulari unitas intelligi possit, imò de jure debeat, si ita dicere licet, phœnicia, id est, successiva, per tona nimirum unica ejusdem speciei, naturæ & ordinis, quo sensu unus Rex unius regni dicitur, etsi plures sibi invicem numero & ordine succedant, & quo reges mori non posse dicuntur. Sit autem ita, ut hoc obiter contra Bellarminum Augustini & aliorum Patrum autoritate abutentem adjiciam, Antiochum, quem Vates Divinus tantum non nomine suo exprimit, *certum & singularem fuisse personam*, nondum sequitur tamen, ideo & Antichristum, utpote Antiochi antitypum, *certam & singularem esse personam debere*, cum facile aliquis plurium typus esse possit, sicut è contrario unius rei plures esse typos posse, imò, si Sacras V. T. literas evolvamus, re- verâ esse, nemini non studioso earum scrutatori manifestum sit.

Vid. D.
Dannh.
Antichr.
Prodr. n.
23. P. 67.

Joh. V.

Tract. 29.
in Joh.

Cap. 11.
& 12.

Lib. 20. de
C. Dc. 23.

Et

Et quia Johannes Novi Fœderis Propheta in pluribus cum Daniele deprehenditur convenire, ideò Bellarminus Eum huic quoque consultum duxit jungere, ad Eius etiam Vaticanina provocans, quæ de Antichristo individuali Augustinum post alios iterum Patres intelligere scribit, sed eodem & hic dimittendus responso, quo Danielis de Antichristo prædictionem, juxta Augustini mentem, diximus intelligendam, illud solùm addendo, quod Augustinus eo in loco, ad quem Bellarminus tertiâ vice provocat, apertè testatur, testimonium illud Apostolicum, quo Bellarminus etiam ad individualitatem Antichristi demonstrandam utitur, & quod Antichristum extra omnem controversiam exhibet, nonnullos suo tempore ita explicasse, ut non ipsum Principem, sed ejus quodammodo universum corpus, id est, ad Eum pertinentem hominum multitudinem simul cum ipso Principe suo intelligi voluerint: quam Sententiam si Augustinus judicasset improbabilem, indicare nullus prætermisisset, id quod in sequentibus de diversis aliorum in hâc Quæstione opinionibus non omisit, quamvis ingenuè confessus: *Nos, qui nescimus, quod illi sciebant*, nimirum Thesalonicensis, ad quos Paulus illam exaravit Epistolam, *per venire cum labore ad id, quod sensit Apostolus, cupimus quidem, nec tamen valemus*, de variis aliorum Interpretum Sententiis addens: *Alius sic, alius aliter obscura Apostoli verba conjectat*. Ut adeò, quidquid Bellarminus ex Augustino hic adducit ad suam opinionem de individuali Antichristo stabiliendam, vel propriè Eius Sententia non sit, vel ad minimum non nisi conjecturaliter ab Eo propositum, qui nihil tum indubitanter definire hâc de re ausus est.

CAPUT TERTIUM, & seqq.

De

Antichristo nondum Revelato.

FAtetur hic Bellarminus, de tempore adventus Antichristi multas esse suspiciones falsas, multosque errores, tam Catholicorum, quos vocat, quam hæreticorum, hoc tamen cum discrimine, quod Catholici ita dicti scientes, vel ita existimantes, *Antichristum non venturum, nisi in fine Mundi, erraverint in eo, putantes, Mundi finem esse propinquiores quam re verâ sit*. His opinionibus, quas dicit Catholicorum accenset tandem, quam adpellat celebrem eorum, *qui Mundum sex annorum millibus duraturum statuerunt ideò, quia sex diebus Mundum creaverit Deus, & mille anni sint apud Deum quasi dies una*; cui Sententiæ scribit concordare Thalmudistarum opinionem, ab Eliâ (Propheta) vaticinium se habere dicentium, *quo adseratur Mundus sex millibus annorum duraturus*. Addit, *hanc Sententiam non posse per Experienciam redargui, & optimam esse moderationem Augustini, eam putantis probabilem & ut probabilem sequentis*. Etsi autem Bellarminus ex C. D. c. 8. istimet, *indè non sequi, nos scire tempus ultima diei*; dicit tamen, *probabile esse, Mundum non duraturum ultra sex annorum millia, quamvis non pro certo & indubitanter id adfirmare ausus*, de Augustino id etiam testatus, *quod acriter reprehenderit adserentes, certo tempore aliquo Mundum esse finiendum, cum ipse Dominus dixerit, Non esse nostrum scire tempora & momenta, quæ Pater in suâ posuit potestate*. Ut ut autem hujus Sententiæ discussio non adeò multum faciat ad præsentem Controversiam, & hinc Bellarminus facile eam silentio prætermittere potuisset, lubet tamen breviter id tantum hic ad eam observare, quod Pandulphus in suis de Fine Mundi Disputationibus notavit, *esse hanc traditionem non Eliæ Thesbitis Prophetae, quod Bellarminus per inadvertentiam Lectori proposuit, sed Rabbinum alicujus Thalmudici & Cabalistici, id quod Menasse Ben Israel, Rabbinorum hujus Seculi Celebratissimus etiam agnoscit, Pandulpho hanc in genere Centurâ addente: Cum Thalmudicum opus omnium planè mendacissimum sit, huic dicto fidem jam satis abrogari*. Et quod Augustini attinet autoritatè, etsi concedit, *Eum hanc Sententiam non improbare, imò adserere, se id aliquando fuisse opinatum, & eam in hâc parte solum reprehendere, quâ errori Chiliarum favet*; addit tamen, *eundem Augustinum alibi hanc sententiam refellere, reprehendendo nimirum adserentes, certo tempore aliquo Mundum esse finiendum*, quod Bellarminus quoque notavit, etsi non observans, hanc posteriorem Sententiam priori esse adversariam. Hinc idem Pandulphus cordatè: *Premisâ erga tot insignes, qui huic Sententiæ adhaerunt, Doctores Reverentiâ adfero, hanc opinionem incerto proorsus ac nutanti innixam esse fundamento*, id quod prolixè etiam per partes demonstrat. Inde etiam Abramus in Pharo Veteris Testamenti de adventu Messiae contra Judæos agens, quamvis hoc Vaticanio Pseudo-Eliæ Rabbinici ad demonstrandam Adventus Messiani certitudinem utatur, non tamen aliâ utitur ratione, nisi

nisi ad hominem & ex concessis disputando, nimirum contra Judæos ex hoc Canone Chronologico evicturus, Messiam Patribus promissum juxta hoc Rabbini Vaticinium jam dudum & ante sesqui-mille annos venisse, adeoque non amplius expectandum esse. Sed ad Bellarminum ut redeam, is demonstraturus, Antichristum, videlicet magnum, & de quo Paulus in specie, nondum venisse, aliquot Signa colligit ex Sacris, quæ Antichristum antecessura sint, è quorum numero *primum* fuit universalem in toto orbe Evangelii prædicationem, Augustino in testimonium citato, de seipso scribente, *certissimam se comperisse Experientiam, suo tempore multas adhuc fuisse gentes, quæ nihil de Christo audierint*; ad locum Pauli autem, quibus in omnem terram exivisse Sonum prædicationis Evangelicæ, inque universo orbe Evangelium esse, suo jam tempore testantis, respondente, *ibi quidem profuturo præteritum accepisse Apostolum, hic verò non actu sed Virtute Evangelium esse intelligi voluisse*. Rem ipsam quod attinet, non abs te erit, si Bellarminum more non insolito sibi met ipsi contradicentem & scribentem breviter exhibeamus. Quod enim hic negat, alibi satis evidenter & expressè adfirmat, scribens: *Apostoli per totum orbem terrarum prædicarunt Evangelium & Ecclesias constituerunt, ut patet ex locis paulò ante citatis &c.* Item ex Irenæo, qui cum fuerit vicinissimus Apostolicis temporibus, dicit tamen, suo tempore Ecclesias jam fundatas esse in Oriente, in Lybiâ, in Ægypto, in Hispaniâ, in Germaniâ, & in medijs Regionibus, id est, Italiâ & Galliâ. Similia ferè habet, amplitudinem Ecclesiæ describens: *Tempore Apostolorum Ecclesia in toto Mundo fructificare cepit, ut Paulus dicit*. cit. Item, tempore Irenæi erat sparsa per totum orbem, id est, per omnes Provincias tunc cognitâs, id quod Ipse refert. Idem postea refert de suo tempore Tertullianus, idem postea Cyprianus, idem postea Athanasius, idem postea Chrysostomus & Hieronymus & Augustinus, nec non Theodoretus & Leo Magnus, ac Sanctus Prosper. Et ubi respondere debet ad illud Prophetæ Danielis Vaticinium, quod eodem in capite Matthæi habetur, quo de Catholica Evangelii prædicatione ex ore Christi extat promissio, ita suam explicat mentem: *Ad illud Danielis, etsi Hilarius & Hippolytus atque Apollinaris apud Hieronymum intelligunt eam Prophetiam de tempore Antichristi, tamen sine dubio sunt decepti, Loquitur enim Daniel apertissimè de everione Hierusalem & cessatione sacrificii Judæorum, sic exponentibus Chrysostomo & Theophylacto ac Hieronymo, Augustino item nec non Eusebio, Clemente Alexandrino, Tertulliano, Julio etiam Africano apud Hieronymum &c.* Addit Bellarminus, idem ex Evangelio colligi e videnter, ad loca Matthæi & Marci parallela provocans. Quid ex his Bellarmini verbis contra ipsum quoque Bellarminum possit deduci, satis est manifestum. Videlicet, quod hic futurum adhuc tanquam Signum antecedens tempora Antichristi adducit, ibi tanquam jam factum pluribus Patrum, imò ipsius etiam Augustini testimoniis confirmat, adeoque & hoc documento ostendit, vertiginis spiritu se circummagi, ubi vertiginosum Antichristi spiritum à se suisque complicitibus abigere & amoliri est conatus. Dum verò de *Hilario* & alijs Scriptoribus Ecclesiasticis diversum à se in explicatione Vaticinii Danielis sentientibus scribere non erubuit Bellarminus, eos sine dubio esse deceptos, qualiter non rarò alibi de diversis Patrum opinionibus censet; nullo planè modo poterit ægrius ferre aut iniquius interpretari, quicunque post *Erbermannum* partes Bellarmini suscipiet in posterum defendendas, si de Augustino secundum ea, quæ ex Eo produxit Bellarminus, dicamus, eum ibi inconsequenter disputasse, idque indubitanter adfirmasse, quod adhuc est & tunc erat in quæstione. Ita autem ibi Doctor augustus: *Sunt apud nos, hoc est, in Africa, gentes barbara innumerabiles, in quibus nondum esse prædicatum Evangelium, ex iis, qui ducuntur inde captivi, & Romanorum servitiis jam miscentur, quotidie nobis addiscere in promptu est*. Atqui hoc non obstante, potuit nihilominus fieri, ut iis gentibus antehac per Apostolos Evangelium fuerit prædicatum, & post quatuor Secula, id quod apud alias quoque factum est, obliteratum, documentis illius Apostolicæ prædicationis ita sepultis ac omnimodè oblivioni traditis, ut nihil planè reliquiarum super Augustini tempore fuerit, isque idèò existimaverit, nunquam ibi antehac prædicatum fuisse ab Apostolis. Hoc responsum non potest aut debet esse ingratum ad Augustini auctoritatem provocantibus, quia non solum ipse Bellarminus locis jam allegatis contrariam amplexus legitur Sententiam, sed & cum eo plures alii ex Interpretum Papistarum numero, quos D. *Gerhardus* noster iterum numero satis prolixo exhibet in laudato *Confessione Catholica* & irrefutabili hæctenus opere, inter quos aliqui etiam Augustini opinionem cum emendatione quâdam sistunt, nominatim *Maldonatus, Barradius, Justinianus*, quibus si licitum fuit in hac re ab Augustino, discedere, cur id Evangelicis non liceat, nondum video.

Epist. 80.
ad Hefych.lib. II. de
V. D. c. 15lib. IV. de
Notis Ec-
clesiæ, cap. 7.lib. III. de
Ecclesiæ
milit. cap.
16.

Secundum jam sequitur signum, quod tanquam Antichristi tempora antecedens à Bellarmino adducitur, nimirum omnimoda Imperii Romani desolatio, è classico Apostoli oraculo, quod utramque in hoc argumento facit paginam, id demonstrante, in testimonium adducto post ceteros Patres Græcos & Latinos Augustino, de quo idem hic repetere licet, quod ad caput proximè antecedens in fine fuit observatum, scilicet, ipsum fateri Doctorem Augustum, se nescire, quod Thessalonicenses (ex ore Apostoli) sciebant, & quamvis cupiat pervenire ad id, quod Apostolus sensit, non tamen posse se aut valere. Etsi enim id, quod Paulus de *Mysterii Iniquitatis* detentore, ne suo tempo-

re reveletur, scripsit, de Imperio Romano non absurdè intelligi posse credat Augustinus, aliam tamen aliorum quoque subjunxit Expositionem, comet ipso testatus, non se in hujus Oraculi sensu omnimodè indubium esse, quin potius si meliora quis suggesserit, ad acceptandum ea paratissimum. Quam Sancti Patris modestiam si Bellarminus advertisset, non ita crudè & nudè Sententiam ejus, quæ ipsi probabilis tantum, non autem certa planè fuit, proposuisset, præprimis si sui iterum & à se ante & post Scriptorum memor fuisset. Ante inquam & post scriptorum. Nimirum paulò ante non invitus sed ultrò scripsit: *Imperium Romanum ferè jam deletum esse*; Et post in de Imperii Romani Translatione adversus Flacium fatetur, plurimos Historicorum adfirmare, *Occidentale Imperium in Augustulo defecisse*, quorum aliqui verbotenus ibi à Bellarmino adducuntur. Accedit, nominatissimum hodie inter Papistas Commentatorem Esthium fateri, non placere hanc de Imperio Romano explicationem aliis Interpretibus, testarique Thomam & Lyrannum, quin & rem ipsam probare, jam olim ab Imperio Romano gentes, quæ ei erant subjectæ, defecisse, solumque nomen penè Imperii Romani hodie reliquum esse. Ratio instituti non patitur, hanc nunc agitare controversiam, quam non ita pridem duo Scriptores, alter Galus, alter autem Italo-Germanus, circa Imperii Romano-Germanici non solum denominationem, sed ipsum quoque Statum, Civilis Prudentiæ Scriptoribus iteratè discutendam objecit, utpotè à Theologorum foro eatenus alienam, quatenus de hujus vel illius Regni & Imperii Status internâ & genuina ratione ex ipsis Politicæ Doctrinæ fundamentis disquiri solet: id tantum pro uberiori hujus Quæstionis illustratione addere libet, quod sub superioris Seculi finem Fevardentius, Doctor Parisiensis, Ordinis Minorum, ad *Irenæum* Danielis & Apocalypseos Johannæ oracula tractantem notavit, cum & hic aliorum, quam propriis loqui & scribere verbis tutius sit & longè consultius:

ad lib. V.
cap. 26.

Dissipationem unius Imperii Romani in decem regna per decem articulos pedum Statue, decemque, cornua Bestiæ significata, Adventum Christi præventuram, post Irenæum ex Daniele & Apocalypsi colligit Theodoretus, & ut Hieronymus fatetur, omnes Scriptores Ecclesiastici. Quæ sint autem illa, haud difficile deprehendent, qui historias Romanorum à temporibus Arcadii, Honorii & Theodosii ad hanc usque ætatem percurrerint. Ab illis enim Seculis comperient, in Europâ Hispanos, Gallos, Anglos & Germanos; in Africâ Carthaginienses, Numidas, Egyptios; in Asiâ Syros, Armenos, aliosque multos, variis licet modis, Imperii Romani jugum excussisse. Atque etiam nunc in solâ Europâ conspiciamus, Poloniam, Sveciam, Norvvegiam, Daciam (forte, Daniâ) Britanniam, Galliam, Hispaniam, Italiam, Siciliam, Hungariam, decem clarissima & potentissima regna, ab Imperii Romani obedientiâ ita se subduxisse, imò & illud atrivisse, ut vix quoddam illius inane superfit simulacrum. Quibus Fevardentii verbis ut aliquid adjiciatur opus non est, cum satis clarè rem contra Bellarminum conficiant.

Tertium nunc succedit Signum Antichristi tempora antecedens, adventus Enochî & Eliæ, quos adhuc & ad hoc vivere scribit Bellarminus, ut venienti Antichristo se opponant, & conservent electos in Fide Christi, & tandem Iudeos convertant. Id ut confirmet, duobus ex Veteri Testamento, totidem ex Novo Testimoniis nititur, addens præter aliorum Patrum Augustini quoque consensum, cujus autoritate etiam in explicando

lib. 20. de
C. D. cap.
29.

ad præsens Institutum Malachiæ Oraculo utitur, statuentis, hanc esse communem fidelium Interpretationem, in eo de Eliâ vero agi. Id sicut negare non possumus, de Augustino bonâ cum Ejus veniâ hic consentes, quod Bellarminum paulò ante de *Hilario* & aliis Scriptoribus Ecclesiasticis judicasse legimus, Eum sine dubio hic cum pluribus deceptum esse, forsitan autoritate Verſionis Græcæ, quæ sine præviâ Codicis Ebræi manuſcriptione Eliam hic expressit *Thesbiten*; ita Christophorus à Castro, quamvis Bellarmini sententiæ accedens, fateri tamen coactus est, locum hunc de *Iohanne Baptistâ Christi præcurſore accipiendum existimasse Paulum Burgensem, Vatablum, Ariam Montanum, Iſidorum & Ruperum Tuitiensem, qui insuper reſtetur, Hieronymum quoque secutum esse hanc Expositionem, adq; ipsum non displicere Remigio & Haymoni, quibus inprimis addi debet Sixtus Senensis,*

Ora-

oraculum hoc prolixissimè à Judæorum & Anabaptistarum corruptelis vindicans, eam ^{Bibl. S.} itidem præoccupans exceptionem, quâ Bellarminus Eliæ Personam ante ultimum Christi ^{lib. 7.} adventum hic loci promissam evincere studuit, expressè scribens: *Quod additur*, ^{Hæret. 3.} *Eliam venturum ante Diem magnum & terribilem, neminem movere debet, quasi ad Iohannem, qui non in secundo, sed in primo Christi adventu venit, aptari non possit; quoniam in sacris literis dies magnus Domini ac terribilis non solum de secundo Christi adventu ad Iudicium, in quo venturus est Elias, (ita Sixtus etiam in contradictione communem tuetur Sententiam:) sed etiam de primo Christi adventu in Carnem, quem Iohannes præcessit, intelligi solet, id quod sequentibus explicat: Dicitur autem primus Christi adventus secundum carnem dies Domini magnus & terribilis, vel propter excæcationem & ruinam Ebræorum terribilem in eo factam, vel ut Beda inquit, propter diem Natiuitatis & Passionis Christi, qui à Petro Apostolo ex testimonio Ioaël Prophetæ adpellatus est dies Domini magnus ac manifestus, eò, quod cum Christo nato novum Sidus emicuit, & co crucifixo Sol obscuratus est, Luna non dedit lumen, Terra contremuit, Petra sunt scissa, Monumenta sunt aperta, & multa Sanctorum corpora, quæ dormierant, magno spectantium terrore per urbem discurrere visa sunt, quod ultimum tamen non invitis dicam & refragantibus, saltem tacentibus Evangelistis dicitur & scribitur. In hunc quoque censum referri debet Jansenius Gandavensis, de Syracide, Ecclesiastici Scriptore, qui huius etiam Eliæ ejusdemque in hanc terram reditus facere videtur mentionem, ipso referente Bellarmino censens, *Ecclesiasticum id scripsisse secundum receptam suo tempore opinionem, quâ creditum fuit ex verbis Malachia, Eliam verè in suâ persona venturum ante Messiam, cum id non esset implendum in propria Ejus personâ, sed in eo, qui venturus erat in spiritu & virtute Eliæ.* Et si enim Bellarminus hunc Jansenium in Concordiâ Evangelistarum, & ante eum quoque Hieronymum in Commentariò ad Matthæum retractasse hanc sententiam & contrariam docuisse scribat, sufficit tamen, utrumque in loco, qui huc quam-maximè pertinet, à Bellarmino & quem pro se citat, Augustini Sententiâ discessisse, quam in Ecclesiâ nunquam unanimiter receptam fuisse, hic ipse & antiquorum & recentium dissensus testatur.*

Restat è Novi Testamenti testimoniis classicus in hac Quæstione ex Apocalypsi Johannæ locus, ad quem communiter pro binario horum Testium numero provocari solet, & in quo Bellarminus etiam ad Theos suæ defensionem non parum spei collocavit, ut demonstret, intelligi eum debere *de singularibus Enochi & Eliæ personis*, in genere iterum, ne quid sine antiquorum Ecclesiæ Doctorum autoritate hic etiam statuere videatur, præter plurium aliorum ad Augustini quoque consensum provocans, quem sicut antea non negavimus, ita circa hujus Apocalyplici etiam Oraculi intellectum bene observandum ducimus, quod *Alcasar*, curiosissimus arcani Sentus Apocalyplici investigator amplissimè notavit, *in ejus Explicatione non unam, sed quatuor esse vias.* Primam interpretari de duobus viris tempore Antichristi prædicaturis; secundam de Antichristi tempore quidem, non tamen de duobus; tertiam de duobus quidem Viris, sed non de tempore Antichristi; quartam denique nec de duobus, nec de Antichristi tempore. Rursus harum viarum singulas in varia quasi divortia femitarum dividi. *In specie,* qui de Viris duobus sub Antichristo prædicaturis Textum censent esse explicandum, alios quidem designare Enochum & Eliam, ex quibus sint Aretas, Ambrosius, Haymo, Reichardus, Anshertus, Strabus, Hugo Cardinalis, Thomas, Dionysius, Clarius, Vatablus, Ribera, Viægas, quorum explicationem certissimam esse existimant Svarezius, Pamelius, Mendoza, Pererius, Malvenda. Alios autem censere, significari hic Moïsem & Eliam, quæ Sententiam sequantur explicantes Christi Transfigurationem, Ambrosius, Hilarius, Abbas Joachimus, Carharinus, Arboreus, Gagnejus, Maldonatus, in quam etiam inclinet Jansenius Gandavensis. Secundam viam placuisse Ticonio, Primasio & Bedæ. Tertiam in varios iterum tramites dividi; quosdam enim respicere tempus primitivæ Ecclesiæ, & duos testes illos suspicari esse Christum & Johannem Baptistam. Ita Ubertinum de Casalis, & Michaellem Eizingerum. Alios inducere duos Sacerdotes illos Jesum & Ananum, quos occiderint Idumæi. Ita Caponsachium, Scriptorum paucis cognitum. Nonnullos exponere de Sylverio Papâ & Menâ (vel potius Menâ, Constantinopolitano) Patriarchâ contra Eutychnianos pugnantibus. Sic Aureolum, Antoninum, Lyranum, Ederum & Lizaratum, & hunc quoque plerisque ignotum. Non defuisse etiam, qui existimarent, in his duobus testibus respici ad Dominicum & Franciscum, quod arriserit Ubertino etiam, & quibusdâ aliis. Quartâ insistere viâ, qui censent, hoc in loco non institui Sermonem de Antichristi tempore, neque

„de duobus Viris singularibus, sed de fictis per Profopopœiam personis. Viâ hujus pri-
 „mam esse semitam existimantium, non agi hic de peculiari aliquo tempore, sed de cun-
 „ctis Fidei Christianæ Seculis. Hanc Sententiam sequi Pannonium, agentem, duos te-
 „stes illos esse omnium temporum Veritatis adserentes duobus Testamentis subnixos.
 „Huc spectare Ariam Montanum, adserentem, duos testes illos esse legem & Prophe-
 „tiam, Legem scilicet in Mose, Prophetiam in Eliâ denotatam. Alteram denique se-
 „mitam in Ecclesiâ primitivo tempore persistere, atq; duorum testium figuram spiri-
 „tualiter esse explicandam contendere. Semitam hanc Authores habere eos omnes,
 „qui arbitrantur, in Apocalypsi à capite quarto usque ad finem undecimi Sermonem
 „esse de modo, quo se gessit Deus cum populo Judaico sub primitivâ Ecclesiâ tempo-
 „ra: & à capite duodecimo usque ad vigesimum, quem ad modum Deus cum populo
 „gentili egerit; utrobique etiam agi de persecutione ab infidelibus in Ecclesiam susci-
 „tatâ, deque ipsius Ecclesiâ triumpho ex utraque persecutione. Hanc Sententiam
 „pro se Authores quam plurimos habere, eosq; graviore, quam opiniones cæterâ; & si
 „Fundamenti firmitudo desideretur, illam præ reliquis esse firmissimam. *In hujus Sen-
 „tentia gratiam hæc subjungit Alcasar:* Pro certo habeo, quicquid in hoc capite de duo-
 „bus Testibus disputatur, in eo produci adhuc & continuari cœptam prius tractatio-
 „nem de fructu copiosissimo, quem Ecclesia ex Judaici populi persecutione decerpit.
 „Quare mihi persuadeo, hos esse duos testes esse magnam Sapientiam & magnam Sancti-
 „tatem Ministrorum Evangelii sive Prædicatorum, qui primævæ Ecclesiâ tempestate
 „Judaico populo Christianam Fidem promulgârunt. Quam interpretationem si quis
 „fortè nimis spiritualem reputabit, eum rogarum velim, ut attentè legat atq; confide-
 „ret, quod Hieronymus scripsit: *De Enocho & Eliâ, quos venturos Apocalypsis refert &
 „morituros esse, non est istius temporis disputatio, cum omnis ille liber aut spiritualiter intel-
 „ligendus sit, ut nos existimamus, aut fabulis adquiescendum.* Eos autem, qui hos duos te-
 „stes omninò experunt atque contendunt duas esse personas, interrogare est animus,
 „utrum noverint, Apocalypsin esse librum planè ænigmaticum. Si norunt, quæ jam
 „prudencia est, dissentaneum & absonum reputare, ut in quodam ænigmate magna
 „Christi Ministrorum sanctitas & sapientia, tanquam duo ipsius Christi testes inducan-
 „tur. *Post aliqua hæc sibi Objectionem format:* Hæc declaratio videtur fundamentum
 „demoliri ejus rei, quam Ecclesia certissimam reputat, scilicet, Enochum & Eliam An-
 „tichristi tempore ad prædicandum venturos. *Respondet,* nullo modo huic traditioni
 „fidem in hæc Explicatione derogari, quin potius congruentissimum esse illius traditio-
 „nis authoritati, ne in hoc Apocalypseos loco niti omninò existimetur, idque potissi-
 „mum quia certum minimè est, quicquid Apocalypseos Textus de duobus adfirmat
 „testibus, complendum esse, ut sonat, in Enochi & Eliâ personis, quod manifestò patet,
 „siquidem tot Interpretes aliter exponunt. *Et iterum post multa ad citata paulò ante
 „Hieronymi Verba hæc notat:* His in verbis Sanctus Doctor unâ ex parte adserit expres-
 „sè, in Apocalypsi Enochum & Eliam referri venturos & morituros, ex aliâ autem ad-
 „firmat, Apocalypsin accipi nequaquam debere, ut sonat. Utrumque autem cohæret
 „optimè, *scribit porò Alcasar,* si statuamus, in Apocalypsi ejusmodi Prophetiam refer-
 „ri, ad quam Liber ipse per adlusionem respicit, aliud tamen longè diversum reâple
 „significari. *Addit,* Fortè etiam nos admonere voluit Hieronymus, licet Apocalypsis
 „in hæc adlusione præstituat, Enochum & Eliam sub Antichristi tempus certò esse ven-
 „turos, & ab eodem Tyranno occidendos, non tamen esse certum, quicquid Apocaly-
 „psis de duobus adsererat testibus, in Enocho & Eliâ esse complendum, ita ut sonat; ta-
 „cilè enim potuit Apocalypsis ad certam de Enochi & Eliâ adventu veritatem respice-
 „re, & addere præterea, quicquid consentaneum erat ad propositi ænigmatis significa-
 „tionem, quantumvis non ea omnia in Enocho & Eliâ forent Antichristi tempore even-
 „tura. *Et ut suam Explicationem amplius defendat, ne recepta opinioni videatur contraria,
 „hoc amplius subjungit:* Nec verò quispiam existimet, me propterea aliquid derogare
 „ex iis, quæ Ecclesia communi consensu & antiqua traditione accepit. Quod enim à
 „doctissimis Viris pro traditione accipitur, illud est, Enochum scilicet & Eliam tempore
 „Antichristi ad prædicandum venturos, & in eâ persecutione morituros: At quicquid
 „Apocalypsis de duplici teste adfirmat, ad Enochum & Eliam fore adplicandum, & in
 „eis esse complendum, ut verba sonant, hæc verò peculiaris quorundam opinio est, ut
 „jam vidimus, non communis Ecclesiæ consensus, ut ex Interpretationum diversitate
 „constat, quas supra retulimus. *Quia verò nec dum satis iri factum credidit iis, quibus
 „opinio*

opinio communiter recepta prae aliis omnibus placet, idè in Notatione peculiari subjunctà ad Examen vocare consultum duxit cetera Scriptura loca, quibus hæc Traditio niti posse videtur, & ad quæ plerag, Bellarminus etiam audenter provocavit, inter quæ dum Malachia ex Veteri Fœdere eminet oraculum, de eo post Hieronymum & Iansenium Gandsavensem notat, certum esse, id de spirituali Eliæ adventu in personâ Johannis fuisse à Christo explicatum, & hæc explicationem non solum esse certam propter rei ipsius veritatem, sed etiam ad eò aptam & elegantem, ut sermonem abstrahendo ab ipsius adventu personali, illa per se sit Sacræ Scripturæ congruentissima. Vbi verò cetera etiam loca huc pertinentia ex utroque Testamento examinavit, ad explicatum Apocalypseos Iohannæ Oraculum deveniens, ita scripsit: Si Apocalypseos locum excipiamus, nullus est in totâ S. Paginâ locus præter eos, quos retulimus in quibus Ecclesiæ traditio de secundo Enochi & Eliæ adventu, deque eorum martyrio innitatur. Quod si hisce omnibus locis (NB.) diversus potest Sensus adhiberi idoneè, ut jam vidimus, ne traditio Ecclesiæ collabatur, necessariò fatendum videtur, germanum ac literalem Sensum loci hujus Apocalypseos de duobus Christi testibus non esse alium, nisi Enochi & Eliæ adventum, prædicationem, martyrium & gloriosam resurrectionem. Quod autem sit Ecclesiæ traditio, Enochum & Eliam adversus Antichristum esse prædicaturos & ab eodem occidendos, id à gravibus Theologis adseritur, & à nonnullis judicatur esse de Fide. Ad hæc autem adfero, primò, licet adfirmet aliqui, esse de Fide, aliis tamen non ita certum videri. Secundò, vel ibidem quinto, quanquam Doctores aliqui sunt opinati, locum Apocalypseos præcipuum esse fundamentum, ut Ecclesia pro certo habeat, Enochum & Eliam esse venturos ad prædicandum tempore Antichristi; mihi tamen certum est, decipi eos, qui hæc sibi mentem inducunt. Hæc cum aliquot rationibus muni visset, tandem concludit, Itaque tantum abest, ut caput undecimum Apocalypseos potissimum sit fundamentum ad Eliæ & ejus Socii sub Antichristo prædicationem & Martyrium adserenda, ut potius verum sit, opinionem illam, quæ putat, Apocalypsin agere de Enochi & Eliæ adventu, pugnare omninò cum vero adventu Eliæ & Socii ipsius. Hæc omnia ibidem & multò plura Alcasar contra communem sententiam & opinionem, quam Bellarminus Augustini etiam autoritate, tanquam infallibile signum tempus Antichristi denotans defendereategit, ubi non immeritò illud mirum videri potest, quod in prolixissimo hujus Authoris discursu, in quo per partes diversæ hujus oraculi Explicationes proponuntur, nulla planè Augustini mentio fuerit facta, nullam fortè aliam ob causam, quàm quod augusto huic Doctõri tam manifestè contrarius videri noluit, quem Bellarminus tanto cum adplausu suæ adscripserat Sententiæ.

Idem ex parte etiam observare licebit circa quartum Antichristi signum à Bellarmino propositum, persecutionem videlicet gravissimam, quam in eadem Apocalypsi per solutionem Sathanae præsignificatam fuisse, ex eodem Augustino demonstrare contendit, scribente, Diabolum Antichristi tempore solvendum, & proinde tanto graviores fore illam Persecutionem omnibus præcedentibus, quanto crudelius sævire potest solutus, quàm ligatus; Itaque Diabolum tunc Ecclesiam omnibus suis & suorum viribus vexaturum. Notanter enim Alcasar hujus Apocalypsi capitis, in quo de Diaboli solutione post annos mille agitur, explicationem adgressurus in antecessum observavit, ejus Expositionem Augustinianam tanti à cæteris Interpretibus esse habitam, ut eam omnes aut in cunctis, aut in plerisque saltem sequerentur, Riberà fatente ac simul concedente, se in iis, in quibus ab Augustini Sententiâ dissentit, ab omnium etiam Interpretum consensu recedere; de semetipso addens, se eum in plerisque rebus sequi quidem, in quarum plerisque ab Eo discedant alii, non tamen in omnibus ad Ejus expositionem in hujus capitis Commentario adherescere. Et hinc nuperus quoque in Apocalypsin Commentator Fromondus Augustini sententiam de annorum millenario Sathanae solutionem antecedente ibidem loci, ad quem Bellarminus digitum intendit, expressam, videri potius mysticam, quàm literalem ingenuè, ut par est, agnovit. Ut ad eò & hic Papæ Doctores non ægrius ferre debeant, si in Vaticinii hujus Apocalypsi intellectu Augustini autoritate nos quoque non teneri absq; augusti Doctõris contemptu, imò bonâ cum Ejus veniâ fateamur, id quod præprimis, sed modestissimè à nostro D. Cluvero, Historico simul & Theologo, & ob accuratorem Historicam Libri hujus Apocalypsi Expositionem enucleatissimo factum, post citata ex loco per Bellarminum citato Augustini verba hæc addente Epicrisin: Vides hic Augustinum mille annos ad ipsam Seculi consummationem extendere. Capite tamen sequente ambigit, utrum ante annos persecutionis Antichristianæ finiantur mille

NB.

lib. 20. de
C. D. c. 8.
& seqq.

cap. 13.

isti, atque iis exiguum illud temporis (ut putat) superaddendum sit, an verò includendum; ubi Ipse nihil solidum, quod reponat, invenit. Nam cur Sanctos in ipsâ etiam persecutione regnare sit dicendum, ac tamen Scriptura hæc eisdem mille Annis utrumque determinet, Diaboli scilicet alligationem, regnumque Sanctorum, ac post mille annos Sathanam adferat solvendum, aqua hæret Sancto Doctore, nec habet, qui se expediat. Tandem eò decurrit, ut alterutrum putet eligendum, nimirum, aut annos Regni Sanctorum prolixiores esse, quàm captivitatis Diaboli, aut quoniam trium annorum & sex Mensium spatium est brevissimum, (tam diu scilicet regnaturum credit Antichristum) computare noluisse Spiritum S. tantillum temporis, sicut alibi quoque factum existimat. Verùm hæc ipsa difficultas, quâ cum adeò luctatur Augustinus, ostendit falsam esse, quam Sanctus ille Pater adfert, mille annorum ad commodationem. Prior enim responsio Ipsius non subsistit, quia (ut Ipse agnoscit) Scriptura hæc eisdem mille Annis utrumque determinat, tam regnum Sanctorum, quam diaboli captivitatem, adeòque alterum altero brevius vel prolixius esse nequit. Sicut ergò alligationem hanc diaboli singulare aliquid præter communem istam, quâ aliâs semper detinetur, captivitatem significare certum est: sic quoque regnum hoc Sanctorum singulare aliquid supra communem & perpetuam eorum in & cum Christo vitam continere, non erit dubitandum. Sed & altera quoque responsio manifestè repugnat Textui. Nam post finitos mille Annos Sathanam esse solvendum, & iterum gentes seducturum, clarè dicit Apostolus; ac nimis dilutum est, quod de exiguo Tyrannidis Antichristianæ spatium Augustinus hic refert. Nam quia Bestiam, aut Pseudopphetam saltem, concedit esse Antichristum, imò Bestiam ipsam Antichristum esse alibi contendit, quam currente hoc Millenario jam esse & adorari à quamplurimis hoc eodem capite indicatur, quomodo post solutionem Sathanæ demum venturus Antichristus, & quomodo tempore tantillo regnaturus est? Hæc ille, ut dixi, modestissimè contra Augustinum, ad exemplum *Ribera & Alcasaris*, aliorumque Interpretum Papistarum ab Eius Sententiâ liberè, non absq; rationibus tamen discedens, de cætero, ubi fieri potuit, & Augustinus ad mentem Johannis Prophetæ scripsit, non semel testimoniis Eius cum debitâ laude utens, ac ad Eius provocans consensum. Et certum est, id quod supra etiam monui, si hodie post Vaticinij hujus Apocalyptici complementum viveret Augustinus, Eum, quâ fuit ingenuitate, Experientiæ rerum magistræ manus daturum, & ultro agniturum, quod ante Eum Irenæus optimè scripsit: *Omnis Prophetia, priusquam habeat effectum, enigmata & ambiguitates sunt hominibus; cum autem venerit tempus & evenierit, quod prophetatum est, tunc Prophetia habent liquidam & certam Expositionem.* Quod Sancti Martyris monitum si observetur, mirum videri non debet, Augustinum & cæteros ante & post se Patres in Oraculis de Antichristi tempore & loco intelligendis non semper acu rem tetigisse, utpote magis à Mysterio Iniquitatis revelato remotos, & hinc de Vaticiniorum eventu non planè indubios. Nunc circa quartum hoc Antichristiani temporis Signum à Bellarmino propositum, persecutionem videlicet gravissimam ab eo excitandam, id insuper adhuc & quasi ex abundantia notandum est, quod, dum Bellarminus eam ita gravem fore scribit, *ut omnes cessent publicæ religionis Cereemoniæ & Sacrificia*, sibi met ipsi iterum contraria scripserit, alibi de Ecclesiæ indeficibilitate ad locum Pauli classicum, quo Christus post Ascensionem ad Cælos Ecclesiæ Apostolos,

verl. 4.

lib. IV. adv. Hæres. c. 43.

lib. III. de Eccles. milit. cap. 13.

lib. I. de Sacram. in gen. cap. 9.

Ad quintum nunc deveniamus Antichristiani temporis Signum, ipsam scilicet durationem, ad tres solùm annos cum dimidio redactam, quam Bellarminus iterum & parallelis utriusque Testamenti, ex Daniele nimirum & Apocalypsi Johanniæ Oraculis, & communi Sententiâ veterum, nominatim Augustini iterum probare conatur. Atqui ut etiam *Acosta* in descriptione durationis Antichristi ad utrumque provocet Fundamentum, adducens & oracula Danielis & Johannis, & Augustini quoque auctoritatem, hoc tamen non obstante peculiarem suam de hujus termini sensu Sententiam his exposuit verbis: *Verum id temporis, ex quo primum regnare cæpit, computandum sit,*

lib. II. de Temp. novill. c. 8.

an potius, ex quo Terrarum orbe devicto & sibi subjugato in Ecclesia Fidem totâ atrocitate converteret arma, non satis constat. Et post aliqua: Certum propemodum mihi est, Annos tres & dimidium non ab initio Regni Antichristiani numerandos, sed ab obtento jam supremo orbis terrarum dominio, quemadmodum Rupertus etiam Tuitiensis censet. Et hinc Alcasar iterum liberrimè suum hæc in re dissentium à Bellarmini Sententiâ testatur, de Mensibus quadraginta duobus, quorum in eodem Apocalypicos Johannæ loco, quo de duobus agitur testibus, exstat mentio, ita scribens: *Hi duo & quadraginta Menses à multis creduntur esse illi tres Anni & dimidiatus, quibus ferè dicitur Antichristi persecutio duratura; atq; adeo non dubitant, proprium ac literarium hujus undecimi capitis esse Sensem de tempore persecutionis Antichristianæ. Hoc amplius confirmatur ex eo, quod communi omnium consensu receptum est, duos scilicet Testes, qui dicuntur predicaturi & pro Veritate vitam profuturi, & post tres dies atque dimidium ad vitam revocandi, esse Enochum & Eliam. Hanc ergo declarationem minimè aut impugnare aut elevare contendo; eam sanè habeat Veritatis firmitatem, quam volunt illi, qui illam sequuntur. Mihi tamen adhuc licet dicere, si hæc de Antichristi persecutione explicationem ut præcipuam in hoc Capite adsumam, me omninò nescire Apocalypicos silum ducere & consequentem texere seriem.* Et post aliqua: *Quem ad modum dimidia hora capitis octavi & quinque Menses capitis noni non in sensu proprio sunt desumpta, sed mysticè; ita etiam convenienter ad Apocalypicos contextum accipiendi sunt hi quadraginta duo Menses in sensu mystico, non proprio. Etenim accipere hos numeros dierum, Mensium aut Annorum, ut sonant, id quidem Stylo anigmatico nequam quadrat. In peculiari Notatione, ubi Bellarmini ex Augustino & cæteris Scriptoribus Ecclesiasticis super parallelismo Danielis & Johannis Sententiam additis etiam rationibus adduxit, aliam tamen elegit opinionem, quæ etsi fortasè alicui videatur nova & Antiquitati contraria, contextum tamen adeo eidem favere, ut vix dubitationi relinquatur locus.* Addit, quamvis non ignoret, quid præter alios Patres Augustinus etiam super hoc dixerit oraculo vel scripserit, *nihilò tamen minus salvâ rationum Patrum autoritate censere, alteram opinionem non solum esse probabilem, sed etiam multò probabiliorem.*

Supereft sextum & ultimum temporis Antichristiani Signum, idque consequens, videlicet Mundi Consummatio, ad cujus demonstrationem Bellarminus iterum Augustini utitur vel potius abutitur autoritate; & ex eo quidem loco, undè hætenus ut plurimum in hoc argumento testimonia desumit, inter cætera S. Scripturæ oracula ad locum quoque Johannis provocans, in quo novissimæ horæ & temporis Antichristiani simul meminit, de illâ Explicationis & contra semetipsum responsionis loco addens, *juxta Iohannem hoc tempus à Christo usque ad finem Mundi novissimam esse horam*, id est, *novissimum tempus sive ultimam ætatem*, Augustino exponente. Id si sit, quod nos Evangelici non inviti concedimus, sed utraque adprehendimus manu, nemo non videt, horam in hæc latitudine novissimam esse non posse signum temporis Antichristi, cum ea necdum ad finem pervenerit, ac juxta Johannem durante hujus horæ spatio, non demum circa ejus finem, venisse Antichristum & venire debuisse. Et huc referri debent, quod ipsam attinet Mundi consummationem, tanquam consequens temporis Antichristiani signum, omnia Augustini testimonia, quæ laudatus sub initium hujus capitis Pandulphus in de Mundi Fine Disputationibus prolixo collegit numero, incertitudinem novissimæ diei Scripturâ duce confirmantia, quæ tamen non incerta esset, si tempus Persecutionis Antichristianæ, non particulis, sed universalis, & hinc non occultæ, sed juxta Bellarminum notissimæ præcederet. Quem enim ad modum Mundi consummationem Bellarminus dicit Signum temporis Antichristiani consequens, undè concludere liceat, Mundum jam dudum debuisse finiri, si Antichristus ante tot Secula venisset & revelatus fuisset; ita ex eo sequitur, Persecutionem antichristianam esse debere & posse Signum diei novissimæ antecedens, ex cujus observatione nemo non certus & planè indubius esse possit, proximè eam instare & imminere. Ubi verò sicut prior consequentia falsis nititur hypothesebus & signis minimè infallibilibus, ut hætenus per partes ex ipsis adversariorum testimoniis amplissimè est ostensum; Ita posteriorem exinde deductam Augustini doctrinæ Sacram Scripturam pro fundamento habenti esse contrariam, citatus Scriptor ex pluribus locis deduxit, Ejus quoque Sententiam declarans in sequentibus super Pauli & Johannis de propinquitate diei novissimæ testimoniis, & tandem addens

Ibid. pag.
337.

Explicationem Verborum Pauli de Mysterio Iniquitatis revelando, ubi Sanctus Pater rem paucis comprehensus ita scripsit: *Hæc Verba sanè ita sunt obscura & mysticè dicta, ut tamen adpareat, Apostolum nihil de statutis dixisse temporibus, nullumq; eorum inter vallam spatium, aperuisse. At enim, ut reveletur in suo tempore; nec dixit, post quantum temporis hoc futurum sit. Nihilominus observo verba illa, Mysterium jam operatur Iniquitatis, ut qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat; quæ indicare videntur, eo tempore cœpisse Antichristum sua perpetrare flagitia, sed nondum fuisse revelatum.* Quibus Augustini verbis hæc de Signis minimè signantibus materiam finio, ad alia bono cum Deo & plus jam ultra iturus.

CAPVT UNDECIMVM,

DE

Characteribus Antichristi.

Hactenus ea tuère Signa, quibus Antichristum hæctenus nondum venisse & revelatum esse ostendere laboravit Bellarminus. Nunc ad ea devenit, quibus hæreticos dicit probare, hoc Elogium Romano Pontifici esse adscribendum, quæ tamen, ut numero Signorum excludat, talia esse dicit, *quæ in Ecclesiâ fuerint Catholica ante, quam Antichristus eorum opinione adparuerit*, id quod per partes deducit. Quamvis autem non defllet, quod ad hoc argumentandi genus in genere responderi posset & fortè deberet, ratione tamen Instituti id nunc solum attendimus, quod ex Augustino ad suas traxit partes Bellarminus, quamvis hic non nisi remissivè acturi, cum ea, quæ hoc capite citantur Augustini testimonia, vel infra uberiùs suis tractanda locis occurrant, vel in superioribus jam per occasionem fuerint excussa. Ita de signo Crucis, ad quod commendandum Augustinus etiam testis adducitur, in *Questione de reliquiis & Imaginibus Sanctorum & sanctorum rerum* agitur. *De unione cum Ecclesiâ Romanensi*, quam Bellarminus adeò haberi non vult pro signo Antichristianismi, ut potius Signum haberi debeat & character hominis verè Catholici, Augustino jam suo tempore id agnoscente, de Cœciliano, Episcopo Carthaginensium scribente, quod Romanæ Ecclesiæ fuerit conjunctus; jam supra est dictum, ubi Controversia de Regimine Ecclesiastico fuit ventilata, Cœlestinum fuisse quidem cum Ecclesiâ Romanensi conjunctum, sed non cum eâ solum, verùm Augustino ibidem id agnoscente, *cum cæteris etiam terris, unde* (non tantum Româ) *Evangelium ad ipsam venerit Africam; factamque hanc conjunctionem per literas communicatorias fuisse mutuam & reciprocam, nullamque ex eâ argumentum pro Primatu Ecclesiæ Romanensis Monarchico duci posse.* *Sacrificia pro defunctis*, quorum damnationem Bellarminus ex Augustino adscribit Hæresiarchæ Aërio, infra quoque suo ponderabimus loco, ubi Ignis purgatorius vel illustrabitur vel obscurabitur. Similiter etiam debito excipietur responso, quod pro *adoratione in Eucharistiâ corporis Christi* ex Augustino citat, ut in antecessum hic nullâ planè opus sit prolixitate aut tædiolâ repetitione.

CAPVT DVODECIMVM,

DE

Generatione Antichristi,

In cujus descriptione Bellarminus profert opiniones planè erroneas, quasdam probabiles, aliquas omninò certas ac exploratas. Inter erroneas refert Sententiam eorum, qui *Neronem resurrecturum & ipsum futurum Antichristum* tempore Augustini jam statuerunt, quam licet Augustinus rectè & juxta Bellarminum meritò ut *presumptionem miram* damnavit, ita fortè facilius posset defendi, quàm mustea *Grotii* papizantis. Cajum Caligulam loco Neronis ausu antehac inaudito substituentis, ob novum hoc inventum à non uno severissimè castigavi. E numero *opinionum probabilium* à Bellarmino esse dicitur, quæ *Antichristum è tribu Dan nasciturum* dicit, ob oraculum Jacobi morientis, quo huic etiam tribui Fata post-ventura præsignificavit, cui aliud accedit ex Jeremiâ, & locus denique Apocalypiticus, ubi dum in Recensione duodecim tribuum hæc solum tribus omittitur, *factum id esse videtur in Antichristi odium ex eâ nascituri*, cui Sententiæ Bellarminus præter alios

vid. D.
Dannh.
Christ.
Act. 1.
pag. 1027.

alios Patres accedere scribit Augustinum quoque, hanc additâ tamen censurâ, *Est valde sit probabilis hæc opinio propter tantorum Patrum autoritatem, non tamen esse eam omnino certam, tum quia pleriq. Patrum non dicant, hoc se scire, sed probabile tantum esse insinuant, tum quia nulla Scripturarum, que citantur, conveniat. Nam in oraculo Jacobi ad literam vi-* cap. 49.
deri de Samfone agi, & ita exponere Hieronymum; & si allegoricè ad Antichristum accommo-
detur, non posse nisi probabile argumentum ex eo deduci, quale ex Mysticis sensibus deduci so-
leat. Jeremiam quoq. sine dubio non loqui de Antichristo, neq. de Tribu Dan, sed de Nabucho- cap. 8.
donosore, qui venturus erat ad evertendum Hierosolymam per eam regionem, qua Dan dice-
batur, Hieronymo id rectè ita exponente. Cur autem in Apocalypsicâ tribuum Israelitica- cap. 7.
rum recensione tribus Dan omittatur, non satis constare, scribit Bellarminus, præsertim cum
& Ephraim omittatur, cujus tamen tribus una fuerit ex maximis. Possint hæc certâ rati-
one satis Lectori facere, ne Augustini autoritate ita rigorosè teneri se existimet.
 Verùm quia alii Scriptores & Interpretes Papæi fixius huic Sententiæ censent inhæren-
 dum, idque ob citatam Augustini & aliorum Patrum autoritatem, ided alii etiam tes-
 tes adducendi sunt, qui contra eam excipere non dubitarunt. *Bonfrerius* certè ad lau-
 datum Jacobi Oraculum potius Patrum & Augustini inter eos de Antichristo ex tribu
 Dan nascituro, quam aliorum de Samfone Explicationem sequendam judicat, *tum quod*
fit graviorum & plurium Autorum, tum quod ipsi non tantum de Antichristo interpretentur,
sed etiam aliqui eorum, cum illam de Samfone explicationem retulissent, disertè negent ita posse
aut debere intelligi, tum quod ii, qui de Samfone interpretantur, valde laborent, ut postero-
rem Sententiam, Salutare tuum expecto Domine, explicent & ostendant, quâ occasione
illud à Jacobo sit dictum, & pauci sint, qui illam, nisi contortè explicent, aut coherere faciant
cum precedentibus, quod in Sententiâ Patrum interpretari, & cum precedentibus nequere sit
facile. Sed ut omittam prolixius Augustino & cæteris Patribus opponere alios Patres
 & Scriptores Ecclesiasticos, ex recentioribus etiam Papæis, quos idem *Bonfrerius* nomi-
 natim exhibet, nimirum post Interpretem Chaldæum & Rabbinos plerosque, *Hieronymum,*
Eusebium Emisenum, Ruperium Tuitiensem, Procopium, Lyranum, Tostatium, Pere-
rium, Delrionem, alios; Hieronymus ab Oleastro contra hanc Augustini & aliorum sen-
tentiam expressè: Qui Antichristum dicunt de tribu Dan futurum, nihil dignum auto-
ritate aut fide adserunt. Placet hinc Marianæ Scholion: Hoc Vaticinium in Samfone
impletum est, quem colabrum & cerassem vocat, ob astum bellicum & virtutem pugnandi,
easq. victorias, ob quas credi potuit esse Christus. Verùm cum eo mortuo videret populi mala,
prorupit in illas voces, Salutare tuum expectabo Domine. Hæc explicatio an contorta sit
 adeò & difficilis, videant, quibus de talibus judicandi data est facultas. Et quia *Alcasa-*
ris Commentarius in paucorum versatur manibus, placet iterum ex eo audire, quid hæc
 de re consideratis omnibus circumstantiis ob Augustini & cæterorum Patrum senten-
 tiam sit statuendum. Ita autem is in peculiari ad initium capituli septimi Notatione scri-
 bit: *Antichristum* ex tribu Dan futurum, ajunt, Ecclesiæ traditionem videri, quia
 „multi Patres in eâ sunt Sententiâ, ut *Irenæus, Hippolytus, Cyrillus, Hieronymus, Au-*
 „*gustinus, Ambrosius, Prosper, Gregorius, Ruffinus, Theodoretus. Accedit, quod*
 „*ex Apocalypseos Interpretibus, Andreas, Haymo, Beda, Richardus, Anshelmus, Ru-*
 „*pertus, & plures alii dicunt, prætermittam hic esse tribum Dan in odium Antichristi.*
 „*Atque hunc esse Spiritus Sancti mentem in Apocalypsi, dum inter tribus non enume-*
 „*rat tribum Dan, indè probat Pererius, quia alioquin traditio illa Patrum de Antichri-*
 „*sto ex tribu Dan futuro nullum haberet in sacris Literis fundamentum. Constat enim,*
 „*duos alios locos, qui ad traditionem eandem confirmandam à nonnullis adducun-*
 „*tur, nihil ad rem facere, quia primus ex Genesi locus omnino ad Samsonem docen-*
 „*te Hieronymo referendus est, alter verò ex Jeremiâ manifestè agit de Nabuchodono-*
 „*sore per Aquilonem invadente Judæam. Addit de suo: In hæc Quæstione noto, pri-*
 „*mum, quam aliqui Ecclesiæ traditionem esse putant, videl. Antichristum ex tribu*
 „*Dan futurum, eam mihi nullo modo Ecclesiæ traditionem videri, sed solùm aliquo-*
 „*rum Doctorum opinionem. Secundo, præter Oleastrum etiam Abulensem dubita-*
 „*te, an Antichristus sit ex tribu Dan futurus; quin imò Oleastrum apertè adfere-*
 „*te, hoc esse fabulosum. Et quamvis existimat, longius quam par erat Olea-*
 „*strum in hæc progressum fuisse censurâ, cum ut opinio aliqua reputetur proba-*
 „*bilis, satis sit, multos Sapientes Viros probabiliter existimasse illam in aliquâ*
 „*parte Scripturæ fundari; notat tamen Tertio, quem ad modum Riberæ*
 „*& Pe-*

„ & Pererio licuit adfirmare, neutrum ex prædictis Geneleos & Jeremiæ locis esse ad
 „ rem, ut probetur, Antichristum ex tribu Dan nasciturum, sicut etiam sibi dicere fas esse
 „ quod certum existimat, in hoc Apocalypseo loco opinionem illam non posse stabiliri
 „ solidè. Nam si agenda res sit antiquorum Patrum autoritate, Antichristum de tribu
 „ Dan fore adseverantium, nullum termè eorum hanc opinionem in Apocalypsi fulcire,
 „ sed alios in Geneleos, alios in Jeremiæ locis; ex Interpretibus verò Apocalypseo esse
 „ perpaucos, qui hujus septimi capituli Visionem ad Antichristi tempora centent refe-
 „ rendam. Si autem ipsius Contextus ratio ac vis attendatur, sibi pro comperto esse,
 „ Riberæ & Pererii Expositionem minimè hujus capituli contextui quadrare. *Alia, quæ*
 „ *ibi notat, plurà lubens prætereo;* ex his enim satis constat, *Alcasarem* in hac Quæstione
 „ Augustini autoritatem non esse secutum, & hinc quemvis alium Veritatis Divinæ
 „ magis, quàm humanæ autoritatis cultorem ab obligatione hæc liberum fecisse.

CAPVT DECIMVM TERTIVM,

DE

Sede Antichristi.

Hanc Evangelici oraculo iterum Apostolico docti dicunt Ecclesiam, quam phrasi
 ex Veteris Testamenti Scriptis desumpta Paulus dicit *Templum Dei*, per quod dum
 Bellarminus cum pluribus aliis Interpretibus intelligit *Templum Salomonis Hierosolymita-*
num, ut omnes cæteras absurditates præteream, Augustino contrarius est, id quod Ipse
 lib. 20. de debuit agnoscere, notans, *Augustinum exponere de ipso Antichristo cum toto populo suo, ut*
 C. D. c. 19 *pote qui se & suos videri velit verum DEI Templum spirituale, quasi ipse cum suis esset Tem-*
plum Dei, addens, *Chrysostomum intelligere Ecclesias Christianorum, quas sibi servare iussu-*
 „ *rus sit Antichristus*, quam sibi placere sententiam *Ethius* prolixè indicavit, hic omninò
 „ audiemus: *Quidam* Templum intelligunt Hierosolymitanum; quamvis enim destru-
 „ ctum sit illud, quod erat Pauli tempore, aliud tamen loco ejus aliquando reædifican-
 „ dum dicunt, sive à Judæis, sive ab ipso Antichristo, ut ipse in eo colatur. Verum si
 „ Antichristus sibi tanquam Deo construet Templum, non illud Apostolus DEI Tem-
 „ plum vocaret, nihilo magis, quam Templum Jovis aut Dianæ eo nomine dignaretur.
 „ Cajetanus putat, non aliquod determinatum significari Templum, sed sensum esse,
 „ quod in quocunque Templo Deo dedicato sessurus sit Antichristus, tanquam illud
 „ sibi dicatum esset. At verò Hieronymus arbitratur verius, apostolum per Templum
 „ DEI significasse Ecclesiam, quam interpretationem post glossam interlinearem Tho-
 „ masenam recipit, *nec Augustinus rejicit*, Chrysostomus quoque ac Theodoretus, &
 „ ceteri Interpretes Græci de Ecclesiis Dei (pluraliter enim loquuntur) Apostolum ex-
 „ pōnunt, quod in idem recidit, nam Ecclesia Dei ex multis particularibus constat Eccle-
 „ siis. Hic sensus probabilitatem accipit ex eo, quod sicut tempore Maccabæorum in
 „ Templo Dei, quod erat Hierosolymis, stetit Idololum desolationis abominandum, de
 „ quo Daniel prophetaverat; & sicut posteriori tempore statua Cæsaris, teste Hierony-
 „ mo, in eodem Templo, quod erat Hierosolymis, velut secunda abominatio collocata
 „ fuit; ita & in Ecclesia Dei, (cujus insignem typum prætulit Templum illud Hierosoly-
 „ mitanum) videatur sessurus homo peccati, quem abominaciones illæ priores præfigu-
 „ raverant. Ego hic nihil iterum addo, quam ut ostendam illationis absurditatem, qua
 „ nuper *Volusius Maresium* ad absurdum adigere est conatus, ita contra Eum scribens:
 „ *Quod addit, Pontificem verè in Templo DEI sedere, id est, in Illius Ecclesiâ, si inde probat, Pa-*
 „ *pam esse Antichristum, hoc ipso ipsum Benedictum Dei Filium in hanc transformabit Belluam,*
 „ *quem in Templo seu Ecclesiâ sedere, & ipsum Deitatis Templum esse, nemo Christianus nega-*
 „ *verit.* Absurdissimè! Quod autem ad sententiam Interpretum, qui per Babel vel
 „ Babylon in Apocalypsi Johannæ Urbem Romam tanquam sedem Antichristi regi-
 „ am intelligunt, Bellarminus respondet, *dici posse cum Augustino & aliis quibusdam*
 „ *Scriptoribus Ecclesiasticis, intelligi universam Diaboli civitatem, quæ in Scripturâ*
 „ *sepe vocetur Babylon, & opponatur Civitati DEI, id est, Ecclesiæ, quæ Hierusa-*
 „ *lem dicitur;* frustra iterum laborat. Non enim quæritur, quid dici possit, sed quid
 „ dici debeat; neque quid ante tot Secula, adeoque ante Vaticanorum Apocaly-
 „ pticorum complementum, Augustino & aliis Ecclesiæ Doctoribus non impro-
 „ babile visum fuerit, sed quid hodie post eventum eorum, quæ tum futura adhuc non
 „ ira

in Aurora
 Pacis,
 P. 31.

ita clarè prævideri poterant, omnibus circumstantiis quasi in Centro concurrentibus, Lux Experimentiæ tanquam omnium rerum magistræ, quasi in Mentâ Solis ob oculos ponat, modo ne iis datâ quasi operâ clausis in mero meridie velimus cæcutire, præprimis cum Bellarminus vi Veritatis ductus agnoverit, *dici & suo quidem iudicio melius posse, per Meretricem in Apocalypsi Iohannæ à descriptam intelligi Romam*, ita exponente Tertuliano & Hieronymo, *neque solum Ethnicam, sed & Christianam*, quod ulimum tamen ex superabundanti tantum & ex insolitâ liberalitate largitur.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM,

DE

Gog & Magog,

Inter decem diversas de Gog & Magog opiniones penultimam Bellarminus recenset Augustini, qui per Gog intelligit Diabolum, per Magog autem Antichristi exercitum ex totius orbis nationibus collectum. Hanc Sententiam et si Bellarminus censet esse sine dubio verissimam & ideo amplectendam, tum quatenus refert Gogum & Magogum ad Antichristi tempora, tum quia eum sequuntur omnes Catholici Authores in Apocalypsin scribentes, ut Arethas, Primasius, Beda, Haymo, Rupertus Tuitiensis, Richardus, Anshelmus, & alii; tum etiam, quod omnia, quæ ab Ezechiele de Gogo & Magogo dicuntur, Antichristo rectissime conveniant; atamen quatenus per Gogum intelligit diabolum, eam non dicit veram, adeoque decimam in super adjicit Sententiam, hæc tria exponentem, primum Prælium Gog & Magog esse prælium Antichristi contra Ecclesiam; secundum, quod admodum probabile esse putat, per Gog ipsum significari Antichristum, per Magog verò Exercitum ejus, cum Ezechiel perpetuò Gog vocet principem & Magog terram sive Nationem; Tertium, quod itidem statuit probabile, Gog dici à Magog, non è converso, ita ut Antichristus dicatur Gog, quia est princeps gentis, quæ dicitur Magog, ipsum verò Antichristi exercitum dici Magog à gente Scythicâ, non quod constet ex Scythiis, quos Judæi esse fingunt ultra Caucasum & mare Caspium, sed quod magna pars illius constet ex barbaris è Scythiâ oriundis, ut Turcis, Tartaris & cæteris, vel, quod adhuc probabilius existimat, quia Exercitus sit immanis valdè & crudelis, cum quos dicere velimus sævos, vocemus Scythas. Quidquid sit de Augustini sententia, à Bellarmino partim adprobata, partim reprobata, utpote in quâ vel defendendâ vel refutandâ omnis orthodoxiæ Salus vel doctrinæ de Antichristo aliud è satis manifesta Veritas sita non est, in primis, quia tot aliæ & multum inter se distantes Interpretum & Ecclesiæ Doctorum Sententiæ de Gogo & Magogo reperiuntur, nec dum hodie res sit in liquido; nihilo tamen minus non Bellarminus solum, sed & alii ex numero Interpretum Papæorum ante & post Bellarminum eadem usi libertate, quid in hæc Augustini Sententiâ videatur posse desiderari, sine omni lætæ authoritatis suspitione aut metu, apertissime indicarunt. Ante Bellarminum Serranus, Doctor Complutensis, *Aria Montani* Præceptor, ad Ezechielis de Gog & Magog Oraculum, contra hanc Augustini opinionem sequentia notavit: *Cum in Sacris Literis nomen Gog viri esse legatur, cur gentem ab hoc descendentem sui capitis nomen retinere non dicemus? Igitur etsi verum sit, quod Augustinus adserit, nomen esse impositum Sathanae, non tamen obstat, quin nomen sit alicujus Regis, alicui genti Aquilonari præfecti, præcipue cum dicat Scriptura, ab Aquilone pandetur omne malum;* 1. Chron. 6. v. 4. Hierem. 7. quandoquidem non solum de Exercitu Babylonico, sed de omni alio, qui Ecclesiam Dei insectabitur, & quem ille Chaldeus significavit, intelligendum sit. Post Bellarminum Sanctius, itidem Complutensis Doctor, de eadem Augustini opinione, quam ex parte etiam Hieronymi, & post Tyconii, Ansberti, Prosperi Aquitanici, & novissime Galatini, præter supra citatos esse dicit, hoc observavit: *Hæc sententia non valdè congruit cum verbis Prophetæ Ezechielis, totoque capite, in quo multa occurrunt, quæ historicum aliquid & singulare sonant, ut promittunt legenti. Neg. enim, si de omnibus universè, qui Ecclesiam aut Prælatem oppugnant, esset hoc Vaticinium, certus designaretur locus, ubi Gog regnaret, & unde armatas in Ecclesiam acies inveheret; neg. tam disertis gentes notarentur nominibus, ex quibus inimicus ille Exercitus est constatus.* Aliorum ab hoc Sancto Doctore in hujus Oraculi sensu dissentientium verba adducere super sedeo, ne contra augustissimum hunc Patrem optime meritum de Ecclesiâ verè Catholica & orthodoxa Veritate hostilem Exercitum videar constare, cum ex Instituti ratione potius contra minus sinceræ & ut plurimum contortas à Bellarmino adlegationes Testimoniorum ex Eius Scriptis desumptorum vindicandus veniat.

Satis

vid. D. Dannh. Antichr. p. 227.

Satis autem hoc esse potest ad id demonstrandum, quod sub initium hujus de Antichristo Tractationis in antecessum moneri debuit, Augustinum & cæteros antiquiores Ecclesiæ Doctores in explicandis obscurioribus Vaticiniis, quæ communiter ad Antichristum hodie referuntur, ipsis Scriptoribus Papæis testibus, rem non ita semper acuti- gisse, ut non posterioribus Seculis aliquid fecerint reliqui, nimirum ex ipsâ Vaticinio- rum impletione oculatioribus, quod ipsi sine dubio candidè agnoscerent, si ad mortales reditus ipsis pateret, diemque à die, priorem à posteriori, Seculum à Seculo, præteri- tum à præsentis posse uberius informari in semetipsis experirentur, nunc quam antehac doctiores. Nunc ut ex superabundanti adhuc aliquid addam, quod ad hoc Ezechielis de Gog & Magog Oraculum pertinere videtur, cum id ob gestum ante aliquot Annos Bellum Hungarico-Muhamèdicum multis in ore & pennâ fuerit, sed plerisque sine sen- su & intellectu ejus legitimo; ante omnia notari meretur *Theodoretî* observatio, ad eò faciliorem hujus oraculi Explicationem percipiendam præmonentis, eos, qui pro tempore fuerunt Ecclesiæ Doctores, post reditum populi Judaici à Babylone has gentes, quarum in descriptione Gogi & Magogi Propbeta nominatim & in specie meminit, cum Exercitu in Iudæam profectas esse, dicere, & cum Propbetiâ consentire Interpretationem. Hanc ubi per partes deduxit, pro confirmatione addidit: Ego non solum Iudeorum, sed etiam aliquorum, qui Christianum obtinent nomen, sed Judaicas attendunt fabulas, inscitiam miror, qui Gogi & Magogi invasionem non factam adserunt, sed futuram expectant; quos intellexisse oportuit, primò, hanc Propbetiam cum revocatione populi Judaici à Babylone conjunctam fuisse, deinde, per hæc dixisse gentes DEI potentiam cognituras. Bochartus quidem, postquam multa ad hujus Vaticinii illustrationem rara & egregia ex variis collegit Authoribus, apertè & ingenuè fatetur, ex Historiis vix posse colligi, quando hæc impleta fuerint, qua de Excidio gentium Gog & Magog hic habentur. Sed aliis res hæc non adeò difficilis est visa, ut non potuerit extricari. Inde ex Evangelicis Doctoribus inprimis *David Chytræus*, non sine Elogio ob meritam rem Ecclesiæ publicam nominandus, cum aliis quibusdam per Gogum & Magogum intelligit Seleucidam, impletamque vult hanc Ezechielis Propbetiam sub Veteri adhuc Testamento, & quidem tempore Maccabæorum; neque unam esse credit Ezechielis & Apocalypseo Johannaæ de Gog & Magog prædictionem, sed adludi tantum putat in posteriori ad priorem ante Adventum Christi adhuc impletam, his rationibus hanc confirmans Sententiam, primò, quia Ezechiel Propbeta Judæos in Babylone captivos adloquitur, eisque restitutionem promittit, & hæc occasione novas pariter prænuntiat calamitates, Judæis reducibus expectandas, cum hostium internecone. Deinde, quia pollicetur spiritualement quoque populi instaurati- onem per adventum & Beneficia Messia brevi in Carne exhibendi; ubi, quia de impleti- one primi & tertii constat, de impletione etiam medii dubitare nefas esse. An hæc ratio- nes id evincant, quod evincere debent, hic non disputo; illud, saltem salvè aliter sententium autoritate & bonâ eorum cum veniâ, sine cujusquam præjudicio dicere liceat, hanc *Chytræi*, *Quistorpii*, & quem primo sistere debebam loco, *Theodoretî* Sententiam non adeò improbabilem videri, si omnia ritè expendantur, quæ hic quam-maximè sunt necessaria; quod si in aliis etiam ex Veteri Testamento oraculis ad sensum & mentem Ejus, qui per Prophetas est locutus, absq; Autoritatis humanæ respectu, quamvis & sine novitatis suspectæ pruritu, intelligendis & explicandis ex debito observaretur, neque Spiritus prophetici jugo in Ecclesiâ, non Libertinismi phantastici, sed libertatis Evange- licæ privilegio per Christum ornatâ quam-maximè intolerabili per vim subderentur & subjicerentur, nullum planè est dubium, quin majori luce in non paucis adhuc valde ob- scuris DEI suam de hominibus voluntatem non sub modio occultantis gratiâ gaudere- mus, omnibus Adversariorum de S. Literarum inprimis Prophetarum obscuritate gravaminibus satis facili operâ facturi, id quod hæc occasione non præter rem fortè mo- neri potuit & debuit. Illud tandem subjicio, esse etiam ex Evangelicis Doctoribus, qui hujus Oraculi Ezechielis eventum non expectari quidem amplius debere existimant, statuantes illud jam impletum, sed non ante, verum post Christi adventum, & quidem ante sex hæc secula, ubi Duce *Gottfrido Lotharingo* Urbis Hierosolymorum occupata & per integrum ferè Seculum à Christianis possessa fuit, innumeris Turcarum & Saracenorum castris, & reliquiis eorum in Ægyptum profugis; de quâ tamen Sententiâ aliorum judicium audire, quam meum interponere malo, à Vaticiniorum obscuritatibus, quæ plerisque vi- dentur vel potius non videntur, ad aliorum S. Scripturæ Oraculorum claritatem bono cum DEO & Augustino duce me convertens. Quæ enim Bellarminus in sequentibus libri

hujus

Geogr. S.
lib. III.
Pag. 218.
vid. D.
Cluver.
ad Apoc.
c. 20. conf.
D. Quist.
ad Ezech.
c. 38. adde
Hülsem.
Theol.
Jud. p. 512
& Alcasar.
Tom II.
pag. 272.

vid. D.
Müller.
Rabbin.
p. 928.

hujus tertii capitibus hinc inde ex Augustino adduxit, quia in sedibus propriis infra recurunt, hic intacta manent & reservata ad suum quodque locum, ne fastidiosâ repetitione præscripta brevitatis transfiliatur, Lectorisque animus justo amplius gravetur.

LIBRI QVARTI,
DE
POTESTATE ROMANI PONTIFICIS SPIRITUALI,
CAPUT TERTIUM ET SEPTIMUM,

De
Judicio Ejus Infallibili.

PRætermisso enim Capite primo tanquam proœmiali ad secuturam Tractationem, secundo etiam, utpote diversas quatuor de hâc Quæstione Sententias Authorum non unius generis recentente, sine tamen Augustini & aliorum in antiquitate Ecclesiasticâ Doctorem mentione, quod prolixè & singulari ad *Christophorum Favvæum*, Parisiensem Theologum Epistolâ examinavit laudatus supra & mox iterum laudandus Sorbonista *Launojus*, prætermisso, inquam, utroque hoc capite, rectâ *tertium* adgredimur, non semel sed iteratâ tertium vice Augustini malè à Bellarmino habiti vindicias requirens. Sicut in eo ad opinionem de *Judicio Pontificis infallibili* explicandam & confirmandam Bellarminus hanc Propositionem: *Summus Pontifex, cum totam docet Ecclesiam, in his, quæ ad Fidem pertinent, nullo errare potest casu.* In hujus Propositionis examine non urgebo prolixius, quod tamen non planè nullius est momenti, Bellarminum infidiosè *toram*, ommissis particularibus, nominasse *Ecclesiam*, ut eò facilius evaderet, erroresque in specie commissos hâc ratione eò promptius defendere posset, quod in sequentibus ab Eo factum est capitibus. Ad ipsam verò dictæ Propositionis confirmationem respicientes, tribus eam Oraculis ex ore Christi protectis fulciri videmus, tanquam fundamento inobili. Videamus, quo jure fulcimentum hoc nobilissimum domui tam ruinosa substituerit Architectus, artis, quam profitetur, si quisquam, omnino ignarus, *Primum* iis nititur verbis, quibus Petrum facere certum voluit Christus, quod pro Eo *oraverit, ut non deficiat Fides Ejus*. Eadem quoque supra citavit Bellarminus, ubi prærogativas Petri adduxit, addens, *Dominum clarissimè iis ostendisse, Petrum fore principem & caput fratrum suorum, sic enim exponere Græcos & Latinos*, adlegatis tamen Theophylacti solum & Leonis Magni testimoniis contentus. Hic autem ingenuè fatetur, *tribus hunc locum modis exponi solere. Primam expositionem esse quorundam Parisiensium*, quorum duos tantum supra in Secundæ Opinionis explicatione nominavit Bellarminus, *Gerfonem videlicet & Almainum*, quibus tamen plures adjunxit *Launojus* loco proximè citato, notanter ibidem monens, *esse alios etiam natione Germanos, Gallos, Hispanos, Scotos, quorum sit eadem mens, Sententia & conspiratio ad defendendam hanc Ecclesiam, quam dicit, Romanam traditionem*, quos pro more testimonium dicentes longâ serie adduxit. Horum de hâc promissione Petro factâ Sententiam esse dicit Bellarminus, *quod Dominus hic oraverit pro Ecclesia universali, sive pro Petro, ut Ecclesia totius figuram gerente.* Et hanc expositionem juxta mentem Expositorum intellectam Bellarminus dicit esse falsam, ob rationes hic non examinandas. *Secundam Expositionem esse quorundam hoc tempore viventium & decentium, Dominum orasse hoc loco pro Perseverantiâ solius Petri in gratiâ Dei usque ad finem.* Huic etiam Expositioni aliqua opponit, alibi melius, quam hic ex Instituti ratione ponderanda. *Tertiam* subjungit Sententiam Bellarminus, quam dicit veram, *quod nimirum Dominus duo privilegia Petro impetraverit. Vnum, ut ipse nunquam posset veram amittere Fidem, quantumvis tentaretur à Diabolo; alterum, ut ipse tanquam Pontifex non posset unquam dicere aliquid contra Fidem, sive, ut in Sede Ejus nunquam inveniretur, qui doceret contra veram Fidem.* Quem verò ad modum Bellarminus de posteriori hoc Privilegio audenter pronuntiat, *illud sine dubio mansisse ad posteros sive Successores*, iis tamen munitus testimoniis, quæ fortiter Bellarmino ut plurimum minus sincerè agenti ereptum ivit laudatissimus Sorbonista *Launojus*, peculiari ad Jacobum Bevilacqua-

Tom. III.
Epist. ult.

pag. 50.
1699.

M

Pari-

- Tom. V.
Epist. 6. Parisiensem quoque Theologum Epistolâ: ita de priori dubitanter valde scripsit, *id for-
tasse ad posteros & Successores non manavisse*. Et tamen ad posterioris Privilegii, quod ma-
joris momenti est, confirmationem nihil ex Augustino subsidii habere potuit; sed ad
prioris tantum, cuius non adeo magnus in hac Quæstione est respectus. Quamvis de
hoc etiam Augustini testimonio, & quæ eidem Bellarminus ex *Chrysofomo & Theophyla-*
- Tom. III.
Epist. ult.
Pag. 135. *ducta, cum Patres illi Lucæ locum aliter accipiant, quam in Bellarmini opinione accipiendus sit;
de privilegio nimirum accipientes, quo Petrus quamlibet à Sathana tentatus non posset veram
amittere fidem, id quod ad Petri duntaxat personam pertineat*. Accedit, quod idem iterum
- Tom. IV.
Epist. 4.
P. 72. seqq. *Launojus alibi ob id ipsum non sine causâ castigandum censuit Iansenium Iprensensem quod
in ejusdem Oraculi Explicatione ad Leonis Magni & Bernhards consensum malè provo-
cans ab Augustini Sententiâ abierit, quem se toties legisse profiteatur, sex diversa ex Augu-
stini Scriptis colligendo testimonia, & inter ea illud quoque, quod Bellarminus priori
adscripto Privilegio, undè constat, tantum Petri personam attingere hanc Promissionem.
Pertinent huc quoque Testimonia duorum Augustini tempore celeberrimorum Concilio-
rum, *Carthaginensis & Milevitani*, quorum ipse Augustinus pars magna fuit, & scriptæ
eorum nomine ad Innocentium, hujus nominis primum, tunc Pontificem Romanum
Epistolâ inter Augustini Epistolas, ut supra etiam monui, leguntur, tanquam Augustini
manu & Stylo scriptæ, in quibus eundem hujus Oraculi sensum videmus expressum,
aque Innocentio Pontifice in subjunctis ad utrumque responsis adprobatum, id quod
Launojus citatis ibidem verbis ad oculum demonstrat, exque abundantius in super addit,*
- pag. 77. *si etiam Evangelicæ hujus periodi una pars ab altera esset separanda, & in posteriori aliud,
quam in priori, intelligendum esset Privilegium, Augustinum pro more suo id non ad Petrum
duntaxat vel Successores Ejus flexisse, sed ad Ecclesiam, cuius figuram Petrus gesserit*, quod
duobus iterum ex Augustino testimoniis verbatenus comprobatur, hic non prolixè ex-
scribendis, cum ibi tutius legantur, hicque omnis vitanda sit prolixitas, præmissis cum
sæpius eadem ex occasione & conjunctim exhibeat & iteratò inculcet *Launojus*, nomi-
natim quom in eâ ad Carolum Magistrum, Parisiensem itidem Theologum, Epistolâ,
quam in quintâ earum parte primam esse voluit, in quâ prolixissimè & pluribus Augu-
stini testimoniis id solum ivit demonstratum, hunc augustissimum Doctorem in variis,
quas de Religione scripsit, *Controversiis non alium supremum vel ultimum agnoscere iudicem,
quam Episcoporum Concilium, & plenarii, quod sæpe vocat, Concilii Sententiâ cujuscunque
Episcopi etiam Romani Sententiâ eum antepone*. Adde laudatam paulò ante ex eodem
Tomo Epistolam, numero Sextam, ubi eadem eadem serie exhibentur, inter alia plura
primæ Classis Patrum & Tractatorum Ecclesiasticorum testimonia, qui tradunt, *orasse
Christum, ut Petrus veram Fidem amitteret nunquam, quantumvis tentaretur à Diabolo,
sed in eâ & Dei gratia tum demum perseveraret*. Optime monet ibidem *Launojus*, Bellar-
minum dicendo, *secundam hujus Oraculi Expositionem esse quorundam hoc tempore viven-
tium, eamque pluribus argumentis refellendo, dissimulasse, esse eam antiquiorum Ecclesiæ
Patrum, eamque per traditionem venisse ad illud tempus, quo Bellarminus scribebat, cum præ-
ter laudata duo Concilia Patres atque Tractatores Ecclesiastici septem & triginta in
illâ Classe numerentur, nominatim, Tertullianus, Cyprianus, Hilarius, Basilus, Ambrosius,
Chrysofomus, Palladius, Innocentius Papa, Augustinus, Author anonymus Quæstionum
ex Novo Testamento apud eundem Augustinum, Cyrillus Alexandrinus, Leo Magnus,
Prosper Aquitanicus, quem Bellarminus pro se citaverat, Theodoretus, Beda, Theophylactus
Oecumenius, Euthymius, Damianus, Drogo Ostiensis Episcopus & Cardinalis,
Lombardus, Innocentius numero tertius, Hugo Cardinalis, Albertus M. Thomas, Bonaventura,
Author Glossæ Interlinearis, Lyranus, Occamus, Carthusianus, Cajetanus, Major, Arbo-
reus, Benedictus, Gagnanus, Bannes, Maldonatus, Bellarmini æqualis & Socius, omnes & sin-
guli Expositionis, quam Augustinus tenet, testes jurati & veritatis Evangelicæ ingenii
confessores & professores, quos omnes cum præmissis eorum testimoniis iteratò lau-
dasset *Launojus*, bene addidit, *nescire se, an pejori fide tractari poterit Expositio hæc secunda,
quam à Bellarmino fuerit tractata, dum aequalibus Theologis quibusdam suis adscriptis Expo-
sitionem, quæ per ætates singulas fuerat celebrata*. Sed & cætera legi merentur, quæ cir-
ca tertiam laudatam sæpius oraculi Expositionem, quam Bellarminus veram esse dicit, &
ad cuius partem priorem, cum duplex in eâ statuat Privilegium, Augustini etiam autho-
ritate utitur vel potius abutitur, observavit ibidem *Launojus*. Nimirum primò Bellarmi-
num nulli planè Authori hanc Expositionem tertiam conjunctim sumtam tribuere, ex
quo*

quo rectè colligatur, Expositionem hanc esse novam, eamque alium à Bellarmino architectum non habere. *Deinde*, Bellarminum hanc Expositionem, quæ nova est, dicere veram; cæteras, quæ antiquiores sunt, repudiare ut falsas, contra omnem Theologiæ docendam methodum & rationem. *Tertio*, priorem Expositionis tertiæ partem esse Expositionem secundam, eamque iis tribuere Bellarminum, qui suo tempore vivebant, & tamen partem tertiæ Expositionis priorem adscribere Eum Augustino & cæteris supra laudatis, eoque ipso Bellarminum vel pugnare secum, vel credere, Augustinum & cæteros Patres vixisse suo tempore, atque sic Eum proposito dilemmate concludi, & quocumque se vertat, incommodum ferre, id est vel dextro vel sinistro ferri cornu. *Quarto*, in secundâ Expositione relatâ dolum esse malum, quem detegere oporteat ac disfluere, videlicet, constare, extitisse Bellarmini tempore, qui Lucæ locum ita sint interpretati: Sed illos Interpretationem suam testimoniis Patrum, inprimis Augustini munivisse; quod Bellarminus dolo non bono reticuerit & dissimulaverit, id quod Dominici Bannis in hujus Oraculi Explicatione ad Augustini quoque auctoritatem provocantis exemplo comprobatur. *Quinto*, Bellarminum sic suam Expositionem tertiam ex duobus adornare Privilegiis, quasi Patres, quorum testimonia recenser, sic inter se de industria convenerint, ut alii verba Lucæ de priori Privilegio, alii autem de posteriori intelligerent; egregio scilicet invento, cujus operâ Bellarminus Patres memoratos cujuscumque Verborum Lucæ interpretationis fautores & adstipulatores reddere non vereatur, quem in modum ex testimoniis Patrum mapalia facere absurdum fit in Theologicis & periculosum. *Sexto*, Bellarminum scribendo, *Augustinum & cæteros Patres laudatos, licet aliter non meminerint Privilegii, illud tamen non negare, neque negare posse, nisi velint plurimis Patribus aliis contradicere*; perindè hæc scribere ac si plures alii Patres de posteriori Privilegio Lucæ Verba exposuissent, cum tamen ante Augustinum in specie nullus reperiat Ecclesiasticus Tractator, qui Verba Lucæ de tali Privilegio intellexerit, neque Bellarminum vel unum attulisse vel adferre potuisse, qui ita intellexerit, tantum abesse, ut plures alios adferre potuerit, quibus voluerit contradicere Augustinus. *Septimo*, Bellarminum lemma suum aliter proponere, aliter posterius Privilegium: In lemmate tunc tantum non errare posse Pontificem Romanum, *cum Ecclesiam totam docet in his, quæ ad Fidem pertinent*; quo pacto errare posset, salvo non errandi privilegio, cum vel Orientalem, vel Occidentalem tantum vel Romanam tantum Ecclesiam, cujus proprius est Episcopus, doceret; In proposito autem Privilegio Bellarminum reticere illud, *cum Ecclesiam totam docet*, atque ita longè minus definitum esse Privilegium, quam lemma, nisi per hæc verba, *ut ipse tanquam Pontifex*, velit æqualiter defini. Quorsum hæc? Scilicet ut adducendo non nullorum Pontificum & Patrum testimonia, quæ clarè proposito lemmati nullatenus respondent, proposito minus clarè Privilegio saltem in speciem responderent, incautus Lector circumveniretur, & probationes, quæ non sunt idoneæ, ac fallaciam accidentis includunt, facilius admitteret. Quæ addi possunt suspitioni non iniquæ, cujus sub initium Controversiæ hujus facta est mentio. Plura hujus generis circa Bellarmini methodum à *Launojo* observata lubens prætereo, ne pagina exscribendo solum impleatur, cum ex adductis sufficienter manifestum cuius orthodoxæ Veritatis & Sinceritatis Theologiæ studio esse possit, quam minus candidè Bellarminus in re tam gravi, & à quâ omnium Fidei Controversiarum decisio pendet, fuerit versatus, nominatim, quod inprimis ad institutum præfens pertinet, quam malè cum Augustino egerit, Eum ad suas pertrahere volens partes, cum tamen augustissimus Doctor nihil minus scripserit, quam quod scripserit Eum Lectori persuadere omnibus modis, sed in Theologiâ illicitis, est conatus.

Neque feliciter aut sincerius egit, ubi secundum pro Judicio Romani Pontificis infallibili testimonium ex Augustino & aliis Patribus tractavit, quo Christus super Petram ædificare se velle Ecclesiam promisit, *adversus quam Inferorum porta non sinit prevalere*, id quod supra ad decimum primi de Romano Pontifice Libri caput ex eo ipso Augustini testimonio est demonstratum, quod iteratâ vice in Scenam produxit Bellarminus, aliaque insuper fuere adjecta, quæ rem hanc facilè confectam dare potuerunt. Eadem ferè contra Bellarminum producta legas à *Launojo* in laudatâ ad Carolum Magistrum Epistolâ, quæ tota in eo occupatur, ut Augustissimum hunc Doctorem sibi, id est, orthodoxæ restituat Veritati, Eumque ab omni pravâ detorsione liberet. Quorsum referri debet alia ad *Guilielmu Voellam*, Parisiensem etiam Theologum Epistola, in quâ prolixissimè ex Patribus, & in specie Augustino etiam de hæc Ecclesiæ Petrâ invincibili

Matth. 16

pag. 47.
& seqq.

contra Bellarminum agit, id in genere monens, *Bellarminum, cum de loco B. Lucae argumentatur, trium illius Expositionum, etsi admodum negligenter, fecisse mentionem, sed cum de hoc B. Matthæi loco suam in Sententiam disputat, perinde id facere, ac si Patres omnes illum uno atque eodem modo interpretarentur, quod à Vero planè abhorreat.* Et in hujus gratiam, ut Bellarmini defectum suppleat, quatuor Patrum in hunc Matthæi locum Explicationes recenset, divisas in quatuor diverlas classes: quarum *prima* est eorum, qui Ecclesiam super Petrum; *secunda*, qui super Apostolos & Eorum Successores; *tertia*, qui super Fidem, quam petrus est confessus; *quarta* qui super Christum docent esse ædificatam: in quarum Expositionum compositione & conciliatione, sicut fatetur Launojus *non-nullos Patres in Expositionibus diversis, ita de Augustino in primis ingenuè agnoscit, Eum in singulis occurrere, ita tamen, ut ab Authoribus primæ Expositionis recedat non nihil, & aliis recedendi copiam faciat, atque ita ad Authores cæterarum trium Expositionum familiarius accedat, & in expositione quidem secundâ cum hæreat, verbis quibusdam suis iter sibi ad duas posteriores munit, inque iis se proprio lumine contineat ac omnem obscuritatem dispellat.* Ubi id in primis porro notandum venit, quod idem Launojus ibidem optimè observavit, illa duo Augustini testimonia, quæ supra ex ultimo in Johannem Tractatu, & Sermonem tertio post decimum de Verbis Domini citata leguntur, & quæ Launojus quartæ Testimoniorum classi inseruit, eò majoris esse momenti & in hoc puncto authoritatis, quia utrumque Augustini Scriptum ab authore post retractationum libros, vel librorum retractationem esse editum ex eo non levis sit conjectura, quod Augustinus utriusque nullam vel in primo vel secundo dictarum retractationum libro fecerit mentionem, id quod hic non sine ratione ad causæ bonitatem confirmandam attenditur. Ex superabundanti iterum potest accedere, quod Launojus idem præter Examen illius ex Augustino testimonii, ad quod Bellarminus in specie circa hujus Oraculi de Petri & Ecclesie expositionem provocat, cuius sensum loco jam supra citato indicavimus, in cæterorum quoque Patrum testimoniis ponderandis, quibus hæc in re Bellarminus iterum more suo non laudabili abusus est, ostendit, *Eum in citatione eorundem adhibuisse malam fidem, in specie Origenem & Cyrillum Alexandrinum falsò laudare; Chrysostomo* Scripturæ expositionem ad fingere, & quæ *Chrysostomus* soli Deo tribuit, Pontifici Romano tribuere, & ne videatur tribuere, propria ejus verba non recensere; *Theodoretum* laudare ut Scripturæ quæ de agitur, interpretem, quo in loco nullam interpretatur Scripturam, & quæ ex eo refert, in alienum ab Authoris mente & ætate Sensum detorquere; *Hieronymum* præterea & Augustinum verè quidem citare, sed quæ certa fuerit Illorum mens & intentio, in variis, quos ediderunt Commentariis non disquirere, veritum fortassis, ne inveniat, quod cæteris omnibus occultum esse vellet; *Gelasium* insuper adducere ut Scripturæ Explicatorem, etiam si Scripturam non explicet, & quæ ex eo commemorat, probandæ Adfertioni esse inutilia, & ibi consuetâ fraude Sedem Apostolicam cum præfule Apostolico confundere; *Gregorium* tandem magnum adlegare ut Explanatorem Scripturæ, quam non explanat, Ejusque textum corrumpere, ut videatur dicere, quod non dicit. Hæc omnia ibidem prolixissimè & planissimè Launojus deducit, unde ingenua minus sinceritas, candorque minimè candidus Bellarmini in citandis Doctorum Ecclesie testimoniis manifestissima redditur, eò notabilior, quod ab homine aliàs Romanensibus Sacris addicto hæc falsi crimina orbi verè Catholico fuerunt exhibita, qui ibidem tertium quoque pro Judicio Romani Pontificis infallibili testimonium à Bellarmino adhibitum ex Augustino ostendit impertinens esse, neque id bonâ fide expositum, quod & supra ad caput decimum & quartum libri de Romano Pontifice primi ex parte, & quantum satis tum esse potuit, Lectori Veritatis studio fuit ostensum.

Nunc, quia Bellarminus in tertij pro infallibili hoc Judicio testimonii, quod curam ovium Petro tribus iteratis vicibus à Christo commendatam sistit, tractatione, ad illos Patres Eorumque authoritatem provocat, quos loco jam citato adduxerat, interque eos Augustinus quoque comparat, præter vindicata ibi hujus augusti Doctoris loca, juvat nunc adjicere, quod Launojus in ad Raimundum Formentinum Epistolâ contra Bellarminum ex Tractatu Ejus septimo & quadragesimo in Johannem suppeditat: *Christus Petro, quem facere volebat bonum Pastorem, non in ipso Petro, sed in corpore suo ait: Petre amas me, pascere oves meas.* Et post aliqua: *Christus quod Pastor est, dedit & membris suis; nam & Petrus est Pastor, & Paulus est pastor, & cæteri Apostoli sunt pastores, & boni Episcopi sunt pastores.* Accedant alia ejusdem augustissimi Doctoris testimonia,

Joh. 21.

Tom. V.
Epist. 8.
pag. 22.

monia, quæ idem iterum *Launojus* in laudatâ non semel ad *Carolus* Magistrum Epistolâ verè Augustinianâ collegit, ad Oraculum hoc *Bellarmino* cum aliis eripiendum, suoque intellectui genuino restituendum. Ita autem de eo *Augustinus*: *Christus* de Pasto-
Petrus, cui oves commendarit, quasi alter alteri, unum facere volebat secum, ut sic Ei oves
 commendarit, ut esset ille caput, ille figuram corporis portaret, id est, Ecclesia. Et alibi: *Do-* cap. 13.
minus commendarit nobis oves suas, quia *Petro* commendarit, si tamen ex aliqua par- Sermon. 106.
 te, vel extremâ dignissimus, pulverem vestigiorum *Petri* calcare. Et iterum: *Petrus* de divers.
 inter *Discipulos* non solus meruit pascere *Dominicæ* oves, sed quando *Christus* ad unum Sermon. 108.
 loquitur, unitas commendatur; & *Petro* primitus, quia *Petrus* in *Apostolis* est primus. de divers.
 Et iterum alibi: Ad *Petrus* quedam dicuntur, quæ ad *Eum* propriè videntur in Psalm.
 pertinere, nec tamen illustrem habent intellectum, nisi cum referuntur ad *Ecclesiam*, cujus 108. mox
 ille agnoscitur in figurâ gestasse personam, propter *Primum*, quem in *Discipulis* habuit, ab init.
 sicut est, Tibi dabo *Claves Regni Cælorum*, & si quæ hujusmodi, ubi addit notanter *Launojus*,
 ut sine dubio est illud, *Pasce oves meas*. Non quidem unius ejusdemque momenti
 & autoritatis sunt hæc *Augustini* testimonia à *Launojo* adducta, cum fortè non de-
 esset, quod ad ea posset excipi, si rigidum aliquod examen sustinere cogerentur; è qui-
 bus tamen collectim consideratis adparet, *Augustinum* & cum *Eo* alios quoque *Patres*
 id infallibile iudicium in *Romano Pontifice* tanquam *Petri* Successore nullatenus agno-
 visse, quod *Bellarminus* & *Ejus* exemplo alii plures, quos *Launojus* non semel *Aulæ*
Romanensis adfentatores vocat, vi etiam variisque artibus illicitis exculpere & ex-
 torquere conantur, ingenuè id præter laudatum sapius *Launojum* aliis etiam fatentibus,
 quibus vis manifesta Veritatis non semel manifesta Confessionis testimonia expres-
 sit. Cætera duo fundamenta, quæ *Bellarminus* post hæc infallibili Pontificis *Ro-*
mani iudicio subternit, illud in primis, quod ex *Veteri Testamento* tanquam figurâ *Novi*
de Rationali, aliâ pectorali, Pontificis Summi adducit, quia nullum ab *Augustini*
 autoritate habent subsidium, meritò hic prætermittuntur, hoc tantum observato,
 quod *Novarinus* in *Mose* expenso ad hoc ipsum de pectorali Pontificis Summi Ora-
 culum notavit: *Veteris Legis* Sacerdos nuda filiorum *Israel* nomina portabat in humeris; Cof. Buxt.
Christus Pastor verus ovem deperditam humeris imposuit suis. Sic rem pius *Autor* expendebat. Exerc. po-
 Sacerdotem veteris Legis nomina solum super humeros & pectus jubet portare *Doninus*, ster. num.
 nova verò Legis & *Gratie* Pastor *Christus* reipsâ ovem super humeros portat. III. cap. 6.
 En sum-
 mum Sacerdotem typum non Pontificis *Romani*, sed *Christi* Pastoris Summi, sub quo
 Pastores cæteri omnes!

Postquam verò *Bellarminus* prolixè ad demonstrandum infallibile *Romani* Pon-
 tificis iudicium pugnavit, conquisitis omni ex loco rationibus & argumentis, qui-
 bus exhibitam à se Propositionem *Lectori* faceret probatam, præter duas Proposi-
 tiones alias, de *Romanensi Ecclesiâ particulari* & *Decretis morum*, hanc quoque quar-
 tam sistens, quâ statuit, Probabile esse pièque credi posse, summum Pontificem
 non solum ut Pontificem errare non posse, sed etiam ut personam particula-
 rem non posse hereticum esse, falsum aliquid contra fidem pertinaciter credendo;
 quia non nescivit, à hereticis non solum, quos vocat, sed & aliis quibusdam
Romanæ Sedi adscriptis in dubium vocari & pluribus modis impugnari, idè præterire
 non potuit, quin *Rationes* eorum in contrarium adduceret, adque eas respondere
 pro viribus conaretur. In tertiâ earum dum *Augustini* occurrit mentio, aliquid de eâ
 dicendum erit, ut videamus, an satis eidem ex assè fecerit *Bellarminus*, qui eam se-
 quentibus exhibet verbis: Si infallibile esset Pontificis de fide iudicium, essent heretici,
 vel saltem pernicioso errore tenerentur & graviter peccarent, qui pertinaciter contra defi-
 nitionem Pontificis aliquid adsererent. At hoc est falsum. Nam *Cyprianus* pertinaciter
 resistit Pontifici *Stephano* definienti, hereticos non rebaptizandos, ut patet ex *Epistolâ* ejus-
 dem *Cypriani* ad *Pompejum*, & tamen non solum non fuit hereticus, sed neque mortaliter pecca-
 vit. Nam mortalia peccata non delentur, nisi per *Pœnitentiam*, etiamsi quis pro fide mô-
 rriatur; & tamen *Ecclesiâ* *Cyprianum* colit ut Sanctum, qui non videtur unquam resi-
 pisse ab illo errore suo. Confirmatur ex *Augustino*, non semel scribente, *Ecclesias* nutasse Lib. I. de
 de illâ *Questione*, ac potuisse *Cyprianum* & alios salvâ charitate dissentire inter se, donec non Bap. c. 18.
 accessit generalis Concilii definitio. Ego non putavit *Augustinus*, indubitatum esse *Romani* & alibi.
 Pontificis iudicium. Quid in hujus objectionis propositione posset jure desiderari, *Lec-*
 tor orthodoxus me quam non monente videt. Videamus nunc breviter, quomo-
 do Bel-

do Bellarminus in omnes se vertat partes, ut Pontificis auctoritatem indubiam ostendat, ac Augustinum in suas etiam partes trahat. Variè id agit, & ita quidem, ut non raro sibi met ipsi contradicat & scribat, quod ex prolixiori responso patebit. Dicit, Cyprianum non quidem fuisse hæreticum, tum, quia nec modo censetur manifestè hæretici, (NB.) qui Pontificem errare posse dicunt; tum etiam, quia sine dubio Stephanus Papa non definiuit tanquam de fide, hæreticos non rebaptizandos, licet non rebaptizari iusserit, ut ex eo patet, quod non excommunicavit Cyprianum & alios contrarium sentientes, sicut etiam è contrario Cyprianus in Concilio octoginta Episcoporum definiuit, hæreticos rebaptizandos, noluit tamen hoc haberi tanquam de fide, disertè protestans, non propter ea velle se ab iis separare, qui contrarium sentiebant. Neque his repugnat, quod, ut scribit post Eusebium Augustinus, non solum imperavit Stephanus Papa, ne rebaptizarentur ab hæreticis baptizati, sed etiam censuit excommunicandos, qui non obedirent. Nam etsi censuit excommunicandos, qui non obedirent, illud tamen aliud nihil fuit, quam comminatio; constat enim ex Vincentio Lyrinensi & Augustino, conjunctos semper fuisse Stephanum & Cyprianum. Pergit Bellarminus: Et per hoc respondetur etiam ad confirmationem. Fuit enim post Pontificis definitionem adhuc liberum aliter sentire, ut Augustinus dicit, quia Pontifex noluit rem ipsam facere de fide sine generali Concilio, sed solum voluit interim servari antiquam consuetudinem. An autem Cyprianus peccaverit mortaliter, Pontifici non obediendo, non est omnino certum. Nam ex unâ parte non videtur mortaliter peccasse, quia non peccavit, nisi ex ignorantia; putavit enim Pontificem perniciosè errare, & stante illâ opinione tenebatur Ei non obedire, quia non debebat contra Conscientiam agere. Ignorantia autem Cypriani non videtur fuisse crassa, neque adfectata, sed probabilis, & proinde excusans à mortali peccato; ipse enim sciebat, Pontificem non definiuisse tanquam de fide, & simul videbat, secum sentire Concilium octoginta Episcoporum. Quocirca Augustinus clarè docet, Cyprianum venialiter solum peccasse & salvâ charitate, & ideo falce Martyrii facile purgatum, ac fuisse hoc. Ejus peccatum quasi ne vnum in candore Sanctæ animæ, quem ubera Charitatis contegebant. Ex altera tamen parte videtur peccasse mortaliter, cum præcepto Apostoli expresse non paruerit, & sine modo Pontificem rectè sentientem vexaverit. Nam etsi Stephanus non definiuit illam rem, tanquâ de fide, serio tamen præcepit, ut non rebaptizarentur hæretici, ut Cyprianus ipse in Epistola ad Pompejum citatâ faceret, cui mandato Cyprianus parere debuit, & suum judicium judicio Superioris sui subijcere, & saltem debuit non proferre verba contumeliosa, qualia ibi contra Stephanum protulit, Eum vocans superbum; im-peritum, coeca ac prava mentis &c. Ideo Augustinus aliter Cyprianum defendere conatur, adserens, vel non esse ista Cypriani Scripta, ubi hæc inveniuntur, vel Eum postea pœnituisse erroris, & mutasse Sententiam ante mortem, licet retractatio non inveniatur. Prolixissimè hæc Bellarminus, in quibus, ut jam monui, non semel sibi met ipsi contradicit & scribit, iis etiam hic & ibi nititur absurdè etiâ hypothesebus, quæ longâ adhuc demonstratione opus habent ante, quàm pro fundamento queant adsumi. Ipsam quod attinet Quæstionem Anabaptisticam, tempore Cypriani & Stephani primùm, post inter Augustinum & Donatistas acriter agitatam, aliquoties jam occasione per Bellarminum oblata actum est de eâ, quin & in posterum adhuc eodem duce occurrit. Nunc non repetitis, quæ circa ejus momentum alibi fuerunt observata, nec ptolixè examinatis, quæ in hoc Bellarmini responso censuram merentur, ea iterum lubet notare, quæ Sorbonista Launojus partim de ipso Controversiæ statu, partim de Augustini circa contrarias & contradictorias Cypriani & Stephani opiniones Sententiâ monendum duxit. Et pro hujus quidem fundamento ea posuit Augustini verba, quæ supra jam, ubi de Monarchico Regimine ageretur, locum habuerunt, hic omnino reponenda, ut Launoji observatio eò melius intelligatur. Ita autem augustissimus hic Doctor, & eo quidem in loco, undè Bellarminus etiam suæ causæ quæsivit subsidium: Duo erant eminentissimarum Ecclesiarum, Romane scilicet & Carthagenensis Episcopi, Stephanus & Cyprianus, ambo in unitate Catholicâ constituti, quorum (unus) Stephanus Baptismum Christi in nullo iterandum esse censebat, & hoc facientibus graviter succensebat; (alter) autem Cyprianus in hæresi vel Schismate baptizatos, tanquam non habentes Baptismum Christi, baptizandos in Ecclesiâ Catholicâ existimabat. Notat Launojus ex his Augustini verbis, Stephanum in nullo iterandum esse Baptismum definiuisse, & aliquid definiuisse novi; Cyprianum verò in omnibus iterandum definiuisse. Utriusque excessum Arelatenis Concilii Patres correxisse hoc Canone: De Afris (non Arianis, ut Canonem hunc ex pervertutis Codi-

NB.

de unico
Bapt. c. 14.

L. cit.

Ibid.

Epist. 48.
ad Vincent.Tom. III.
Epist. ult.
pag. 140.lib. de uni-
co Bapt.
cap. 14.

Codicibus corrigit, quia *Gratiani Jus Canonicum* notas scripsit) *qui propria lege utuntur, ut rebaptizent, placuit, ut si ad Ecclesiam aliquis de heresi venerit, eum interrogent Symbolum, & si perviderint, eum in Patre, Filio & Spiritu Sancto esse baptizatum, manus ei imponatur, ut accipiat Spiritum Sanctum; quod si interrogatus non responderit hanc Trinitatem, baptizetur.* Athæretici erant quamplures, addit *Launojus*, qui in Patre, Filio & Spiritu Sancto non baptizabant, ut constat ex illorum formis baptizandi, quas *Irenæus* refert; & eam ob causam graviter *Cyprianus* Stephanum insectatur, qui Marcionis Baptismum admittebat; Quo fit, ut *Arelatensis Concilii* Patres Stephanum tacite configant. Legati Papæ *Silvestri* interfuerunt Concilio, non restiterunt, sed consenserunt. *Stephanus* ergo cum aliquid novi definiit, nec ullum excepit hæreticorum Baptismum, ut *Augustinus* scribit, erravit, quomodo *Bellarminus* Pontificem Romanum errare posse tantum negat, quia negare instituit. Quoad *Augustini* porrò de hæc inter *Cyprianum* & *Stephanum* controversia Sententiam *Launojus* iterum varia notavit, quæ hic observasse, est *Bellarminus* refutasse, Dicit in laudatâ hætenus non semel ad *Carolus* Magistrum Epistola, quam paulò ante ob argumentum ejus dixi *Augustinianam*, & verè quidem, *Augustinum* in libris contra *Donatistas* editis iterandi Baptismi controversiam pertractare copiosissimè, & hujus decisionem Romano Pontifici ut supremo vel ultimo Judici non transcribere, cum transcribendi se offerat occasio, quæ non possit se non offerre, ubi sæpissimè de Baptismo non iterando sermonem instituerit. Deinde, *Augustinum* nec *Stephani* Papæ Epistolam, quæ ad *Africanos* missa est, referre, nec ullum Epistolæ fragmentum *Donatistis* tanquam certæ *Disciplinæ* fundamentum objicere, objecturum sine dubio, si *Antistiti* Romano indeficientis iudicii privilegium inesse censuisset. Porrò, *Augustinum* in libris de Baptismo contra *Donatistas* sexto & septimo singulas eorum, qui *Concilio* *Carthaginensi* interfuerunt, Sententias expendere & confutare, sed ubique altum esse de *Stephano* Papâ silentium, tantum abesse, ut *Stephani* Epistolam stylo decretorio exaratam aut illi *Concilio*, aut uni è *Patribus* *Concilii* opponat; & hoc certum esse indicium, ab *Augustino* habitum non fuisse *Stephani* Decretum tale, quale ad terminandam quæstionem citra erroris periculum sufficeret. Præter ea duo esse *Augustini* loca, quæ si contendantur inter se & cum iis, quæ *Cyprianus* de Baptismo *Marcionis* contra *Stephanum* scribit, *Stephano* apud *Augustinum* non errandi privilegium detrahere. Prior locus ex libro de unico Baptismo proxime citatus est, posterior autem sic habet: *Si Evangelicis verbis in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti Marcion Baptismum consecravit, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides sub eisdem verbis aliud opinantis, quam Catholica Veritas docet, non esset integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata.* *Launojus* in collatione utriusque testimonii hujus notat, *Augustinum*, dum in priori loco ait, *Stephanum Christi Baptismum in nullo iterandum esse censuisse*, non falli, id ipsum enim conceptis verbis in fragmento Epistolæ *Stephani* apud *Cyprianum* in ad *Pompejum* Epistolâ sæpius citatâ tradi, & hoc *Eusebium* insuper confirmare, certumque hinc atque indubitatum esse id, quod de *Stephano* *Augustinus* observat, *Eum in nullo eorum, qui ab hæreticis fuerint baptizati, iterandum esse Baptismum censuisse*; in posteriori autem loco *Augustinum* significasse, collatum à *Marcione* Baptismum valere, si *Verbis Evangelicis* in nomine *Patris, Filii & Spiritus Sancti* conlectetur, non valere, si non ita consecratur, & sic *Augustini* iudicio erravisse *Stephanum* *Marcionis* Baptismum recipiendo, si *verbis illis Evangelicis* non consecraretur. Num verò *Marcion* hoc modo Baptismum consecraverit, quærendum esse de *Cypriano*, qui *Stephani* Epistolam vidit & duabus aliis confutavit, ex quâ juxta *Cypriani* citationem duo hæc manifestè colligi, unum, quod *Marcion* non baptizaverit in nomine *Patris, Filii & Spiritus Sancti*, sed in nomine *Jesu Christi*; alterum, quod *Stephanus* collatum sic à *Marcione* Baptismum receperit: *Cyprianum* contra pugnare, rejiciendum esse collatum in nomine *Jesu Christi* Baptismum, nisi, qui susceperit, *Judæus* fuerit, & baptizandos esse in plenâ & adunatâ *Trinitate* gentiles; & hinc graviter insectari *Marcionem*, quod *Trinitatem* non teneat, *cujus Sacramento* gentes baptizentur, atque ideo etiam reprehendere *Stephanum*, quod collatum à *Marcione* in nomine *Jesu Christi* Baptismum admiserit, imò *Augustinum* quoque Baptismum hunc indefensum relinquere, quem *Stephanus* tamen admiserat. Addit his *Launojus*: *Quapropter nemini mirum videri debet, Doctorem Sanctum Romano Pontifici indeficientis iudicii privilegium adscribere nunquam,*

Cof. Men-
doza ad
Concil. II.
lib. L. I.
c. 2. p. 21.

L. 1. c. 16.

mox ab
init.

Histor.
Ecclecl. 7.
cap. 2.

nec illum pro supremo vel ultimo Controversiarum Fidei Iudice habere, quippe talis Index nusquam errare debet, ut Stephanum hæc in re errasse Augustinus significat, consentiens, Baptisimum, qui verbis Evangelicis in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti non consecratur, cassum esse & irritum, contra quam Stephanus in Epistola ad Africanos decreverat. Plura non addo, ibidem prolixius legenda, cum hæc sufficere possint ad responsum Bellarmini elidendum & eludendum.

CAPVT DECIMVM SEXTVM & seqq.

DE

Potestate Romani Pontificis Legislativâ.

Hanc ut adferat Bellarminus, plura iterum ex Sacris colligit, quæ tamen Examini subiecta nihil ad rem propositam facere videntur. Ex eorum numero tria sunt, quæ Augustini vindicias desiderant, ne quid contra Veritatem orthodoxam scripsisse videatur. *Primum*, sed apud Bellarminum ordine *quintum*, nicitur autoritate Legis Apostolicæ in Synodo Hierosolymitanâ promulgatæ, circa cujus illustrationem Bellarminus inter alia Augustinum quoque adducit, qui talem posuit alicubi Quæstionem, An viator victus necessitate famis, si nihil uspiam invenerit, nisi cibum in Idolio positum, ubi nullus alius est hominum, fame potius mori debeat, quam illum sumere cibum? Respondens: *Aut certum est, esse idolorum, aut certum est, non esse, aut ignoratur. Si certum est esse, melius Christianâ virtute respuitur; si autem vel non esse scitur, vel ignoratur, sine ullo Conscientiæ scrupulo in usum necessitatis adsumitur.* Notat ad hoc Augustini responsum Bellarminus: *At in isto casu proposito ab Augustino nullum locum habebat scandalum, & tamen judicavit Augustinus, melius esse ab immolatis abstinere, cujus rei nulla ratio reddi posse videtur, nisi auctoritas præcepti Apostolici.* Num Bellarminus hæc ratione potestatem Romani Pontificis Legislativam sufficienter demonstraverit, judicet æquus Lector judicandi peritus. Augustini Sententiam in casu proposito quod attinet, de eâ non ita pridem Scriptor quidam hunc in modum censuit: *Salvâ auctoritate magni Patris non constare videtur Ratio, cur Christianum esurientem oporteat potius morti se victimam dare, quam ab ejusmodi victimâ Idolis immolatâ temporare. Cum enim sit Christianus, non edit Idoli reverentiâ; cum se solus in solitudine, non habet illic infirmos fratres, quos offendat. Neque communicat cum Dæmonibus, cum ibi nullum agitur Sacrum; multo minus exponit infidelibus suam libertatem condemnandam & blasphemandam, cum ex hypothesi in solitudine nulli adsint.* Non præter rem hæc esse scripta, inde constat, quia alibi Augustinum aliter de hisce talibus scripsisse legimus, ubi in genere de Veteris Testamenti legibus ceremoniaris & idè temporalibus tantum, cujus generis hanc quoq; Legem Apostolico-Synodicam fuisse plerique Interpretum & communiter statuunt, suam expromere voluit Sententiam, hunc in modum scribens: *Cur mihi non liceat dicere, Apostolum Paulum & alios recte Fidei Christianos tunc vetera illa Sacramenta paululum observando commendare veraciter debuisse, ne putarentur illa Prophetica Significationis observationes à Patribus piissimis custodite, tanquam Sacrilegia Diaboli, à posteris detestanda? Tam enim, cum venisset Fides, (alibi legitur dies) quæ prius illis observationibus præannuntiata, post mortem & resurrectionem Domini revelata est, amiserant tanquam vitam officii sui. Verum tamen sicut corpora defunctorum, officii necessariorum deducenda erant quodammodo ad Sepulturam, nec simulatè, sed religiose; non autem desideranda continuo, vel inimicorum obreccationibus tanquam morsibus canum præjicienda. Proinde nunc quisquis Christianorum, quamvis sit ex Judæis, similiter ea celebrare voluerit, tanquam sopitos cineres eruens, non erit pius ductor, vel bajulus corporis, sed impius Sepultura violator.* Alibi in specie ad hanc Legem Synodicam sequentia observavit: *In Actibus Apostolorum hoc lege præceptum est ab Apostolis, ut abstinere gentes tantum à fornicatione, & ab immolatis, & Sanguine. Hoc etsi tunc Apostoli præceperunt, elegisse mihi videntur pro tempore rem facilem & nequaquam observantibus onerosam, in qua cum Israelitis etiam gentes, propter angularem illum lapidem duos parietes in se condentem, aliquid communiter observarent, simul & admonerent; in ipsâ Nos Arcâ, quando Deus hoc jussit, Ecclesiam omnium gentium fuisse præfiguratam, cujus facti propheta gentibus jam ad Fidem accedentibus impleri incipiebat. Transactio autem illo tempore, quo illi duo parietes, unus ex Circumcisione, alter ex præputio venientes, quamvis in angu-*

Act. 15.

Epist. 154.
ad Publicolam,Heidegus.
de libert.
Christ. c.
12. p. 258.Epist. 19.
ad Hieron.Lib. 32.
contra
Faust.
cap. 13.

lari Lapide concordarent, tamen suis quibusdam proprietatibus eminebant distinctius; & ubi Ecclesia gentium talis effecta est, ut in ea nullus Israelita carnalis adpareat, quis jam hoc Christianus observat? Et qui forte pauci adhuc tangere ista formidant, à cæteris irridentur, ita omnium animos in hac re tenuit illa Veritatis sententia: Non quod intrat in os vestrum, vos coinquinat, sed quod exit, nullam cibi naturam, quam Societas admittit humana, sed qua iniquitas committit peccata, condemnaans. Ubi quod Augustinus de unâ parte hujus Synodicæ Legis monuit, per Exemplum illustrans rem, de cæteris etiam extra omne dubium voluit intellectum. Quia verò maximum in hac Lege scrupulum facit mentio *Scortationis*, quæ cæteris ceremonialibus & temporariis fuit conjuncta, si tamen ad unum idemque genus Legum referuntur, hinc etiam non omnibus, non tamen planè nullis placet *Heinsii* Sententia, quâ per *προϋξισιν* intelligi debere existimat *προϋξισιν* *δουλειαν*, (adjutus aliquo *Athanasii* testimonio) id est, *Victimam, quam Meretricia mercede paratam Veneri offerebant, in Veteri etiam Testamento sevrè interdicitam*, cum si hæc admittatur Explicatio, omnis, quæ hic adparet difficultas, cedere videatur, de quo Lector eruditus, quâ pollet judicandi libertate, videat.

Vid. D. Quistorp. ad h. loc. conf. Selden, de Jure, lib. ult. cap. ult.

Sequuntur alia duo Scripturæ loca, in quorum tractatione Bellarminus aliquam Augustini facit mentionem, ut Lectori incauto per fraudem non adeò piam facilius imponat, ac Lemma præscriptum eò magis commendet. De priori quidem, qui de Potestate sublimiori à Deo ordinatâ agit, aliàs erit agendi Locus, ubi de Clericorum Exemptione à civili potestate tractabitur; illo nunc tantum observato, ad Quæstionis statum nihil pertinere, sive per Conscientiam, cujus respectu Paulus debitam à subditis requirit obedientiam, cum *Chrysofomo* & cæteris Patribus Græcis intelligatur *conscientia Beneficiorum*, vel cum Augustino, *Ambrosio*, *Beda*, *Anselmo* & aliis *Conscientia peccati*, id est, ut *Fromondus* novissimè hanc explicavit Sententiam, ut *pura coram Deo servetur Conscientia*, & ut antehoc *Seculum Catharinus* ad hoc Pauli Oraculum notavit, *quia id justum esse Conscientia dicitur, agnoscens in hoc Dei Providentiam & ordinationem, contra quam agere Scelus est & quam-maximum*. Utrobique enim, sive hæc sive illa locum habeat Explicatio, nihil ad Potestatem Legislativam Romani Pontificis confertur, cum neque *Chrysofomus* ibi, neque Augustinus hic, ut alios nunc taceam, ejus ullam fecerit mentionem, aut de potestate Spirituali vel Ecclesiasticâ Apostolum intellexerit, de quo infra pluribus. Sed & posterior locus de *Virgâ Pauli*, quam Corinthus est minatus, nullum in hac Quæstione locum habet, non agens de Virgâ legali, sed punitivâ, ut ipse Bellarminus ex Augustino agnovit, eoque ipso Responsum sufficiens suppeditavit. Quæ enim præterea de Virgâ Christi tanquam Regis Ecclesiæ è *Plalterio* adduxit, addens, eam à Christo Episcopis esse concessam, Augustini iterum autoritate abusus, si de Legali intelligat, ipsum sibi contrarium habet Christum, qui Apostolis mandatum evangelizandi commendans, non novas leges ferendi concessit potestatem, sed in commissis expressè dedit, *ut doceant servare omnia, quæcumque mandavit ipse*, tanquam supremus Legislator, hoc ipso inter reservata ponens, quod plerique Doctores Romani suo Pontifici non sine detractatione autoritatis soli Christo tanquam Ecclesiæ Regi & Capiti debitæ tribuere non verentur. Quæ de cætero quoad traditionem Patrum de Legibus Ecclesiasticis ex Augustino, in specie de lege Jejunii & ordine sumendi Eucharistiam, adducit Bellarminus, quia inferioris quoque suum habebunt locum, eò etiam servantur, ne idem bis cum fastidio Lectoris tractare cogamur; id tantum in genere monentes, non omnem ab Evangelicis Doctoribus denegari Ecclesiæ tanquam Christi Regis sponstæ potestatem Legislativam, sed concedi omninò aliquam, verum à potestate, quæ Soli Christo adscribitur, non unâ ratione diversam, cum Leges ab eo profectæ specialiter, absolute, simpliciter, directè, ab Ecclesiâ autem boni ordinis ergò provenientes generaliter, hypotheticè seu conditionaliter & indirectè obligent & adstringant, quæ tamen potestas Legislativa tam non propria est Pontifici Romano, quam aliis hic & ibi Episcopis separatim consideratis, quorum nulli de Jure Divino absque consensu Ecclesiæ, in primis autem Christiani Magistratûs præscitu alias præter Leges Divinas ferre licitum est & concessum; quamvis, hoc iterum non obstante, videamus Ecclesiam tot legum humanarum noviter inventarum jugo premi, ut omni jure liceat repetere querelam, quam suo jam tempore, ex quo plurima malum hoc sumfit augmenta, Augustinus superindè instituit, contra importunos Legumlatores sequentem

Rom. 13.

1. Epist. 4.

Math. 23.

in mo-

Epist. 119.
ad Jan.
cap. 19.

in modum scribens : *Ipsam Religionem, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis Misericordia Dei liberam esse voluit, servilibus premunt oneribus, ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui etiamsi tempus libertatis (Evangelicæ) non agnoverint, legalibus tamen sarcinis, non humanis presumptionibus subjiciuntur*, quæ tamen ultima cum aliquo Salis grano intelligi debere sciunt, quibus Judæorum Sacra minimè Sacra è Synagoga *Buxorfi* Judaicâ propriisque Eorum Scriptis non sunt ignota. Bellarminus quidem contra hoc testimonium excipit, non conqueri Augustinum de ritibus à Pontifice Romano institutis, sed de consuetudinibus quibusdam particularibus Vulgi, quæ paulatim Legis vim obtineant, & quando nimis crescunt, Episcoporum auctoritate tolli & abrogari debent, hæc antecedentia Augustini verba ex laudatâ ad Januariam Epistolâ adducens : *Omnia, quæ neque Sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, neque in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universalis Ecclesiæ roborata sunt, sed diversis diversorum locorum moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino nunquam inveniri possint cause, quas in eis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione rescanda existimo. Quamvis enim neque hoc inveniri possit, quomodo contra Fidem sint, ipsam tamen religionem &c.* Ubi supra operâ fecisset præteritum Bellarminus, si in his Augustini verbis auctoritati scripturarum, Conciliorum Episcopaliû & universalis Ecclesiæ auctoritatem Pontificis Romani in ferendis Legibus obligatoriis junctam ostendere potuisset, utpote quod non leve fuisset pro Lemmatis præscripti demonstratione argumentum, sicut è contrario silentium Augustini pro singulari inservit documento, Eum in Pontifice Romano potestatem hanc legislativam nullo planè modo agnovisse, cujus etiam querela in genere de quibusvis legibus & consuetudinibus contra libertatem Evangelicam institutis concepta ad omnes in specie pertinet, undecunque etiam trahant originem, quibus plebs Christiana indebitè oneratur, cujus generis etiam antehac fuisse Leges Pharisæicas, è gravi Elencho Christi scimus. Nunc accedat adhuc definitio peccati Augustiniana, quam Bellarminus inter cætera Patrum testimonia contra potestatem Romani Pontificis legislativam sibi met ipsi objicit, quâ peccatum dicitur *vel dictum, vel factum, vel concupitum contra Legem Dei æternam*, undè sequi videtur, transgressionem legis humanæ non esse peccatum, videlicet juxta limitationem supra expositam, specialiter, absolute, simpliciter, directè, sed tantùm generaliter, hypotheticè seu conditionaliter & indirectè, si modò Lex humana Divinæ non sit contraria, sed cum eâ consentiens, & ab eâ tanquam fonte derivata, & ad eam manu quasi ducens, genuina ejus proles atque Surculus. Etsi enim Bellarminus evadere se hujus argumenti vim posse existimat per distinctionem vel potius oppositionem Legis positivæ & æternæ, de hac non illâ Augustinum intelligens, non tamen evadit, dum opponit non opponenda, sed sensus Legis Divinæ subordinatos; Legis inquam Divinæ, quæ æterna dicitur ab auctore, positiva autem idè, quia in tempore hominibus data & Revelata fuit, ut non negemus, positivam Dei legem cum aliquâ ad Legem Dei æternam distinctione dici eam, quæ non naturâ, sed solâ positione liberrimâque Dei voluntate homines obligat, non obligatura, si Deus Legislator summus eas hominibus non expresse proposuisset, quales non tantum inter præcepta, quæ dicuntur moralia, sed & præprimis Cæremonialia & forensia inveniuntur, quas tamen ipsas etiam Deus Legislator olim tam severè populo injunxit, ut prævaricatoribus pœnas fuerit minatus, quæ locum non habuissent, nisi transgressionibus illarum peccatorum nomine venissent, quod contra Bellarmini exceptionem observasse satis erit; qui ex superabundanti illud quoque interrogandus est, annon peccati loco habeat, si quid fiat contra Leges, quas communiter dicunt Ecclesiasticas, quibus Laicorum conscientiarum nimium quantum premi & durissimè onerari solent, quo in casu æque, ac si contra Legem Dei æternam sit peccatum, & quidem multò rigorosius, ut constat, pœnæ variarum Satisfactionum vel satis-passionum injunguntur, non injungendæ, nisi & humanarum legum transgressores agnoscerentur esse peccatores, id quod ipse Bellarminus iterùm contra semetipsum facteri coactus fuit, scribens : *Omnis Lex justa sive à Deo, sive ab homine detur, ab æternâ Deilege derivatur* : Id sicut de lege justâ Evangelico-Christianam libertatem non supprimentem verum esse concedimus, secundum ea, quæ jam superindè monita sunt; ita an de Legibus quoque, quibus Ecclesia Romanensis superbit, verum sit, non immeritò nec sine gravi causâ hætenus ab Evangelicis fuit dubitatum, imò ex summâ necessitate, ne gravi hoc & intolerabili jugo planè opprimantur, in omnia alia itum.

L. 22 con-
tra Faust.
cap. 27.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM
ET QVINTVM,

DE

Jurisdictione Episcopali dependente à Romano Pontifice.

AD utrumque hoc Caput multa iterum observavit contra Bellarminum Sorbonista *Launojus*, in prolixissima Adsertione Inquisitionis in Privilegium *Sammedardense*, per partes & accuratissime examinans, quæcunque Bellarminus ad demonstrandam Jurisdictionis Episcopalis à Pontifice Romano dependentiam tam è Sacris, quam orthodoxorum Patrum Scriptis collegit, quibusque contradicentium argumentis facere fatiscit conatus. Nostrium & hic erit, ea tantum attendere, quorum causâ Augustinus pro teste adducitur, ab allegatione falsâ vindicandus. Occurrit autem Augustini mentio in primo statim argumento, quo Bellarminus Episcopalem à Papâ dependentiam probare contendit, ita scribens: *Legimus, quod, cum Moses non solus posset regere totum populum, Deus jussit adesse septuaginta Seniores & auferens de Spiritu Moysi dedit illis, ut unâ cum Mose populum regerent. Vbi notandum cum Augustino, istam ablationem Spiritus à Mose non significare diminutionem Spiritus in Mose, quia tunc nihil profuisset Moysi habere adjuutores, si ipse propterea debiliior factus esset; sed derivationem virtutis (Spiritus) Seniorum à Moysi virtute, (Spiritu.) Voluit enim Deus ostendere, in Mose totam auctoritatem residere, alios autem, si quam habent, habere à Mose. Constat autem, Pontificem in Ecclesiâ cum habere locum, quem habuit Moses in populo Iudaorum.* Launojus ut hujus argumenti vim falsâ Augustini allegatione nixam ostenderet esse nullam, præter ipsa Sacri Sextus, verba etiam ipsius Augustini adducit, ut fraus Bellarminieo apertior fiat, quæ ita habent: *Pleriq; Interpretes Latini non, ut in Græco est, transtulerunt, & fecerunt Sensum laboriosum ad intelligendum. Putari enim potest, de Spiritu ipsius hominis esse dictum, quo humana Natura completur corpore adjuncto, quæ constat ex corpore & Spiritu, quem animam dicunt. Posset etiam, sicut alii sunt interpretati, Spiritus Dei in eo intelligi, qui fit etiam noster, qui Dei est, cum accepimus eum. Nunc autem cum scriptum sit, de Spiritu, qui est super te, nec dictum sit, de Spiritu tuo, faciliior est absolutio. Questionis, quia intelligimus, nihil aliud Deum significare voluisse, nisi ex eodem Spiritu Gratia illos quoque adiutorium habituros, ex quo habebat Moses, ut & isti haberent, quantum Deus vellet, non ut idem Moses haberet minus. Ad utrumque, videlicet & ipsum Historiæ Textum, & Augustini Explicationem contra Bellarminum sequentia notat Launojus: *Numerorum locus, si quid in hac materia concludit, adversus Bellarminum concludit, qui capite tertio & vigesimo antecedente, docet, Apostolos omnem à Christo accepisse Jurisdictionem. Nam locus ille, si simpliciter attendatur, in Apostolos æque ac Apostolorum Successores Episcopos spectatur. Præterea confirmanda Bellarmini Sententiæ inopportuna est. Nam Moses, quem Romani Pontificis figuram esse contendit, septuaginta Senioribus de suo Spiritu non accommodat, sed Deus ipse, qui Senioribus his de Spiritu Moysi accommodat; quo ex capite locus Numerorum Bellarmini Sententiæ nocet, tantum abest, ut proficit. Augustinus loci hujus interpretationes duas adfert, alteram, quæ in vulgata retinetur Editione, & Bellarmino, ut vidimus, malè successit; alteram, quæ, ut ex verborum serie constat, Bellarmini Sententiæ evertit. Seniorum virtus (Spiritus) propriè à Mose non derivatur, sed virtus (Spiritus) omnino similis virtuti Moysi à Deo illis concessa est. Hæc Ille satis clarè ad Textus Sacri & augusti Doctoris mentem, cui si adjungantur, quæ similem ferè in modum Theodoretus ad hunc notavit locum, nihil omnino ad legitimum ejus intellectum poterit desiderari. Ex superabundanti tantum addo *Saliani* Expositionem, quæ & nuperus Scripturæ Interpres *Carrerus* suam fecit: *Accipiam de Spiritu meo, quem dedi tibi. Non ex rivulo tuo, sed ex fonte suo Spiritum Propheticum dedi tibi. Dabo & eis, ut eadem instructi gratia plures portetis, quod tu portabas unus.* Notat, hanc etiam esse *Cypriani* super hoc testimonio Sententiæ. Accommodatissime etiam *Novarinus* in Mose Expensio ad hunc locum ex *Damiano* observat: *Notandum, quod non ait Auseres de Spiritu tuo, tradesque eis; sed potius, Auferam & tradam, ut profectò ostenderet, quia non homo homini Spiritum Sanctum tradit, sed solus ipse est, qui prout vult, Gratia sua dona distribuit. Plura ex aliis idem *Novarinus* ibidem huc pertinentia collegit, quibus etiam similia apud *Cornelium Lapidensem, Bonfrerium, Esthium* leguntur, à Bellarmini Scopoplane aliena, imò contra Ejus explicationem non parum intervientia, ut adeò à suis dome-***

pag. 773.
& seqq.

Num. 11.

Quæst. 18.
in i. Num.

domesticis videatur omnino desertus. Nunc quod attinet illud Augustini testimonium, quod ex Commentario Ejus in Psalmum quadragesimum & quintum juxta Ebræos sibi ipsi objicit, non habens, quod ad illud convenienter respondeat, quia de eo jam supra sub initium hujus Controversiæ de Romano Pontifice ex ipsius Bellarmini in Psalterium Commentario aliquid est dictum, ulteriori labore nos jubet superfedere.

LIBRI QVINTI,
DE

POTESTATE ROMANI PONTIFICIS TEMPORALI,

CAPUT OCTAVVM ET NONVM,

in quibus de
Exemplis agitur.

Quæ Bellarminus post Quæstionis formationem per capita quatuor priora tractat, ostendens, *Papam non esse Dominum totius Mundi, veletiam totius in eo orbis Christiani, neque Eum habere ullam Jurisdictionem merè temporalem jure Divino directæ,* cum prolixissimâ refutatione eorum, quæ hujus Potestatis directæ assertores non sine multorum adplausu urgere solent; ita ab Evangelicis acceptantur, ut vellent, Eum in posterioribus eodem Zelo contra indirectam quoque in temporalibus potestatem continuasse. Et quidem Bellarminus refutatione illius, nimirum directæ, & assertionem hujus videlicet indirectæ potestatis, utut mediam adeoque tutissimam sibi viam elegerit visus est, ut neque in excessu, neque in defectu peccaret, sed cunctis ad minimum inter Papistas moderatioribus placere posset; effugere tamen non potuit, quo minus à domesticis iterum suis, Romanensibus partim, partim Gallis, diverso scilicet non Dei, sed Seculi Genio ductis, pro diversâ ratione Status utriusque, non autem *statu Rationis*, & insigniter quidem vapularet. Certè Romanensis Aula Sectatores ægerime in Bellarmino tulerunt, quod ab Eorum Sententiâ discesserit, qui ante ipsum tanto labore directam quoque Potestatem Papæ adscriperunt, quorum aliquos ipse Bellarminus sub initium libri hujus quinti nominatenus expressit; ideoque in eo toti fuerunt, *ut opera Ejus inhiberentur infererenturque Catalogo Voluminum proscriptorum, donec, quæ in eis forent damnosa, egeri possent,* Fuligatto & Hieronymo Mercuriali, Vitæ Ejus Descriptores, super eo graviter lamentantibus. Neque melior Sors eidem obrigit in Curia Parisiensi, si fides adhibenda est post *Thuanum* Continuatori Ejus *Grammondo*, primo statim Historiarum libro ad annum hujus Seculi decimum narranti, præter *Marianæ* de Regis Institutione librum & *Anti-Cotonem*, *damnatum quoque esse Parlamenti Lutetiani placito Bellarmini contra Barclaium de potestate Summi Pontificis librum*, de quo Ipse Fuligatto recentente testatus est, *se in eo non aliam exhibere doctrinam, quam ante in libris Controversiarum, quinto nominatim docuerat.* Quamvis autem, sicut citati Vitæ Ejus Scriptores notanter addunt, & Romæ sequentibus Annis libro huic Bellarmini honor redditus videri potuit, si modò potuit, per subsecutam ejus ex Indice prohibitorum expunctionem, & *Grammondus* etiam præter alios illud in specie moneat, *intercessisse Parisiis Romane Sedis nuntium, ac obtinuisse à Rege, ut habitæ fuerit in suspensio Sententiæ;* bene tamen de hoc ad Bullam Pacis Germanicæ abrogatricem minime Innocentianam, sed nocentissimam *Hoorbeekius*, non ita pridem monuit, *factum hoc esse, vel potius non factum, id est, intermissum esse, non quod res dubia esset, verum quia Cardinalis libri author erat, idque facilius propter Regis minorænnitatem sub Regimine Matris indultum, ut negotium deferretur ad Papale Consistorium; mansisse tamen inde, ut pro diverso hominum judicio de illo Bellarmini libro & disputatione, aliter quàm Bellarminus & Jesuitæ vulgò sentientes adpellantur Catholici Regales, alii ex adverso hæretici statûs.* addit Idem, ubi insequente Anno Jesuitarum in Galliam & Scholas reductio fuit concessa, factum id esse hæc cum conditione, ut præter alias Veritates huic quoque subscriberent, *quod Papa nullam temporalem supra Reges habeat potestatem, & quod non possit illos per Excommunicationem privare regnis & Statibus suis;* quam veritatem ante paucos annos occasione Disputationis ejusdam Jesui-

Conf. D.
Höpfn.
Saxon. Ev.
ang. p. 256
D. Dannh.
Hodom.

pag. 643.

vid. Lanf.
Consult.
orat. c.
Hisp. pag.
m. 372.

pag. 261.

Jesuiticæ Facultatis Theologica Parisiensis certis quibusdam thesibus comprehensam iteratò confirmavit, inter quas duæ priores huc pertinentes sunt, *Prima*, non esse doctrinam Facultatis, summum Pontificem aliquam in temporalia Regis Christianissimi auctoritatem habere, imò obtinisse Facultatem ipsam etiam, qui indirectam (NB.) tantummodo esse voluerunt illam auctoritatem. *Secunda*, esse doctrinam Facultatis, quod Rex Christianissimus nullum omninò agnoscat nec habeat in temporalibus superiorum præter DEUM, eamque esse antiquam Doctrinam, à quâ nunquam sit recessura. Quæ verba nuper à me in *Vindiciis Evangelico-Thomisticis* ex Carrierii Adpendice ad Historiam Pontificum Romanorum Chronologicam citata hic quoque legi non impar est, præpomis, quia *Launojus* etiam tempore eodem legi eadem voluit in ad Ludovicum Marefium Epistolâ contra *Vincentium Baronem* Apologeticâ, quæ ultimum in sexta Epistolarum parte occupat locum. Nunc præter ea, quæ in citatis modò Vindiciis ad præsens Institutum pertinentia ex variis adversariæ partis adduxi Authoribus, hic non repetenda, illud in specie meretur observationem, quod Sorbonicæ Parisiensis in hisce thesibus expressè scribunt, esse Doctrinam hanc non novam, sed antiquam. Id ut Lectori hujus etiam Veritatis historicæ aliquam desideranti cognitionem fiat manifestum, lubet duo tantum Exempla in medium proferre, ex quibus constabit, verè à Sorbonæ Doctoribus ad Antiquitatem hujus doctrinæ provocatum fuisse. Suppeditabit ea Author in Galliâ maximi hodiè nominis & æstimii, *Petrus de Marca*, Archi-Episcopus non ita pridem Parisiensis, cujus rarum opus *de Sacerdotii & Imperii Concordiâ* paucos ante Annos insigni cum augmento recusum fuit. Unum noni Seculi tempora sinit, inque eo discordiam, quæ sub Ludovico Imperatore Pio & Francorum Rege, inter Pontificem Gregorium hujus nominis quartum & Galliæ Episcopos ob regni divisionem agitabatur, quam ubi laudatus Scriptor per aliquas circumstantias exposuit, hæc multâ cum observatione subnectit: *Regni Episcopis & Proceribus Gallicanis eam sedisse Sententiam, Romano Pontifici non esse liberum, ut se divisionibus regni corrigendis, id est, rebus secularibus immisceat, eaque de causa Regem, aut Episcopos, vel Proceres illi consentientes Excommunicationibus plectat, prætextu Perjurii aut Bellorum, quæ inde sequuntur. Si quæ Censura eam ob causam fuerit lata, nullas habituram vires, Regem & subditos illi non obtemperaturos.* Alterum ex initio Seculi post decimum tertii desumitur, quo grande dissidium inter Papam Bonifacium hujus nominis Octavum, & Philippum Galliæ Regem cognomento Pulchrum exarsit, Illo subjectionem in spiritualibus & temporalibus urgente, literis ad regem directis singularem Fastum exhibentibus, Hoc autem *Fatuitatis* convitio (ut *Marca* expressè scribit) in Bonifacium conjecto, omnem in temporalibus potestatem ei denegante, ut ex ipsis utriusque literis videre est, quas laudatus *Charriere* in citatâ ad Historiam Romanorum Pontificum Chronologicam Adpendice ex *Charrono* & aliis Scriptoribus Historicis verbis tenens adducit, & Archi-Episcopus, quem dixi, Parisiensis, in Recensione hujus litis Epistolice, ad *Spondanum* Baronii Continuatoem & fidem Manuscriptorum Codicum provocans, tanquam genuinas contra quorundam dubitationem & suspectam inficiationem non obscure admittit. Placuit hæc in antecessum præmittere securæ perbrevis de Quæstione per Bellarminum propositâ tractationi, ut, quia Bellarminus ad demonstrandam Romani Pontificis potestatem in temporalibus non directam, sed tantummodò indirectam nullis Augustini vel aliorum Ecclesiæ Patrum testimoniis munire se potuit, ostendatur, posterioribus etiam Seculis non agnitam fuisse eam, præsertim in Galliæ regno, quod Christianissimum, & cujus rex filius Ecclesiæ primogenitus audit, & de quorum utroque laudatus *Marca* sub initium sui de Sacerdotii & Imperii Concordiâ operis scripsit, *Ecclesiæ Gallicana libertatem eoprapriè nisi fundamento, ut supremam Apostolicæ Sedis auctoritatem & profiteatur, & omnibus colat officiis, idque postmodum in operis cursu non semel repetivit.*

Jam ut ad præscriptum Lemma utriusque capitis respiciamus, utrumque exhibet Exempla, prius quidem, ut indirectam potestatem probet, alterum verò & postremum, ut ostendat, non pugnare cum Verbo DEI, ut unus homo sit princeps Ecclesiasticus simul & politicus. Utrobique utitur Bellarminus, vel abutitur potius Augustini auctoritatè. Ibi quidem adducendo Exemplum Regis Ozii, ob invasum nefariè munus Sacerdotale per Pontificem summum Templo ejecti & regno privati, hoc exindè nectens argumentum: *Si propter lepram corporalem poterat olim*

N

Sacer-

NB.

pag. 143.

pag. 196.

lib. 4. cap. II. num. 6.

vid. Rainald. Ode. ricus, ad Annum 1302. num. 13.

Ibid. cap. 16. num. 4.

II. Chron. 26.

Sacerdos Regem judicare & Regno privare, quare id non poterit modo propter lepram spiritualem, id est, propter hæresin, quæ per Lepram significabatur, ut Augustinus docet. Hic autem in demonstrando Mosis Pontificatu iterum ad Augustini testimonium provocans, de Eo & Aarone scribens, *ambos fuisse summos Sacerdotes.* In genere præter ea, quæ antehæc non semel de Analogiâ utriusque Testamenti fuerunt adducta, notandum hic est, quod laudatus Præsul *Marca* in citato opere illustri observavit: *Non bene merentur de Romano Pontifice, neque de regibus Christianis, qui auctoritatem harum dignitatum in Ecclesiâ Christianâ ex Institutis metiuntur Judaicis.* Et quia in opere hocce suo multa Romanis Censoribus displicuerunt, ob quæ in *Expurgatorium* Indicem fuit relatum, idèò, ne quid liturâ dignum scripsisse videatur, Apologetico quodam libello, qui cum aliis ejusdem generis inter Prolegomena Editionis secundæ legitur, quo opus hocce suum Apostolicæ Sedis Censuræ submisit, hæc iisdem ferè verbis repetit, notanter addens: *Nulla potest in hoc quidem capite insitui comparatio inter Synagogam & Ecclesiam, quia, quæ apud illam erant permixta Jurisdictiones & confuse, apud hanc sunt discretæ & omnino separatae.* In specie, si Bellarminum utrobique in Augustini citatione fraudulentè egisse dico, nulla ei inferitur injuria. Et quidem ad prius Exemplum de *Oziâ* Rege ad personam Romani Pontificis adplicatum ita Augustinum adducit, ut videri possit, Eum hanc Pontificis Judaici cum Romano comparisonem adprobasse, cujus tamen testimonium ad comparisonem lepræ cum doctrinâ erroneâ tantum refertur, ubi simul illud notat: *Sacerdotium Iudeorum nemo verè fidelium dubitat figuram fuisse futuri regalis Sacerdotii, quod est in Ecclesiâ, quo consecrantur omnes ad corpus Christi, Sacerdotum summi & veri Principis pertinentes.* De cætero, si validum esse censet Bellarminus argumentum ab exemplo *Oziæ* regis per Sacerdotem remoti, ad demonstrandam Pontificis Romani potestatem in temporalibus etsi non omninò directam, tamen ad minimum *indirectam*, ut in hac comparatione quoad circumstantias multa occurrant disparia, quæ vim consequentiæ per Bellarminum factæ non parum possent infringere, si id jam primariò ageretur; non invalidum illud quoque agnosceret ad probandam Magistratûs ordinarii potestatem in spiritualibus indirectam, quod ab exemplo *Abjatharis* ob officio per Salomonem remoti duci potest, idèò, quia, Pinedâ judice, *nihil hic indignum egit Salomo adversus sacra, nec adversus Sacerdotium*, Theodoro & Procopio in testimonium adductis. Neque sincerius in posterioris Exempli per Augustini auctoritatem illustratione, si non aliquantò fraudulentius versatur Bellarminus, eam in citandis Augustini verbis omittens particulam, quâ tamen observatâ res in salvo est. Disputavit ibi prolixè augustus Doctor de summo Mosis & Aaronis Sacerdotio, an nimirum non huic solùm, sed & Ei debeat adscribi, idèò, quia in ejus inauguratione hic Sacra fecisse & sacrificasse legitur. Post multa hinc & inde, pro & contra, in utramque partem disputata, hæc inter alia ponit decisionis loco: *Ergo tunc ambo summi Sacerdotes erant, Moses & Aaron.* Ubi particula, *Tunc*, à Bellarmino non nisi fraudulentè omiſsa rem ita conficit, ut ab unius extraordinarii actûs exemplo ad ordinarii muneris perpetuitatem nulla planè vis consequentiæ superſit, id quod supra etiam iteratò sub initium hujus de Romano Pontifice Tractationis, occasione oraculi ex Psalmo post nonagesimum octavo vel juxta Ebræos nono fuit ostensum. Adde nunc duo ex Antiquitate loca non ubivis obvia, quæ non semel in hoc capite laudatus & potrò non semel laudandus Gallicæ Præsul *Marca* cum aliis suppeditavit. Unum est *Facundi Hermianensis* in Africanâ Provinciâ Episcopi, ex cujus pro defensione trium capitulorum Concilii Chalcedonensis ad Imperatorem Justinianum opere, quod ante hos quadraginta Annos primùm in Lucem publicam Parisiis edidit *Sirmondus*, hæc citavit verba huc quam maximè pertinentia: *Christi solius esse cum Sacerdotio regnum habere. Quoniam etsi quidam Reges in Ejus venturi figuram Sacerdotio sunt functi, tamen cum manifesta Lux veniret in Mundum, umbras removens futurorum, nulli alteri dedit, quod sibi singulare servavit; sed in diversis sua distribuens dona sic, quæ propria sunt Sacerdotii, Regibus interdixit. Quocirca quemadmodum (quomodo) Vir sapiens non profanum judicaret, hoc velle videri, quod solus est Christus? Invertat hæc Lector, quæ *Facundus* hic satis facundè, & ut *Marca* censet, graviter contra Cæsareo-Papatum urget, & adplicet contra Papo-Cæsarearum, vel juxta Bellarmini Lemma contra potestatem Romani Pontificis in temporalibus etsi *indirectam*, & mentem Authoris apertam satis habebit. Alterum est Nicolai Papæ hujus nominis primi, de quo in genere & in antecessum notanter monet, *quod de Romanensis Eccle-**

lib. II.
Quæst.
Evang.
num. 40.
Quæst. 23.
in Levit.
lib. II. cap.
5, num. 6.

pag. 75.

in Salo-
mone, lib.
6. cap. 15,
num. 7.

lib. II.
cap. 6.
num. 5.

clesia privilegio nihil demi sit passus, addens, Eum vestigia Antecessorum premendo, Ibid. c. 12. num. 7. olim Sacerdotium cum Imperio conjunctum fuisse quidem & apud Regem illum Salem Melchisedecum & apud Caesares docere, sed veri Regis & Pontificis adventu factam fuisse & Dignitatum & Munerum divisionem, non verò subjectionem aut subordinatorem, hæc Eius verba in specie adducens: Cum ad verum ventum est eundem Regem atque Sacerdotem, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit; quoniam idem Mediator DEI & hominum, Homo Iesus Christus sic actibus propriis & Dignitatibus distinctis officia potestatis utriusq; discrevit, ut & Christiani Imperatores pro aeterna Vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus uterentur Legibus, quatenus spiritalis actio carnalibus distaret incursum, quæ verba ex Jure Canonico cum aliquibus intermixtis, additâ eorum contra Bozium vindicatione, in citatis paulò ante *Vindictis Evangelico-Thomisticis* quoque exhibui, eò meliùs notanda, quod jam octo Seculorum ætatem, suamque ex ore proferentis auctoritatem habere non est incomptum,

Hicce jam in chartam conjectis venit in manus septima Pars Epistolarum *Lannoji* noviter edita, in quarum unâ ad *Raimundum Formentinum*, Theologum icidem Parisinum, agitur contra *Svarexium* & *Becanum*, qui ut confirmant, posse Romanum Antistitem subditos à fidelitatis juramento regibus prestato liberare, Evangelii vel Christi ad Petrum verba adsumunt, Quodcumque solveris super terram, erit solutum etiam in Cælis. Sed vim verbis inferri, præter alia sequentibus etiam tribus Augustini testimoniis ixit demonstrarum *Lannojus*, exindè hic transferendis. Primum est è Concione secundâ de secundâ parte *Psalmi post centesimum primi*: De Cælo prospexerat Dominus, ut audiret gemitum compeditorum, ut solvat filios mortificatorum. Mortificantur illi, filii autem mortificatorum qui, nisi nos? Quomodo autem solvimur, nisi cum dicimus Ei, dirupisti vincula mea, Tibi sacrificabo hostiam laudis. Solvitur autem quisque à vinculis cupiditatum malarum, vel à nodis peccatorum suorum. Remissio peccatorum solutio est; quid enim prodesset Lazaro, quia processit de Monumento, nisi diceretur, solvite eum, & sinite abire. Ipse quidem (Christus) voce de Sepulchro suscitavit, ipse clamando animam reddidit, Ipse terrenam molem terreno sepulchro impositam vicit, & processit ille vincetus. Non ergò pedibus propriis, sed virtute producentis fit in corde pœnitentis. Cum audis, hominem pœnitere peccatorum suorum, jam revixit; cum audis, hominem confitendo proferre Conscientiam, jam de Sepulchro e ductus, sed nondum solutus est. Quomodo solvitur, à quibus solvitur? *Quæ solveritis*, inquit Christus, in terra, erunt soluta etiam in Cælo. Meritò per Ecclesiam dari solutio peccatorum potest, suscitari autem ipse mortuus non nisi intus clamante Domino potest. Secundum est è *Sermone octavo de Verbis Domini super Mattheum*: Sanctum Evangelium cum legeretur, audivimus exultasse Dominum JESUM in Spiritu, & dixisse, Confiteor tibi Pater &c. Et post alia, in quibus de duplici Confessione loquitur, subdit: Confitemur ergò sive laudantes DEUM, sive nosmet ipsos accusantes. Pia est utraque Confessio, sive cum te reprehendis, qui non es sine peccato, sive cum laudas illum, qui non potest habere peccatum. Si autem benè cogitemus, reprehensio tua laus ipsius est. Quare enim jam confiteris accusatione peccati tui? In accusatione tui ipsius quare confiteris, nisi quia vivus ex mortuo factus es? Scriptura quippè ait, à mortuo, quasi qui non sit, perit confessio. Si perit confessio à mortuo, vivit, qui confitetur; & si peccatum confitetur, utique revixit à Morte. Si peccati confessor revixit à Morte, quis eum suscitavit? Nullus mortuus est sui ipsius suscitator. Ille potuit suscitare, qui mortuâ carne mortuus non est. Etenim hoc suscitavit, quod fuerat mortuum. Ille suscitavit se, quia vivebat in se, in carne autem suscitandâ mortuus erat. Non enim Pater solus Filium suscitavit, de quo dictum est ab Apostolo, propter quod Eum DEUS exaltavit; sed etiam Dominus seipsum, id est, corpus suum. Unde dicit, solvite Templum hoc, & in triduo illud suscitabo. Mortuus autem est peccator, ille maximè, quem moles consuetudinis premit, quasi sepultus est Lazarus. Quisquis igitur malæ consuetudinis, malæ vitæ, terrenarum scilicet cupiditatum mole premitur, ita ut in illo jam sit factum, quod dicitur in *Psalmo* quodam miserabiliter: Dixit stultus in corde suo, non est DEUS, fit talis, de quali dictum est: A mortuo, velut qui non sit, perit confessio. Quis eum suscitavit, nisi qui lapide remoto clamavit, dicens, Lazare, prodi foras?

Quid est autem, foràs prodire, nisi quod occultum erat, foràs prodere? Qui confite-
tur, foràs prodit; foràs prodire non posset, nisi viveret; vivere non posset, nisi resu-
scitatus esset? Ergò in confessione sui accusatio est DEI laudatio. Dicit aliquis, quid
prodest Ecclesia confitenti, cui Dominus ait: *Quæ solveritis in terra, soluta erunt etiam
in Cælo?* Ipsum attende Lazarum. Cùm è vinculis prodit, jam vivebat confitendo,
sed nondum liber ambulabat, vinculis irretitus. Quid ergò facit Ecclesia, cui dictum,
Quæ solveritis, erunt soluta; nisi quod ait Dominus continuò ad discipulos, *solvite il-
lum, & finite abire?* *Tertium & ultimum est ex Homilia post vigesimam septimâ è numero
Homiliarum quinquaginta:* Est Pœnitentia gravior & luctuosior, in quâ propriè vocan-
tur in Ecclesia pœnitentes, etiam remoti à Sacramento Altaris participandi, ne accipi-
endo indignè, Judicium sibi manducant & bibant. Illa verò Pœnitentia est luctuosa.
Grave vulnus est, Adulterium fortè commissum est, fortè Homicidium, fortè Sacri-
legium aliquod. Gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum. Sed omnipotens Me-
dicus. Jam post suggestionem facti, & delectationem, & confessionem, & perpetratio-
nem mortuus quasi quatruiduanus putet. Sed nec ipsum deseruit Dominus, sed clama-
vit, Lazare, prodi foràs. Cessit Misericordiæ voci moles Sepulturæ, cessit Mors Vi-
ræ, cessit infernus superno, elevatus est Lazarus, processit de tumulo, & ligatus erat, sicut
sunt homines in confessione peccati agentes Pœnitentiam; jam processerunt à Morte,
Nam non confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri est procedere ab oc-
culto & à tenebroso. Sed quid Dominus Ecclesiæ suæ? *Quæ solveritis,* inquit, *in
terra, erunt soluta etiam in Cælo.* Proindè Lazaro procedente, quia implevit Do-
minus Misericordiæ suæ bonum, perducere mortuum ad Confessionem, latentem,
putentem, jam cætera implet Ecclesiæ mysteria (vel, Ministeria,) solvite illum & finite
abire. *Launoji ad hæc tria Augustini loca sequens ibidem est glossa,* Sanctissimus Ecce-
siarum Magister Evangelii verba, *Quodcunque ligaveris, & quodcunque
solveris, in ligandis solvendisque criminibus definit, nec
ultra proferre cogitat.*

